This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

878
V9
L54

PUBLII VIRGILII MARONIS

QUÆ EXTANT

OMNIA OPERA.

EXCUDEBAT PETRUS DIDOT,

NATU MAJOR, REGIS TYPOGRAPHUS

P. VIRGILIUS MARO

QUALEM OMNI PARTE ILLUSTRATUM

TERTIO PUBLICAVIT

CHR. GOTTL. HEYNE

CUI SERVIUM PARITER ET CERDAM

ET VARIORUM NOTAS CUM SUIS SUBJUNXIT

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN QUINTUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXX



P. VIRGILII MARONIS

CARMINA MINORA.

PRAEFATIO.

MINORA haec carmina a Virgilii recensione bene abesse poterant; etiam eo respectu, quod juvenili ingenio seu capiendo ac detinendo, seu ornando vel locupletando exigua in iis proposita est materies; et memineram Burmannum Secundum (in præfat. Anthol. Lat. pag. XXXV) selectis iis, quæ ad Anthologiam Latinam facerent, reliquæ Virgilianæ appendicis in separato volumine edendæ spem fecisse. Quum tamen in alterum Anthologiæ volumen *Diras*, quod unum ex iis majoribus carminibus est, inseruisset, spes illa aut incisa, aut in incertum eventum producta videbatur. Mox audieram prelo subjectos esse Jo. Schraderi libros Emendationum, quorum capita plura in *Culice* et *Ciri* corrigenda occupata essent. Quum tamen in fronte nostræ editionis promissa essent Virgilii opera, et carmina haec Virgilianis plerumque subjungi soleant, etiam in Heinsiana editione, quam in nostra hac repetere constitutum erat, accinxi me ad eadem carmina iterum recensenda, inprimis quum seu critica seu interpretatione ea omnium maxime indigere viderem. Adjunxi *Copam* et *Moretum*, causam in præfatione ad ea carmina dixi; uti et de ceteris carminibus satis dictum est in Prooemiis, quæ singulis præmissa sunt. Universe autem de poematiis his haec monuisse sufficiat: ex pluribus ea codicibus, in quibus modo unum et alterum, modo plura seor-

sum extabant, aut Æneidi, vel Bucolicis ac Georgicis erant subjecta, in unum esse collecta, nec tamen statim omnia. In ed. pr. 1467 *Culex, Diræ, Copa, Est et Non, Vir bonus, Rosæ, Moretum, Priapeia, Epitaphia* et alia erant descripta; in altera autem recensione accesserant *Ætna, Ciris* et *Catalecta* (vid. de Edd. Virgil. h. a.). In ed. 1471 sine loco et typogr. (vid. ibid.) tantum prior Romana episcopi Aleriensis repetita esse videtur; auctus carminum numerus, adjecto quoque libro Æneidis XIII in edd. Ven. 1472, tum per Barthol. Cremonensem, tum per Ant. Zarottum (conf. ibid. h. a.). Ab eo inde tempore pleræque hujus sæculi editiones minora illa carmina repetiverunt, diverso tamen ordine et loco, ut in hanc vel illam recensionem ii, qui eas curabant, inciderant; nec multum utilitatis ex earum comparatione exspectari posse intellexi. Interpretari quoque nonnulla aggressus est Domitius Calderinus et Pomponius Sabinus, omnia Badius Ascensius. Nova tamen horum carminum recensio non facta est, nisi in Aldina editione 1517, de qua in Recensu edd. dictum est, et dicetur mox ad Culicem. Nihil posthæc seu opis, seu studii accessit, etsi sæpius recusis carminibus, et, quod mireris, haud raro ad antiquiorem lectionem; ut in Junt. 1520, ab Ant. Francino Varchiensi curata, et Lucæ Ant. Juntæ Ven. 1533, Rob. Stephani 1533, usque dum Scaliger Appendicem Virgilianam adornavit 1573, repetitam a Guellio 1575 et auctis nonnullis emendatisque a Scaligero, cura Lindenbrogii, apud Franc. Raphelengium 1595, tum sub Catalectorum nomine novoque titulo præfixo 1617 apud Jo. *Maire;* nam ab Appendice separata sunt Catalecta

libris duobus. Repetita sunt quoque eadem in Pithœana Epigrammatum et Poematiorum veterum collectione 1590 et 1596; nulla tamen, nisi in paucis locis, quæ tacite emendata sunt, opera collocata; in Emendationibus ad Poematia monetur hæc opuscula, inprimis vero Culicem, Cirin et Ætnam, ampliores notas aut potius justos commentarios desiderare; itaque ea seponi ad meliora otia. Inde in Heinsianis editionibus servata tantum sunt ea, quæ aliqua saltem cum ratione probabili ad Virgilium referri poterant (1).

Quum interpretationis omnis severior ratio a lectionis veritate proficiscatur, in his, quæ a me curanda erant, criticæ subtilitati conjectandique licentiæ tribuendum erat plus, quam aut mos meus, aut otium, aut ingenium fortasse ferebat; nec unquam ad emendandi hoc genus, quod non in sententiis per emendationem constituendis, aut in orationis castitate et integritate vindicanda versatur, verum in librariorum erroribus congerendis, et in verbis literarumque apciibus variandis, verius quam corrigendis hæret, satis magna me propensione animi ferri memini; etsi inter ingenui lusus genera nunquam non illud retuli, nec detractavi, aut refugi, quoties res ita ferebat, ut novandum aliquid esse viderem: hoc tamen judicio adhibito, ut in eo, quod, circumspectis iis, quæ ipsa res et verba et sententia posceret, sese offerret, acquiescerem; sin primo statim occursu nihil, quod satis probarem, se offerret, otium in vano conatu haud consumerem, sed, apposito seu

(1) De Scaligeri et Pithœi opera in his Catalectis collocata vide Burmannum Secundum præf. Anthol. p. XXXI sqq.

monito seu judicio, ad utiliora pergerem. Majorem omnino ex idonea interpretatione eorum, quæ sana sunt, et ex eleganti subtilique judicio rerum ac sententiarum, proficisci utilitatem, et olim arbitratus sum, et nunc cur ab ea existimatione recedam, multo minus habeo; inprimis si inventorum fontem, tractationem et exornationem, totiusque operis summam et colorem, si omnia hæc, inquam, docte et sagaciter perspecta et explorata habeas, et de iis dilucide ac perspicue aliis præcipere possis. Monuit itaque etiam in his carminibus, quæ interdum, nam pauca in iis nitere fatendum est, præ ceteris probanda et bono poeta digna videri deberent.

Quod si his a me curatis ad literarum harum quæ ad humanitatem ingenia fingunt utilitatem quicquam profectum intellexero, in sinu gaudebo. Ad inanem doctrinæ ostentationem multa moliri meum non est; quippe qui illam Phædri sententiam meam faciam: *Nisi utile est, quod fecimus, stulta est gloria nostra.*

Scribebam 23 Sept. 1775, refingebam d. 4 Martii 1788, et iterum mense Junio 1798, postremum 1803.

P. VIRGILII MARONIS

CULEX.

PROOEMIUM

IN CULICEM.

Fuisse aliquando Culicem inscriptum carmen, vulgo pro Maroniani ingenii juvenili fetu habitum, dubitari nequit. Docent id loca ad Vitam Virgilii §. 28 excitata Martialis XIV, ep. 185; *Accipe facundi Culicem, studiose, Maronis:* et VIII, ep. 56, 19, 20; *Protinus Italiam concepit, et* Arma virumque, *Qui modo vix Culicem fleverat ore rudi:* Suetonii in Vita Lucani, Statii Silv. II, 7, 73 (1). Quibus adde eundem præf. Silv. lib. I, ubi veretur de Thebaide edenda: *Sed et Culicem legimus et Batrachomyomachiam etiam cognoscimus: nec quisquam est illustrium poetarum, qui non aliquid operibus suis stilo remissiore proluserit.* Nonius quoque Marcellus p. 211 versum laudat in *labrusca* — « Neutro Virgilius in Culice: *Densaque virgultis avide labrusca petuntur.* » An tamen is ipse, quem nunc manibus terimus, pro Maroniano Culice habendus sit, non modo inde confectum non est (2), verum etiam dubitari potest: quandoquidem istud alterum carmen non invenustum fuisse necesse est; memoratur enim passim cum laude, et Lucanus non sine superbiæ nota dixisse existimatus est: *et*

(1) *Quin tantæ levitatis, et tam immoderatæ linguæ fuit, ut in præfatione quadam, ætatem et initia sua cum Virgilio comparans, ausus sit dicere; et quantum mihi restat ad Culicem?* Statii Silv. II, 7, vs. 73. 74. *Hæc primo juvenis canes sub ævo Ante annos Culicis Maroniani.*

(2) Virgilio Culicem Jo. Schraderus quoque vindicare voluit Emendatt. 1. 2.

quantum mihi restat ad Culicem? hoc autem, quod nunc habemus, splendet utique uno et altero loco, et habet laudes nonnullas; sed et tota illud summa peccat, et plurima habet, quæ vel parum subtili judicio vix satis se probare possint. Quæ ne temere pronuntiasse videamur, age de carminis argumento et habitu dispiciamus paullo accuratius.

Inter lusus refertur hoc carmen merito argumenti sui vi et natura. Culex, quum pastorem, infixo aculeo, e somno excitatum præsenti morte liberasset, quam subrepens ei serpens inflicturus erat, inflicta manu obtritus, sequente nocte pastori per somnum oblatus, de male relata gratia conqueritur, hominemque adeo miseratione movet, ut tumulum Culici exstruat. Nec tamen omnino poeta carmen epicum joculare, cujusmodi nostra ætas plura vidit, componere voluisse putandus est. Narratio est serio instituta, nec tamen epica, sed ad pastoritium seu bucolicum carmen propior; et delectare voluisse poeta videri debet, partim rerum narratione et descriptione, partim Culicis de injuria sibi facta conquerentis miseratione.

Argumentum, si intentiore animo contempleris, per se satis tenue ac jejunum esse, vixque magnum ornatum capere posse videtur. Cumulavit tamen ornamenta quisquis hæc scripsit, et in ornamentis his majorem operæ partem consumsit; quod per se non erat improbandum, si ornamenta sagacitas aliqua ingenii ex ipsa re elicuerat; verum auctor ad locos poeticos communes fere omnia revocavit, quibus ita immoratus est, ut orationis ordinem et seriem penitus interrumpi, et mentem a carminis summa abduci necesse esset; quod v. c. factum videas in loco de laudibus vitæ rusticæ, de arboribus ad fontem natis v. 122 sqq., in locis inferis, in Tartaro, in Elysio, in tumulo plantis conserendo. Nimium igitur in parergis hæret poeta; nec pravum hoc studium exemplo non minus pravo Catulli,

in Peleï et Thetidos epithalamio, aut Panegyrici in Messalam Tibulli Elegis subjecti, defendi aut potest, aut debet.

Est vero interdum puerilis prorsus in cumulandis et variandis rebus similibus copiæ affectatio; quæ, si vel maxime eum juvenili ætate hæc lusisse dixeris (Scaligerum, qui jam grandiorem natu Maronem scripsisse Culicem contendebat, nemo facile audiet æquo animo), vix tamen ab eo poeta proficisci potuit, qui Georgica et Æneidem scripsit; ita ut aliquando in eam opinionem pronior essem, quam etiam Franc. Oudinum tuitum esse video (Disp. de Culice Virgiliano in Misc. Obss. orit. nov. T. IV, p. 367), qua persuasum mihi esset, nos veterem illum Maronis Culicem omnino non habere. Occurrunt tamen altera ex parte loci carminis præclari poeta bono haud indigni; video itaque haud paullo probabilius esse alterum: habere quidem nos carminis fundum aliquem Virgilianum, interpolatum tamen et oneratum infinitis aliorum laciniis intextis et interpositis. Ducit etiam eo diversitas illa locorum ac versuum in eodem carmine, et variata per plures diversæ notæ versus eadem sententia. Quod si teneatur, facile et virtutum et vitiorum in hoc carmine caussæ explicari, totaque ejus ratio constitui potest.

Scilicet, literarum bonarum studiis, jam per rhetoricas scholas et μελέτας corruptis, fuit doctorum hominum male sedulorum mos, ut tum Ovidianis, tum Virgilianis; his tamen maxime, quandoquidem intra Virgilianam orationem omne fere poetices studium eorum temporum se continebat, versibus variandis, ornandis vel amplificandis ingenium suum experirentur. Multa sunt sub Scholasticorum nomine in Anthologia Latina carmina, quibus, interdum decies vel duodecies, eadem sententia vel idem versus variatur. Alii thema, quod vocabant, seu argumentum fabulæ alicujus, ex Virgilio vel aliunde desumtum versibus modo ex Virgilio consarcinatis in Centonis morem, modo ad

Virgilii exemplum formatis, pertractarunt: utriusque generis exempla in Ausonio prostant. Sunt vero in his multa non malæ notæ carmina; sunt singula loca; singuli versus docte et ornate facti. Comparet v. c. aliquis narrationem de adulterio Martis et Veneris Anthol. Lat. lib. I, Ep. 72. Non defuit homini, qui id carmen scripsit, ingenium nec poetica oratio: defuit judicium ad summam carminis constituendam et ad eliminandam copiam otiosam et inanem. Adde ibid. lib. I, ep. 89, et al. Lecto itaque Virgilii carmine adscripserunt in margine codicis sui hi homines ea, quæ ipsi tentaverant, ad variandam vel amplificandam sententiam; idque inprimis in minoribus his Virgilii carminibus factum apparet; multo autem maxime in Culice, cujus, si recte judico, plus quam dimidia pars ejusmodi Scholasticorum versibus consarcinata est. Versus hos aut inter lineas aut in margine adscriptos, librarii indocti, qui codicem describebant, forte etiam ut pleniorem codicem venditare possent, in ipsum carmen inferserant; atque sic evenit, ut illud interpolatum, et modo versibus satis bonis, modo inscitis et indoctis, aut hiulcis et scabris, fœdatum ad nos perveniret. Quod non animadversum fraudi fuit viris doctis, quos, tam diversæ notæ monetam eodem loco habentes, in multis trepidare necesse fuit. Unde facile potest intelligi, fundum quidem carminis esse posse Culicem illum Maronianum, sed attextas esse a Scholasticis et Grammaticis lacinias plurimas, quibus priscus carminis nitor plerisque in locis admodum attritus ut sit necesse est.

Atque hæc ipsa faciunt, ut vix cum delectatione, nec nisi ab eo, qui jam aliquantum in poetarum lectione versatus sit, legi possit hoc carmen (1). Male enim cohærent tot panni a diversis hominibus assuti, et natæ sunt ex eo

(1) Patrio sermone, octonis versibus in strophas coeuntibus, redditum est hoc carmen a Spensero, poeta nobili Brit. (*Virgil's Gnat*), in ejus Opp. Nec sine voluptate illud facile perlegas. Adeo mihi vel hoc

ipso corruptelæ dictionis et sententiæ plurimæ. Aliter itaque in his carminibus instituenda fuit opera mea, quam in superioribus voluminibus, quum in interpretationis subtilitate major studii nostri pars versaretur. Nunc enim ea fere tota ad criticas animadversiones, lectionemque constituendam vel emendandam, transferenda erat. Propositum itaque velim hoc volumen adolescentibus, qui in critico studio exercere ingenia volunt, tanquam campum, in quo lusus hujus ingenui periculum aliquod faciant, aut gustum saltem sibi comparent: ut tamen nec, uno et altero ludentis ingenii successu et laude exultantes vel vanitate blanda tumentes, in hac studii parte subsistant, omnemque literarum bonarum laudem et fructum in una conjectandi et voces sonosque variandi calliditate positum arbitrati, majora et graviora consilia, quæ in legendis scriptoribus Classicis proposita esse debent, negligant, mox etiam contemnant, se emendandis iis natos rati, quorum nec sententias, res, et doctrinas assequuntur, nec elegantiæ ac præstantiæ sensum et judicium rectum habent. Atqui critices studium subsidiarium esse debebat, haud primarium.

Ceterum, antequam lectionis originem et progressum ad emendationem satis accurate cognoscere liceret, mihi molestiæ in hoc et sequentibus carminibus enarrandis devorandæ fuere plurimæ, eæque maximæ. Nunc satis mihi liquet Culicem statim in editione principe vulgatum, inde in multis aliis editionibus repetitum, vix tamen criticam manum esse expertum ante P. Bembum. Nam in Domitii Calderini, Pomponii Sabini, et Badii Ascensii commentariis præter vulgarem varietatem nihil occurrit, quod ad emendationem poetæ faciat. Bembus autem præter alte-

exemplo patuit, quanto expeditius esset poetam carmine vernaculo reddere, quam verba subtiliter interpretari. Nihil enim vetabat sententias integras summatim efferre ejusve partes in quemcunque placeret sensum deflectere, aut verba corrupta aptis et idoneis permutare.

rum illum codicem, qui totum Virgilium complectebatur, codicem perantiquum adhibuit, truncum tamen et mutilatum, quippe cui, præter *juvenilis ludi* libellum et Bucolica ac Georgicorum primi libri partem, nihil supererat (conf. de Virgilii codd. Mss. s. VIII). Liber autem ille juvenilis ludi continebat *Culicem, Diras, Copam, Est et Non, Virum bonum, Moretum, Rosas.* Hæc ipse Bembus exposuit in Dialogo *de Culice et Terentii fabulis*, in quo ex codice illo Culicem recensuit. Exiit ille liber primum an. 1530 apud fratres Sabbios Venetiis: quum ex eo codice recensio minorum carminum Virgilii dudum facta esset ab Asulano. Aldus enim, in epistola ad P. Bembum editioni 1514 Naugerii auxilio emendatæ præfixa, *Virgilii lusus, quos Bembus correctissimos habeat, tunc se editurum esse promittit, quum ab eo acceperit*, quod futurum putabat brevi; verum morte præventus fidem non exsolvit Aldus; perfecit tamen Asulanus, qui 1517 *Diversorum poetarum in Priapum lusus, P. V. M. Catalecta, Copam, Rosas, Culicem, Diras, Moretum, Ciris*, etc. edidit, emendata a se, ut ait, collatis pluribus exemplaribus. In hac Culicis recensione Bembini codicis lectio in multis locis recepta est, nec tamen in omnibus, quæ Bembus mox ex codice suo constituisse videri voluit. Repetita illa est in ædibus hæredum Aldi et Andreæ soceri 1534, mutatis tamen passim lectionibus, inprimis in Ciri; ut adeo triplex sit Aldina recensio; primo antiquior nec emendata ed. Ald. 1505; altera 1517; et tertia 1534. Quæ passim a me excitatur tanquam melioris lectionis fundus, media est anni 1517. Aldinam non vidi qui ante oculos haberet, præter Ge. Fabricium, qui alia et ipse emendasse, aut aliorum emendationem admisisse videtur. Heinsius tractavit tertiam. Sed Bembina castigatio a multis recepta est, inprimis Venetis et Antwerpiensibus. Comparavit mox veterem membranam, seu excerpta P. Pithœi, et aliam Ant. Contii jurisconsulti membranam, etiam editiones veteres, Jose-

phus Scaliger, idemque emendationes adjecit plurimas, doctas utique, sed raro ulla ingenii vel dictionis ac numeri facilitate se probantes. P. Pithœus, qui haud multo post Scaligerum Epigrammata et Poematia vetera edidit, hactenus non nihil in Culicem et Ciri contulisse videri debet, quod in eo lectiones occurrunt nonnullæ, quas apud alios non observavi. Scaligeranas emendationes sine delectu recepit omnes Taubmannus, qui Culicem commentario instruxit, sed qui totus ex Scaligeri opibus aliisque eruditis copiis, imprimis Barthii, qui Advers. lib. XX, 13 et 19. XXI, 3 et 9 et 18 et 20 et 23 Culicem emaculare voluit, consarcinatus est; qui enim ingenio suo in jocis lusibusque adeo indulgere narratus est, Taubmannus, in re critica et perspiciendo sensu nec ingenio nec judicio suo ipse aliquid tribuisse videtur; adeo totus ex aliorum acumine pendet. Bembina hinc lectio e Scaligerana emendatione passim interpolari cœpit; idque diversorum virorum doctorum opera. Nam et in Heinsianis ac Burmannianis editionibus satis inconstanter multa expressa esse vidi. Quum in priore editione, quoniam per totum Maronem hoc secutus eram, lectionem editionis Burmannianæ majoris, quam in nonnullis ab Heinsiana, etiam a minore Burmanni 1704, discrepare vidi, retinuissem; in nova hac recensione paullo licentius versatus sum in lectione mutanda, quoties ratione satis idonea id me facere arbitrarer. Iis enim instructus eram copiis, ut aliquid mihi hac in opera sumere possem. Nam præterquam quod lectionis origines investigaveram, ad manus erant tum edd. veteres, quæ antiquam lectionem habebant (1), tum Bembinæ lectionis auctoritas cum reliquis edd., in quibus emendatus est Culex vel tentatus. Habueram jam in priore editione variam lectionem, quam e codice suo excerptam mi-

(1) Excussi editiones, Vicentinam 1479, et Venet. 1486, Venet. 1482, Venet. 1484, Norimb. 1492, Venet. 1495, Ed. sine loco et a. Culicis et aliorum minorum Carminum.

serat ad me Jo. Ge. Gu. Kœhler, alteram codicis Helmstadiensis an. 1450 exarati mihi obtulerat Wernsdorfii, viri doctissimi et humanissimi, benevolentia. In nova hac recensione ad manum fuere schedæ Jo. Schraderi cum descriptis ab eo schedis Nic. Heinsii, cujus sagacitatem in poetis emendandis nemo alius æquavit (1). Nolui tamen ea, quæ elegantius ille refinxerat, obtrudere indoctis grammaticis interpolatoribus, quorum fraudes hunc eundem virum acutissimum tam parum odoratum esse sæpius miratus sum. Omnino valde diversa inter se habenda sunt: restituere veteris poetæ lectionem etiam haud bonam, si haud bonus est; et, poetam refingere, minusque probis substituere meliora. Hoc non critici est, sed judicis.

Extant adhuc passim in bibliothecis, inprimis in Regia Parisiensi, codices, qui poematia illa minora, quæ sub Virgilii nomine venire solent, modo plura, modo pauciora, interdum Moretum tantum, aut aliud carmen, exhibent. Quos codices si excussos, saltem inspectos a viris doctis, qui ea loca adeunt, audivero, multo magis lætabor, quam si tot vulgares libros, qui Æneidem, Georgica, et Eclogas habent, quorumque comparatione vix ullus fructus ad illa carmina expectari potest, in medium proferri videam. Nisi enim, in codicum inspectione et usu, judicio sano et recto utaris; nullum facile esse potest aliud studium tam jejunum, futile et liberali homine vix dignum, quam hoc, quod in excutiendis librariæ inertiæ quisquiliis collocari solet.

(1) Edidit nuper (1766) *H. Frisemannus* V. C. *Collectanea critica*, in quibus Cirin et Culicem exprimi curavit cum conjecturis nonnullis Jo. Schraderi magistri sui, quas ad marginem libri adnotatas ab oblivione vindicare voluit; adjecit quoque ex eodem libro lectiones variantes in Cir. cod. Basileensis, in Cul. Petav. et Vos. Quum mihi pleniores Schraderi schedæ obtigissent, multa licuit diligentius constituere; et, quæ Heinsii essent, sejungere ac discernere.

P. VIRGILII MARONIS

CULEX

AD OCTAVIUM[1].

ARGUMENTUM.

Pastor gregem mane in pascua eductum sub medium diem ad fontem in agro Thebano sub Cithærone (conf. ad v. 108) compulerat, qui erat in valle silvosa: ipse juxta fontem recubuit et obdormivit — 160. Ecce magnus serpens, ex hydrorum genere, in locis, quæ circa fontem erant, paludosis æstum levare solitus, advolvitur, et pastori iratus imminet — 180; quum forte fortuna, Culicis aculeo in oculi angulo infixo, expergefactus ex somno pastor manu ad vulnus delata miserum Culicem attritu interimit, vigilantibus autem oculis prospiciens serpentem sibi minantem adspicit. Itaque exilit, et arrepto trunco serpentem trucidat — 200. Nocte sequente Culicis umbra pastori se per somnum offert, graviterque cum eo expostulat, quod se, qui ei salutis auctor fuisset, manus afflictu vita privasset — 230. Tum exponit errores suos per loca infera, sede certa nondum assignata — 383. Pastor altero die, ut Culici officium persolveret, tumulum ei exstruit variis floribus fruticibusque consitum et titulo ornatum — ad finem.

Videtur autem hoc, etsi diserte poeta non exposuit, eo consilio fecisse, ut ad sedem certam in locis inferis admitteretur umbra Culicis: ad eum morem, quo sine tumuli honore nec aliæ umbræ Stygem tranare posse creditæ sunt.

Quum difficultates, quæ in hoc carmine occurrunt, lectionis fere depravatæ stribligini debeantur: plerorumque locorum enodatio ex Variarum Lectionum expositione erit petenda.

(1) Petaviano codici præscripta erant hæc: « Poetarum sapientissimi, P. V. M. « condiscipuli Octaviani Cæsaris Augusti mundi Imperatoris, juvenalis ludi libel- « lus. Incipit Culex. »

Exordium usque ad v. 40 continuatur. Exposito argumento, Phœbum, Musas, et Palem, tum Octavium invocat : quem puerum appellat, cujusque nondum res ullas gestas, quas commemorare posset, habuisse videtur. Octavianum Cæsarem vulgo intelligi video ; perperam utique. Quum ei primum commendatus est Maro a Mæcenate, non jam *Octavius* erat, sed *Cæsar Octavianus ;* nec *puer*, sed *juvenis*, ut in Ecl. I. Nec huc faciunt, quæ de usu vocis *pueri* disputari solent. Videtur esse Octavius, cujus in Catalectis n. XIV mentio fit ; nec tamen constat, sitne idem, qui ap. Horat. *Octavius optimus.* Nisi Statius cum Martiale et Suetonio Culicis Virgiliani jam meminissent, Octavii nomen fraudem fecisse grammaticis dicerem, ut ad Maronem auctorem carmen referrent.

Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia ;
Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum.
Lusimus : hæc propter Culicis sint carmina dicta.
Omnis ut historiæ per ludum consonet ordo
Notitiæ, ducam voces ; licet invidus adsit.

2. *f. usum* Ms. Helmst., et *ursum* scripti Petav. et Voss. ap. Heins., *struere orsus* ap. Plin. XI, 10, in nonnullis codd. — 3. *hac propter* Scaliger malebat ; nil refert. *sint* a Bembo est ; antea *sunt*. Nic. Heins. conj. *Lusimus hæc propere ; Culici sic c. d.* Voss. et Petav. *docta*. — 4. 5. partim ex Scaligeri emendatione, partim aliunde constituta lectio. Vulgata, quam Badius et Taubmann. cum Barthio frustra conantur interpretari, in vett. edd. erat : *Omnis et h..... c. o. Notitiæque ducum voces ;* nec Bembus quicquam mutavit, nisi quod *Omnis ut* correxit. Legebatur quidem in nonnullis *Nutritæ :* etiam *Nutrices :* sed hoc interpolatum ex vitiosa lectione : *Notitræque* pro *Notitiæque*. In quibus quum sententia idonea non occurreret, Scaliger emendabat : *Omnis ut historiæ proludens consonet ordo Notitiæ, ducam vocem licet ; invidus absit.* Emendatio dura et coacta, et cujus sensum ipse vix satis habet quomodo exponat : *ut omnis ordo historiæ notitiæ consonet, ducam vocem. Deducam vocem in re tam tenui et humili, ut stilus conveniat materiæ.* Et *proludens* quidem ms. Pithœi habebat, sed quo sensu? ah pro, *ludens?* Quanto vero melius *per ludum :* cui adscriptum forte glossema (*pro ludens*) arripuit librarius Pithœani exemplaris. *Notitiæ historiæ* jungit Scaliger, ut sit pro *historicæ*, ut tot alia apud poetas occurrunt. *ducere vocem* ut, *ducere filum*. Barthius Advers. XXX, 24, et XIX, 13 miro acumine *Notitiæ pecudum voces* legere

1. *gracili Thalia* prava imitatione dictum ex illo ; *gracili avena, tenui carmine.* At comparatio, ab araneæ texturam ordientis conatu petita, suavis.

4. 5. *ut omnis ordo notitiæ historiæ*, pro historicæ, *consonet per ludum*, ego *ducam voces*, hoc est, deducam, canam. Sed vide Variæ Lectiones.

Quisquis erit culpare jocos Musamque paratus,
Pondere vel Culicis levior famaque feretur.
Posterius graviore sono tibi Musa loquetur
Nostra, dabunt quum securos mihi tempora fructus;
Ut tibi digna tuo poliantur carmina sensu.
Latonæ magnique decus Jovis aurea proles,
Phœbus, erit nostri princeps et carminis auctor,
Et recinente lyra fautor: sive educat illum

suadebat. Sed nec hic nec in ceteris quicquam profecit. Heins. *adducam vocem licet;* ut sit *edducere vocem*, contrarium *remittere*. Mihi quidem de hoc loco ita videtur. Quum totum hoc exordium satis jejunum sit, interpolatum quoque illud est a v. 3 ad 7, in quibus nihil est, quod non ineptum versificatorem redoleat. Nec tamen interpolatio profecta ab una manu: nam vs. 5 ab homine, inscito prorsus, insertus videtur; a doctiore vss. 3. 4 *Lusimus: hæc propter Culicis sint carmina dicta, Omnis* ut *historiæ per ludum consonet ordo;* h. e. Quum lusus hoc esse debeat carmen, nomen quoque imposui ludicrum Culicis, *ut omnis historiæ ordo*, h. tota narratio, *consonet per ludum*, h. ludicra sit, ipso quoque titulo. His adscripsit indoctus homo barbare versu 5 prorsus ejiciendo: *Notitiam ducunt voces*, pro: dant voces, nomina, tituli, notitiam, scil. rei, quæ tractatur. Hæc prave scripta ab aliis: *Notitiã ducũ voces;* unde vulgaris lectio enata; hinc ex seqq. expletus versus: *licet invidus adsit*. Dubito vero omnino, an ante versum 41 quicquam sit, quod a Marone profectum esse dixeris. — 7. *feratur* mavult Scalig. et Heins. — 8. *Post erit, ut grav.... loquatur* emendat Heinsius. *Posterius* tamen apud Lucret. quoque occurrit. *g. sono Musaque* ms. Helmst. — 9. *Dicta* Voss. *dabunt quum securos mihi tempora fructus*. Invita Minerva scriptus versus. Significare voluit *fructus ingenii, studii, otii;* quibus conveniret *maturos;* quod et Heins. conj. *dabunt quum maturos mihi* (vel *sua*) *tempora fructus*. Nisi forte scriptum fuit: *securos.... portus;* sic secessus et otia Musarum contubernio exacta appellant poetæ. — 10. *Ut te d. suo* Voss. *Ut mihi* cod. Kœleri; sed *tibi* in margine. *digna tuo* a Bembo emendatum. Vulgo: *dignato. digna nato spoliantur* Petav. *d. suos poliant ut* Voss., unde *Et tibi digna suos poliant ut carmina census* em. Heins., ut *census* sit ut Quinctil. Decl. XIII, 9 *vagari tu nolles apes, in opus exire, et ad quotidianum* censum laboris assidui *non detrectare militiam?* Verum nihil in his est, quod sponte fluere dixeris. — 11. Scabra verborum junctura: cui succurri poterat: *Latonæ decus, et magni Jovis aurea proles;* vel *Latone magnum decus, et Jovis aurea proles*. Heins. em. *L. magnique adeo Jovis* Idem: « *Jovis decus* scripti. Lege *Jovis genus*. » Pompon. Sabin. laudat: *Latonæ et Jovis a. p.* — 12. 13 Languent hæc, sed poetæ forte culpa. *Phœbus erit;* quidni *Phœbus adest. recanente* Scaliger e libb. reponi vult. *Atque canente* Kœl. ms., sed et *recinente* in marg. *educet* ms. Helmstad. *educat* Pompon. Sab. « puto, intelligi colat; quod enim colimus, fama, observatione, et veneratione nutrimus. » Commodior poetæ ad manum erat ratio: *seu detinet illum* Jacobs conj. *sive occupat i.* Heins. conj.

13. *educat*, debet esse pro tenet, habet; ut *nutrire*, τρέφειν, φέρεσθαι. dictum ex imitatione loci Æneid. lib. X, 518 *totidem quos educat Ufens, viventes rapit. Alma Chimæreo Xanthus perfusa liquore.*

Alma Chimæreo Xanthus perfusa liquore;
Seu nemus Asteriæ; seu qua Parnassia rupes
Hinc atque hinc patula præpandit cornua fronte,
Castaliæque sonans liquido pede labitur unda.
Quare, Pierii laticis decus, ite, sorores

Te recinente lyra: sive altrix e.; haud dubie tersius, an vere, non dicam. — 14. *Xanthus* e Bembi emendatione; antea: *Xanthi.* Sic *alma* de Latona accipiebant. At Scaliger hoc idem *Xanthi* revocabat, et urbs subintelligebat, scilicet, ne ullus facile versus in hoc poematio scabritie sua careret. Lectum quoque *Luna* Badius testatur. Heins. videtur conjecisse *cruore;* ut adeo cogitaret de Chimæra cæsa in istis locis a Bellerophonte. Etiam in Voss. est *Xanthi,* et inf. 304 *Et Simois Xanthique liquor* (ibi tamen de Scamandro). Unde Jo. Schrader. emendabat: *Alma Chimæra sui Xanthi perfusa liquore.* Vix tamen Apollinem ad Chimæram montem referas. Poterant advocare Antonin. Lib. 35; ubi Apollinem et Dianam amne Xantho abluit Latona: ἀφίκετο εἰς Λυκίαν, ἐπιῤῥομένη τοὺς παῖδας ἐπὶ τὰ λουτρὰ τοῦ Ξάνθου. — 15. *Seu nemus Asteriæ.* Etiam hoc a Bembo. Vulgo: *decus astrigeri,* quod de Sole accipiebant; alii, et in his Voss. cum Petav., *decus astrigeri* vel *astrigerum:* quod Pompon. Sab. interpretatur. Scaliger ait, *omnes antiquitus excusos* habere *astriferum;* quod verum non est: quinque enim, quas in manibus habemus, vett. edd. *astrigeri* exhibent: quod eidem in Contii libro occurrebat, et Petav. *astriferum* vel *astrigeri.* Idem conj. *Seu specus æstriferum,* ut intelligatur specus Delphicum; sed mox tuetur *decus astriferum;* perperam utique: agitur enim de locis, quæ Phœbus frequentat: Xantho, Delo, Parnasso. Delum autem per Asteriam declarari, obvia res est. Heins. tentabat: *Seu specus Asteriæ;* vel *Seu lesqua A.* — 16. *prætendit* mavult Scalig. e ms. Pithœi. Sed *præpandere* est Lucretianum. v. Wakefield ad Lucret. I, 145. — 17. Ante Bembum: *liquido prælabitur.* Tum Scaliger e ms. Pithœi mavult: *Castalia et resonans.* — 18. 19. Supposititios versus esse arbitror: alienos utique a sententia. *P. ne-*

Xanthus urbs Lyciæ, Apollini sacra, cum tota Lycia; nec multum aberat Latonæ templum, τὸ Λητῷον, nobile, v. Strab. XIV, p. 981 B. C., situm cum urbe ad fl. Xanthum; unde h. l. *Xanthus perfusa liquore Chimæreo:* hoc est, urbs, quam alluit amnis Xanthus. Sane is quidem in monte Chimæra, quæ pars Cragi fuisse et ad mare pertinuisse videtur, ortum habere vix potuit. Itaque ad geographicam subtilitatem poeta h. l. non revocandus; sed latius Chimæram, partem montis, pro toto montis tractu et jugis, dictam esse putandum est.

15. *nemus Asteriæ.* Delus, vetere nomine. v. Callimach. in Del. 36. 37. Plin. IV, s. 23.

15. 16. Parnassus mons longe procurrit versus septemtrionem, donec cum Œtæis jugis continuatur. v. Strab. IX, p. 638 B. Sed auctor partem montis versus meridiem in theatri modum patentem describere voluit. Ib. p. 640 A. τὸ δὲ νότιον (αὐτοῦ μέρος κατέχουσιν) οἱ Δελφοὶ πετρῶδες χωρίον, θεατροειδές, κατὰ κορυφὴν ἔχον τὸ μαντεῖον καὶ τὴν πόλιν. Subjecta erat camporum planities versus mare declivis, qua ludi Pythici habebantur.

18. *sorores Naides,* h. l. Musæ. Ad 20. 21. v. Var. Lect. Si legi-

Naides, et celebrate deum plaudente chorea.
Et tibi, sancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agrestum bona cura, sequi sit cura tenentis
Aereos nemorum tractus silvasque virentes;
Te cultrice, vagus saltus feror inter et astra.

moris Voss. *ite* pro venite. *Naiades* pars vett. edd. Sic saltem deb. *Vos quoque, P.... ite.... Naiades celebrare deum. ludente* ante Bemb. etiam in Ald — 20 — 23. Fœde hæc corrupta; nisi forte, quod suspicor, totus locus ab interpolatore, haud uno, profectus est. Expressa est lectio Bembina. Antea uno versu extruso lectum: *Et tu s. P. ad quam ventura recurrunt Agrestum bona, secura sit cura canentis. Aerios nemorum saltus feror inter et astra.* Primum video in Aldina vett. poet. Jus. 1517.... *se cura sit cura tenentum Aerios nemorum cultus silvasque virentis, Te cultrice vagus saltus feror inter et astra.* Nec aliter in seqq. Ven. ut Junt. 1532, nisi quod correctum est: *secure sit cura canentis.* Petav. et Voss. *A. bona cura sequi secura tenentes.* Videbimus de singulis: *Et tu, s.* præfero: quod et Voss. habet. *ad quam ventura recurrunt Agrestum bona:* quandoquidem pecudum et frugum ejus cura provenientium primitiæ ei libantur. *venturæ herbæ, ventura lana,* apud poetas occurrunt. v. Barth. Advers. XIX, 13. Præstat tamen sic: *ad quam ventura recurrit Agrestum fetura,* quo alii libri ducunt, etiam Voss. Sequentia possint forte sic constitui: *tibi sit cura canentis Aerios nemorum tractus* (pro altis, editis, non damno) *silvasque virentes Te cultrice* (o Pales, ut juncta illa sint: *virentes Te c.*) *vagus saltus feror inter et antra.* Nam *astra* sensum idoneum non habent; sed poeta, per nemorum recessus vagatus, fertur *inter saltus et antra.* Scaliger e membrana Pithœi probabat:

Et tu, sancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agrestum bona sors cura secura, tenes quæ
Herbiferos saltus nemorum silvasque virentes,
Te tutrice vagus s. f.

Aliam item membranam eandem lectionem habere, quamquam paullo depravatiorem, testatur. *tenes quom* antiquitus fuit exaratum in Pith. Omnia in his dura sunt. *bona sors* debet esse copia lactis, proventus lactis, quia est pastoralis dea; ea sors *secura ab omni cura* dicta, quia sine omni cura ac labore illam percipiunt pastores. Probat hæc Barthius Advers. XIX, 13, nisi quod v. 21 *curæ secura* scribi jubet. — 20. *ventura.* Kœler. ms. in marg. *veritura,* et v. 21 *fetura sit cura tenentum,* v. 22 *A. n. saltus,* et in marg. *cultus,* quod et Voss. ms. habet; et v. 23 *inter et arva.* In ms. Helmst. corruptiora erant: *Et tuscam palem ad quam: ventura recurrunt agrestum dona vobis sit cura retentum.* In v. 21 Heins. conj. *bona turba;* et v. 22 *saltus feror inter et arva* vel *antra,* hoc bene, etiam *vagos saltus,*

mus: *Et tibi, sancta Pales, ad quam ventura recurrit Agrestum fetura, sequi sit cura tenenti* — sententia est: etiam tu adsis, o Pales, sit tibi cura sequendi Naidas, tibi, quæ tenes saltus.... et paullo ante: *ad quam recurrit,* reddit, cui mandata est, *fetura agrestum,* fetus pecudum, quas agrestes pascunt.

23. *te cultrice,* dum tu colis nemora et silvas, sed saltus, h. e. pascua, vagor ego *inter,* per, *saltus* et *antra,* ut legendum.

At tu, cui meritis oritur fiducia chartis,
Octavi venerande, meis adlabere cœptis,
Sancte puer: tibi namque canit non pagina bellum,
Phlegra Giganteo sparsa est quo sanguine tellus;
Nec Centaureos Lapithas conpellit in ensis;
Urit Erichthonias Oriens non ignibus arces;

quod non probo. In alteris schedis varie tentat: *ad quam votura recurrit agrestum bona turba, sequi sit cura canentem.* Item: *ad quam votiva recurrit agrestum fetura.* Naso III Am. 13 *Accipit ara preces votivaque tura piorum:* sic *votiva chori* Stat. Theb. IV, 209. Iterum: *sequi cui cura tenes quæ Herbiferos tractus nemorum.* Jo. Schrader. ap. Frisem. *Et tu, s. P. ad quam votiva recurrit agrestum, bona diva, frequens fetura, tenetque.* — 24. *At* Bemb. *Et* Aldina et al. *castris* ms. Contii et Petav., ex vitio scripturæ ortum, ut in Helmst. *castis.* Eadem varietas, *castris* et *chartis*, est ap. Tibull. IV, 1, 39. Attamen; recte, ait Scaliger: *Tu qui, ut veteres loquebantur, belli clues.* Hoc et durum per se et a loco alienum. Octavium invocat, cui jam laudum meritarum copia fiduciam facere potest, ut poetæ tutelam suscipiat. *chartæ* pro carminibus, ut apud Tibull. IV, 1 aliquoties. *cui m. teritur fiducia* emendabat Barthius Advers. XIX, 13, parum venuste. *meritis f. tantis* Aldina 1517 et hinc Ge. Fabric., quod malim poetam dedisse, tanquam luculentius. Et potest ex prava scriptura certæ ætatis ex *tatis* factum esse *cartis.* — 26. *Sancte puer;* nemo reprehendat dictum ex usu Romanorum. *tibi:* præstabat *mihi:* quod et Jo. Schrader. malebat. Mirum lectionis monstrum ms. Contii, idem Kœler. ms. cum Petav. et Thuan., habebat: *Triste Jovis ponitque canit non p. b.;* unde Scaliger non dubitanter legebat: *Triste Jovis Pœnique canit non pagina bellum.* Sed ipse dubitat, *Jovis bellum* sitne Capitolium a bello obsessum, an Giganteum. *Punicum bellum* autem prorsus a loco alienum; jungitur enim: *Pœni bellum, Phlegra* G. Barthius Advers. XIX, 13 emendabat *T. Jovis Otique* ex v. 233, unde felicior subnata Taubmanni conjectura: *Triste Jovis Rhœcique canit non p. b.* Nomen Rhœci Gigantis notum. cf. sup. Var. Lect. ad Ge. II, 456. *Triste Jovis Cœique* Jo. Schrader. conj., laudato Lucan. IV, 596, et Propert. III, 7, 47, Hein. *Triste Jovis mihi namque cănit non p. b.*, aut f. *canet* et *compellet*, et *uret*: Idem mox conj. *compellit in Ossan:* quod alienum. Porro v. 27 *Phlegra tellus* offendit Jo. Schraderum, qui emendabat, *Feta G.* cf. Not.

24. At tu, qui jam meritus es carmina, Octavi, ades mihi.

26. Namque nec Gigantomachiam, nec pugnam Lapitharum cum Centauris, nec bellum Persicum cantare aggredior: verum argumentum leve ac humile, in quo, ne ausis excidam, minor metus esse debet. Nec obscura autem illa ratio, ut, quæ poeta canit, ea in actum producat verbis: *nec compellit. nec Oriens urit* etc. conf. Eclog. VI, 62.

27. *Phlegra, tellus,* apposita; pro vulgari: Phlegræa tellus, quæ etiam Pallene. Sic flumen Metaurum, terra Gallia. conf. Scalig. et Taubm., it. Barth. Advers. XIX, 13. — 28. *enses Centaureos* dixit improprie, arma; debebat saxa et stipites memorare.

29 sq. Novum hoc, quod poeta extra fabulas veteres argumentum carminis quærit, et ex historiis petit, h. l. belli Medici. Primum in Propertio talia ex historiis, he-

Non perfossus Athos, nec magno vincula Ponto
Jacta, meo quærent jam sera volumine famam;
Non Hellespontus pedibus pulsatus equorum,
Græcia quum timuit venientis undique Persas:
Mollia sed tenui percurrere carmina versu,
Viribus apta suis, Phœbo duce, ludere gaudet.
Et tu, sancte puer, venerabilis, et tibi certet
Gloria perpetuum lucis mansura per ævum;
Et tibi sede pia maneat locus, et tibi sospes
Debita felicis memoretur vita per annos,

31. *Jacta* emendatum a Bembo. Vulgo *Lecta*. Pinciana 1505 *Lacta*. Petav. ms. *Læta;* unde Heins. conj. *Lata*, a ferendo. — 33. *non timuit* Pompon. Sab. habuit in suo: sicque ms. Kœler. — 34. *Mollia sed tenui pede currere carmina versu* legebatur. *versum* Voss. Imbecillus versus, quem frustra Barthius recreare volebat interpunctione Advers. XX, 19; Heins. *decurrere*, s. *decurrens* emendabat; vel cum Scaligero, *percurrere carmina*, ut *percurrere telas pectine;* idque verum esse censeo. Nisi totus versus v. 34 obelo transfigendus, et in antec. versu *currunt* scribendum est. *gaudet*, scil. pagina ex vs. 26. — 35. *Vs acta suis* ms. Kœler. *Phœbo duce;* interserit *et*, Heinsius, cui antea adstipulabar. Nec tamen necesse esse video. — 36. *Et tu, sancte puer, venerabilis, et t.* Bembina lectio. Vulgo: *Hoc tibi* (Pompon. Sab. *Et tibi*), *sancte puer, mortalibus*, et amplectebatur fere hoc Barthius Advers. XX, 19, ut esset *Sancte mortalibus puer semper manebis*. Satis jejune! Alii, etiam Ald., *Hoc tibi s. p. memorabile, sic t.* Ms. Pithœi cum Contii libro: *Et tibi s. p. memorabitur: et t. c.* Mireris Scaligerum hæc referre ad morem apprecandi inter pocula. *En tibi s. p. memorabitur* amplectebatur Heins. *memorabilis* ms. Kœler. cum Petav. et Voss. Suspicor fuisse: *Et tu, sancte puer, memorabere: sic tibi certet Gloria*, h. Etiam tu olim memoraberis carminibus etc., sequente poetica asseveratione: *Sic.* Saltem hæc elegantior est ratio aliis, in quas facile quisque incidat. Nunc video Jo. Schraderum quoque conj. *Et tu, s. p. memoraberis; et.* Vossium autem olim: *Huc tu, s. p. memor adsis; et.* — 37. *certet.... mansura* puto dictum ornate ad Græcam formam, pro permaneat, perseveranter maneat. Malim tamen vel sic: *Sic tibi cedat Gloria* h. veniat, contingat: mox *mansura* sequente statim *maneat* parum nitet. Melius forte *victura*. Sed talia quis præstat a versificatore hoc esse profecta? *ævum lucis* vix bene dictum pro lucis, vitæ, fatali termino; an *dulcis* fuit? sc. gloria: *perpetuum lucens* ante Bembum lectum: quod jam prælatum est a Scaligero. In *lucis* quærebat vocem *culicis* Barth. Advers. XX, 19. Heins. conj. *et sibi perstet Gloria;* et v. 37 *sæcli* pro lucis. At apponitur fama post mortem v. 38. — 39. *Didita* conj. Heins. *memoretur* molestum est, etiam ad sensum. Lego: *numeretur*. Vita sospes tibi debita numeretur per annos felices.

roum vita serioribus, occurrere memini. Athenas a Persis crematas vs. 29 quis nescit? item pontem a Xerxe Hellesponto impositum, vinculaque et flagra admota.

36.... 40. Etiam Octavium ali-

Grata bonis lucens : sed nos ad cœpta feramur.
Igneus æthereas jam Sol penetrarat in arcis,
Candidaque aurato quatiebat lumina curru;
Crinibus et roseis tenebras Aurora fugarat;
Propulit ut stabulis ad pabula læta capellas
Pastor, et excelsi montis juga summa petivit,
Lucida qua patulos velabant gramina collis;
Jam silvis dumisque, vagæ jam vallibus abdunt
Corpora; jamque omni celeres e parte vagantes

40. *lucens* etiam codd. Petav. et Voss. Ante Bembum *liceat* legebatur. *bonis lucens* ex Æschyleo : ἀγαθοῖς φλέγουσα, illustrat Scaliger. Ergo] copulandum erit :.... *vita*.... *Grata, bonis lucens*, h. affluens; vel *grata* erit pro adverbio, ut *gratum lucens*. Heins conj. *bonis Musis;* vel *Grata bonis : Ludi sed nos ad cœpta feramur*. Sed totus versus interpolatrici manui debetur cum reliquis antecedentibus. — 41. Pro *æthereas* ms. Pithœi : *etneas*, unde Scaliger finxit : *Œteas;* docte utique; v. ad Ecl. VIII, 30. conf. inf. 201 et Cirin v. 350 et Intpp. ad Senec. Herc. fur. 132, nisi Pithœanam lectionem ex compendio vocis ortam probabile fieret. *Ætnæas* etiam ms. Kœler. — 42. *limina* in edd. Fabric., prave. *quatere lumina*, h. l. radios emittere, spargere, esse videtur : etsi hæc ipsa malim. Verum etiam in Ciri 350 *lux ubi diem quatiebat*. Contra *quatere equos, currum;* ut infra quoque 201. Wakef. ad Lucret. IV, 406 elegantiorem poeticæ dictionis formulam, ab aliis non intellectam, esse pronuntiat; esse enim ac si lampada « concuteret. » Heins. conj. *culmina* vel *limina;* si tamen jam in altum Sol evectus erat : *limina* aliena sunt. — 43. *fugabat* edd. ante Bemb. Sed totus versus tanquam insititius delendus. Est appicta in margine variatio superioris. Inepte quoque auroræ mentio subjicitur, sole jam in altum evecto; et, an ejus *crines*, iique *rosci*, ad poeticum morem spectent, non teneo. Præstaret utique *Ignibus*. — 44. *Protulit* edd. vett. *Propulit ut st.* Heins. emendavit recte. Vulgo *et;* tum *ad pascua* ms. Kœler. — 46. *Luridum* etiam de pallore dici bene memini : nec tamen in re grata et jucunda. Exc. Pithœi : *Humida*, quod verum esse arbitror, ex *Umida*. Heins. conj. *Uvida*, etiam bene. Jo. Schrader. *Herbida*. Ms. Cont. *Lucida*, quod probabat Scaliger, scil. propter rorem. Laudat Heins. Lucret. II, 319 *Nam sæpe in colli*.... *Invitant herbæ gemmantes rore recenti*, et Calpurn. V, 54 *Frida nocturno tinguuntur pascua rore, et matutinæ lucent in gramine guttæ*. Pro *tinguntur* mavult *tanguntur;* ut apud Ovid. in Fast. *tactæ rore queruntur aves*. Et paullo ante v. 52 *Humida dulces Sufficit herba cibos*. Lindenbruch conj. *Plurima qua*. In fine versus in membranis Pithœi erat quoque *flores* pro *colles*, perperam. — 47. Heins. conj. *cavis jam vallibus*. — 48. *celeres*. Heins. conj. *jamque alacres omni de p.;* alteris schedis *certatim e p.* : felicius Jo. Schrader. *omni nemoris de p.*

quando celebratum iri ait : se versibus corruptis et interpolatis.

47 sqq. Luxuries ornamentorum in capellis pascendis facile offendat etiam minus morosum. Laudat Taubmann. locum e Colum. VII, 6, unde hæc omnia expressa videri possint. Sed in similia rerum phantasmata quivis facile poeta incideret, etiam Columella non lecto.

Scrupea desertæ perrepunt ad cava rupis.
Tondentur tenero viridantia gramina morsu,
Pendula projectis carpuntur et arbuta ramis,
Densaque virgultis avide labrusca petuntur.
Hæc suspensa rapit carpente cacumina morsu
Vel salicis lentæ, vel quæ nova nascitur alnus;
Hæc teneras fruticum sentes rimatur; at illa
Inminet in rivi præstantis imaginis undam.
O bona pastoris, si quis non pauperis usum

49. *Scrupea desertæ perrepunt ad cava rupis.* Est hæc Bembina lectio. Edd. vett. ante Bembum cum Voss. habebant: *desertas hærebant ad cava rupes.* Ms. Kœler. *desertis hærebat*, et in marg. *errabant.* Scaliger e ms. Contii probabat: *desertis hærebant ad cava rupis.* Hærere enim et pendere capras. Nec aliter Barth. XX, 19. Sed et *repere*, ac *perrepere* propria caprarum sunt. cf. inf. 103. *p. avia rupis* conj. Heins., etiam in Adversar. p. 51. Jo. Schrader. *ardua, devia.* — 50. *Tondebant* edd. vett. Eædem cum codd. Voss. et Petav. hunc versum ante v. 49 collocabant: minus scite. Mox *tenero.... morsu.* Offendit, quod versus abhinc tertius iterum in *morsu* exit. Promtum erat *tenero dente* substituere. Erythræus apud Taubmann. *mansu* legit, quod a *mandendo* finxit. — 52. *labrusca.* Mire corrupta fuit hæc vox in Julii Pomponii libris: *vel brusta.* Addit ille: « Brustum « arbor est, quæ ad ornamentum mensarum secatur: meminit Plin. lib. 16. Alibi « invenio *bruscum* esse genus arboris. » Sed et apud Plin. XVI, 16, s. 27 *bruscum* est tuber aceris: alienum ab h. l. Jam *labrusca petita est:* ms. Helmst. ad vocis communiorem formam: ut Ecl. V, 7. At vulgata defenditur a Nonio, qui hunc versum laudavit. vid. sup. Procemii pr. — 53. *Hæc suspensa* recte jungit Taubm. ipsa erigens se capella. Olim male: *Nec s.* Sed displicet *carpente* post *carpuntur* et *morsu* post v. 50. Jo. Schrader. conj. *rodente m.* Wakef. Silv. crit. P. III, p. 119 *cupiente.* quod non præferam. — 54. Heins. malebat: *vel qua;* aut: *vel, quæ n. pascitur, alni.* Voss. *Hæc s.* et *pascitur a.* — 55. *sentes;* quidni *frondes?* Heins. conj. *teneræ fruticem sentis;* vid. Calpurn. Ecl. V (versum quem respiciat, non reperio). *sentes ruminatur* ms. Kœler. — 56. Nimis horret versus, si *unda rivi præstantis imaginis* dicta esse debet: itaque eum corruptum esse nullus dubito. Ita quoque Scaligero visum, qui legebat: *Imminet irrigui præstanti,* vel *properanti marginis undæ:* in quo facilitatem ingenii et versus non minus desideres. Refingerem saltem sic: *prætenti* vel *prætexti marginis.* Sed suavior multo est vulgaris lectio, modo si *imaginis umbram* legas poetice pro imagine in rivo visa: in hanc illa desuper e ripa imminet, prospectando. In *præstantis* videtur latere *prostans* aut ipsa aut ripa. Nam *prostans* prominens, ut *prostans angulus* apud Lucretium, *prostans rupes.* Jam *ex rivi unda* ms. Helmst. Possit sic refingi: *Imminet e ripa prostante in imaginis umbram:* nisi malis *prostans in i.* Heins. conj. *in vivi*, vel *irrigui, præstantes marginis*, vel *graminis, undas.* In altera scheda: « *Im-* « *minet irrigui præstantis* (vel *properantis*) *imaginis umbra.* In Catalectis Epigr. de « Narcisso :.... *Cernis ab irriguo repetentem gramine ripas, Ut per quas periit cres-* « *cere possit aquas;* » memorat quoque Pontan. ad Macrob. II, 9. Wakef. l. l. em. *Imminet in rivum præstringens marginis umbram.* quæ non satis assequor. — 57. Cum nobili loco Gc. II, 458 sqq. ea, quæ sequuntur, convenire, vix monere

Mente prius docta fastidiat, et probet illis
Omnia luxuriæ pretiis incognita curis,
Quæ lacerant avidas inimico pectore mentes. 60
Si non Assyrio fuerint bis lauta colore,
Attalicis opibus data, vellera; si nitor auri
Sub laqueare domus animum non tangit avarum;

opus est. *si qui* vett. edd. *pauperis* non habet, quo referatur; nam *pastoris pauperis* jungere vix licet, et *usum* quo retrahas, nisi forte ad *bona*, non habeas. Conjicio *rei* olim, non *prius*, fuisse, *usum pauperis rei. pauper res* non insolens poetis. Compendium scripturæ errorem peperit. Heins. conj. *si quis non paupere ab usu Mente minus docta fastidiat;* contra poetæ mentem. Nec minus Jo. Schrader. *pauperis usu.* — 58. *et probet: illi* pars edd. vett. cum commento Ascensii. *et probet illic,* apud pastores, Scaliger emendabat. Ex vetere lectione verba sic procedunt: *O bona pastoris, si quis non pauperis usum Mente rei docta fastidiat et probet! illi Omnia* (scil. sunt) *lux. pr.* Verum etiam hæc *et probet* ex interpretatione irrepsisse videntur; quale tamen verbum antea exciderit, nemo facile divinando assequatur. Expleri locus potest, v. c. sic: *si quis non pauperis usum Mente prius docta ruris* (l. *tuguri*), *fastidiat: illi* etc. — 59. Versum non satis sincerum esse arguit structura et ordo verborum impeditior: *si quis probet Omnia incognita curis illis,* h. a curis vacua, *pretiis luxuriæ, quæ* (curæ) *lacerant* etc. *Curæ* adeo, quæ luxuriam comitantur, *luxuriæ pretia* dicuntur, quibus illa emitur et paratur. Heins. comparat *Victum luxuriæ* ap. Petron. ex sua lectione. *spretis i. curis* legebat ms. Kœler. et Voss.; ita curis luxuriæ spretis omnia illi sunt incognita, quæ etc. Omitto ea, quæ invita Minerva ad h. l. protulit Barth. Advers. XX, 19. Scaliger pro *pretiis* emendabat *pravis,* idque vetere membrana confirmari testatur; mox tamen Pithœanæ membranæ lectionem præfert: *et probet illis* (aut potius *illic*) *Omnia luxuriæ pretiis incognita,* vitans *Quæ lacerant avidas i. p. curas.* Interpolationem tam jejunam viro docto probari potuisse miror. Heins. conj. *et probet ullis O. luxuriæ pr. i. caræ;* et in alteris schedis: *ruri;* Jo. Schrader. *caris.* Equidem præfero veterem scripturam *illi,* et ante eam interpungo: *illi Omnia luxuriæ pretiis incognita curis Quæ,* h. e. illi omnia sunt incognita, quæ lacerant mentes curis, luxuriæ pretiis. — 60. *inimico fœnore* l. *fœdere* l. *pignore* conj. Jo. Schrader. — 61. *fuerunt* conj. Jo. Schrader. et *fulgent.* — 62. *Attalicis ovibus* conj. Heins., ut alias, Milesiis, puto. — 63. *Sublaqueare* una voce male scriptum ante Ge. Fabric. et Scalig. cf. *Æn.* I, 726. *domos* vett. edd. constanter, cum Voss. et Petav., quod et defendit Jul. Pompon., ut antiqua forma sit, quam Augustus quoque probavit; tum *tangit,* h. movet, delectat, est lectio Bembina: vett. edd., etiam Ald., *angit;* malim vero interpungere: *si nitor auri avarum Pic-*

61. sqq. Locus ornatissimus et Virgiliana dictione dignus. Color orationis: *Si non.... At* passim et alibi occurrit, et in ipso loco, quocum hæc conveniunt, Ge. II, 461 sqq. Lucret. II, 24 sqq. *Si* (ei) *non fuerint vellera, bis lauta colore Assyrio* (dibapha. v. Plin. IX, 39, s. 63) *data* (comparata, emta) *Attalicis opibus* (ingenti pretio: quippe cum ea purpura in libras denariis mille non posset emi; *ib.*). Nam *data* vetat, quominus ad ipsam texturam locus revocetur, etsi non exciderit animo Plinii locus: *Aurum intexere invenit Attalus rex;*

Picturæque decus, lapidum nec fulgor in ulla
Cognitus utilitate manet; nec pocula gratum
Alconis referent Boëtique toreuma; nec Indi
Conchea bacca maris pretio est: at pectore puro
Sæpe super tenero prosternit gramine corpus;
Florida quum tellus gemmantis picta per herbas
Vere notat dulci distincta coloribus arva;
Atque illum, calamo lætum recinente palustri,
Otiaque invidia degentem ac fraude remota,

turæque decus: lapidum nec f. Alia ratione Jul. Pompon. *picturæ lapidum*, inquit, propter imagines marmoreas. — 64. *in ulla U. cognitus. f. ab ulla.* — 65. *Igneus* pro *Cognitus* emendat Heins. Advers. IV, 8, quod improbabat Jo. Schrader. ad Musæum p. 250. In schedis Heinsius aliud proponit: *Conditus:* ita *Condita vestis* et *supellex* Columellæ XII, 3. Ovidius: *Conditus ut tineæ carpitur ore liber.* Ita et h. l. de gemmis abscondidis. Improbat autem *Cognitus*, quia *incognita* præcesserat. Pro *manet* probabile fit fuisse *movet.* Etiam Jo. Schrader. sic conj. *nec poc. grata* ms. Kœler. et Helmst. *nec poc. Graium toreuma* conj. Heins. et Markland. ad Stat. p. 92. — 66. *referent;* quidni *referunt?* At *Bœti* si verum est, ignavum poetam serioris ævi prodit. *Boëthus* est, Βοηθὸς, qui binis syllabis efferri bene nequit. — 67. *præsto est* Heins., ingeniose. *pretio est a pectore puro:* ante Bembum; et mox: *Sæpe s. t. procumbunt g. c.* Alterum hoc *prosternit* ex emendatione legi ait Ascensius. — 69. *gemmatis* Voss. — 70. *dulci* ex P. Bembi codice profectum est. Nam *dulcis* edd. vett., ut Ven. 1484. 1486. Ascensianæ: *pulchris.* Scaliger in vet. schedis invenerat mire interpolatum: *Vere notat duris distincta ligonibus arva;* et *dulcis*, in marg. *dubiis.* ms. Kœler. *Vere novo dubiis* Voss. Tum *notat distincta* est pro simplici, *distinguit arva coloribus*, h. floribus, *per herbas gemmantes*, scil. rore. Heins. conj. *novat*, ut v. 409 *Et quoscunque novant vernantia tempora flores;* et ap. Ovid. de P. II, 4, 4 *Oblectat cultu terra novata suo.* — 71. *thalamo.... palustri;* qs. ex arundinibus, ante Bembum vett. edd., etiam Ascens. In iisdem *retinente.* Utrumque præstare judicabat Barth. XX, 16. Scaliger e membrana Contii emendat: *recanente*, ut jam fecerat v. 13. Sic et Voss. — 72.

unde nomen Attalicis. — 64. *lapidum fulgorem*, h. lapides fulgentes, ad marmorum polituram et picturam musivariam referre jubet cum Barth. XX, 19 Taubmann., quia de gemmis mox demum v. 67 agatur. Ibi tamen uniones commemorantur, non gemmæ. Porro *manet cognitus* debet esse dictum pro, *cognitus est*, ut sit: *si nec fulgor lapidum*, gemmarum, inter res utiles ab ipso refertur, cognitus ipsi est ullius utilitatis esse: sed v. Var. Lect. Variat autem id, quod simpliciter erat: si non habet purpuram, aurum, gemmas etc. — 66. *Alcon* Myleus, statuarius et cælator apud Ovid. Met. XIII, 683. 684 (etsi hic ad fabulosa Annii, qui Deli rex et sacerdos erat, retrahitur) et Plin. XXXIV, 41, s. 40 occurrit. *Bœthus* paullo notior est inter cælatores. vid. XXXIII, 12, s. 55. *toreuma* proprie de opere extante, anaglypho, est accipiendum.

71...74. Ille sub umbra culis viteis

Pollentemque sibi, viridi cum palmite ludens
Tmolia pampineo subter coma velat amictu.
Illi sunt gratæ rorantes lacte capellæ,
Et nemus, et fecunda Pales, et vallibus imis
Semper opaca novis manantia fontibus antra.
Quis magis optato queat esse beatior ævo,
Quam qui mente procul pura sensuque probando
Non avidas agnovit opes; non tristia bella,
Nec funesta timet validæ certamina classis;
Non, spoliis dum sancta deum fulgentibus ornet
Templa, vel evectus finem transcendat habendi,

Otiaque in vita d. fraude remota vett. edd. apud Barth. Advers. XX, 19. — 73. 74 Expectabam cum Heins. et Jo. Schrader.: *Pollentemque sui*, Ut *potens* sui, qui in potestate sua est, nec a rebus externis fortunæque casibus pendet. Mox vulgo *lucens*. At *ludens* Scalig. ex vet. ms.; ludens, a flatu venti scilicet. Heins. conj. *nubens Ulmea p.*, ut, *ulmus marita*, nimis ingeniose. *Vitea* a Bembo illatum: antea vulgo lectum: *Mollia*, quod Ascensius explicat, molliter. Emendatum *Tmolia* a Scalig. e libro. Ita tamen jam ante Scaligerum lectum est. Nam extat *Tmolia* in Julii Pomponii interpretatione; tum in ed. Aldina minor. carm., hinc in edd. Ven. 1541. 1558, edd. Fabric. etc., idque haud dubie verum: quis Tmolum nescit? v. Ge. II, 98. Sententiam autem nolim ad corollam pampineam, sed ad umbraculum viteum, referre, sub quo sedens agricola frigus captat. Scilicet coma Tmolia, cum palmite pampineo, velat eum subter amictu purpureo, (umbraculo) ludens. Heins. pro *velat* conj. *celat*. — 75. *gravidæ roranti l. c.* conj. Heins. — 76. *Et Venus* ant. edd. ante Bemb., sed illa dea aliena est ab h. l. *Et pecus* conj. Jo. Schrader., sed id latet in *nemore*. *et f. palus* ms. apud Scalig., prave: et miror Taubmannum illud recepisse. Tandem in fine versus *et vallibus intus* bini codd. Scaligeri, qui, ut solet, archaismum amplectitur: idem e scheda Pithœi laudat: *et mollis Iacchus*; haud dubie ex interpolatione, etsi Barthius id amplectitur Advers. XXI, 3. *et valle sub ima* malit Heins., quod sane politius. Mox 77 *Semper novis* jungit Taubm. Malim quod in promtu est: *Semper opaca antra*. Sunt enim *novi fontes*, vivi, perennes. — 78. *Qui* Scaliger ex uno cod. et vett. edd. profert. *magis beatior* pro alterutro, *beatior*, vel *magis beatus*: parum accurate. Sed exempla congerunt plura Scalig. et Taubm., etiam ex Aristophane: τίς γὰρ γένοιτο μᾶλλον ὀλβιώτερος. Quidni tamen jungas: *ævo magis optato*; vita feliciore. Heins. emend. *optando*. — 79. *puras* et *sensus* vett. edd. *mente potens* conj. Heins., item: *censuque probando*. Sed omnino versus est mali commatis. Voluit, qui lusit, dicere: dum procul se continet, mentemque puram et sensum probandum, animi propositum rectum servat, non *agnovit* opes, non appetit. — 80. *nec tr.* Voss. cum vett. edd. *agnoscit* Voss. *non avidas inhiavit opes* Heins. præclare conj., laudatque ex Prudentio in Psychom. *pretiosi ponderis axem Defixis inhians obtutibus* cum al. ex. — 81. *Nec f. tenet* vett. edd., et *valida*. — 82....84.

lætus et *ludens* otium fallit cantu.
82.... 84. Qui non caput discrimini pugnæ objicit, *dum ornet*, h. e. eo consilio, ut hostium spo-

Adversum sævis ultro caput hostibus offert.
Illi falce deus colitur, non arte, politus;
Ille colit lucos; illi, Panchaia tura,
Floribus agrestes herbæ variantibus, adsunt;
Illi dulcis adest requies, et pura voluptas,
Libera, simplicibus curis: huc inminet, omnis
Dirigit huc sensus, hæc cura est subdita cordi,
Quolibet ut requie victu contentus abundet,
Jucundoque liget languentia corpora somno.
O pecudes, o Panes, et o gratissima Tempe

Non sp. a Bembo esse videtur. Vett. edd. *Quo;* nec male: *Quo, quorsum, dum.... ultro caput hostibus offert?* Male eædem v. 83 *nec* pro *vel*, et *transcendit:* et v. 84 *Aversum* et *sociis* pro *sævis.* At *ornet* refinxi, ut conveniat cum *transcendat:* pro *ornat.* — 85. *fuste* pro *falce* ed. Fabric., nescio unde. Sane *falx* omnino pro quocunque γλυφίδι scalpello, accipienda, nec res exemplo caret. Laudat Tauhm. Martial. VI, 73 *rudis indocta fecit me falce colonus.* — 86. *Panchaica* legebatur. *Panchaia* exquisitior forma in vett. edd., etiam in Ald. et in Petav. De re v. Georg. II, 139: IV, 379. — 87. *viridantibus* em. Wakef. e Lucret. II, 33. Mihi videbantur *variantes flores* colore esse ποικίλοι. αἰόλοι. *herbis* vett. edd. *herbas* edd. Ascens. Sensus autem: agricolis sunt herbæ florentes, quæ turis pretiosi vicem sustineant. Sed vss. 86. 87 et plerosque e seqq. usque ad v. 105 ab alia, etsi indocta, manu assutos esse suspicor. — 89. Distinxi post *Libera*, ut jam Barthius Adversar. XXI, 3 factu opus esse monuerat: tum *voluptas* simplicium curarum, seu *curis simplicibus*, quales vita simplex affert, non impeditas, graves, ærumnosas. *supplicibus curis* Behot. Apoph. II, 4. *Liberaque, implicitus c. huc i.* Pontan. ad Macrob. VII, 4, et Heins. *Libera ab implicitis c.*, ut inf. *Hoc minus implicuit dira formidine mentem.* Jo. Schraderus: *sollicitis curis*, vel *Liberat implacidis c.* l. *implicitum curis.* Porro *huic i.* Aldina et edd. Ascens. et Fabric. *huc mittit et o. Dirigit huc s.* Scalig. ms., et sic Casaub. ad Pers. p. 269. — 91. *Quolibet ut requie victu contentus abundet* Bembina est lectio: quum Aldina *Qualibet ut requie* dedisset. Ordo verborum est in duriore hac junctura: *Ut, quolibet victu contentus abundet requie.* Vett. edd. *Qualibet ut requie motus contemptor abundet, Qualibet requie* probavit quoque Scaliger: quod parum placet. *requiem* Petav. Voss. *victus contentus* Fabric. edd. Tandem Scaliger conj. *Quolibet ut requies* (pro *requietus*) *victu contentus abundet.* Heins. in *Quolibet* quærebat *vili*, unde factum *quili:* mox inde comminiscitur *tenui victu*, hocque multis exemplis illustrat. Enimvero, *tenuem victum* frugalitatis notam habere posse nemo dubitet; de versu quæritur; voluitne; *Quolibet ut tenui victu c. a.* Mox idem tentat: *Qualibet ut specie vultus* (f. *cultus*) *c. a.* — 92. *Hirundoque liget* et in marg. *domet* ms. Kœler. *liget* etiam Thuan. et Petav. et Voss., in hoc superscriptum *licet.* Heinsius conj. *levet.* Antea vulgatum *locet.* — 93.... 96. *quarum cultu*, quas co-

liis, manubiis, templa deorum ornet, vel magnas et immodicas opes e præda sibi paret. Respicit militiam, quæ illa ætate inter artes et vias divitiarum parandarum erat. vid. Tibull. lib. I, Eleg. 1 pr.

Fontis Hamadryadum; quarum non divite cultu
Æmulus Ascræo pastor sibi quisque poetæ
Securam placido traducit pectore vitam.
Talibus in studiis baculo dum nixus apricas
Pastor agit curas, et dum non arte canora
Conpacta solitum modulatur arundine carmen;
Tendit inevectus radios Hyperionis ardor,

lendo, *non divite*, sine impensa et sumtu, adeoque sine opibus et divitiis, *pastor quisque traducit vitam*. etc. *Æmulus Ascræo poetæ*, h. exemplo vatis Hesiodi, cf. Theogon. v. 22. 23. *O pecus o* vett. edd. *Fontis Hamadryadum* ab indocto poeta esset: quid enim Hamadryasi cum fonte? Heins. conj. *Frondis H.*, sed et hoc jejunum. Idem emendat *quorum*. At J. Schrader. inter plura alia: *gr. Tempe Fontibus, ac Dryades*, vel *Naisin ac Dryasin*. cf. v. 115. Comparat quoque Ovid. Met. VI, 451 sq. de Philomela. Porro Voss. et Petav. *poeta, traducis*. In fine v. 96 vett. edd. fere *curam*, perperam. *vitam* recte Bembus dedit. Forte simili exemplo emendes Tibulli illud: *At mea paupertas vitam traducat inertem*. Verum vix digni versus, in quibus unguem arrodas: sunt haud dubie interpolatoris. — 97. sqq. Superiores interpretes ea, quæ sequuntur, ad pastorem, de quo carmen hoc agit, retulerant. Vidit et monuit Scaliger annectenda hæc esse laudibus, quæ præcesserant, vitæ rusticæ, et accipienda universe de pastore, qualem illa vita habet. Vir doctissimus tamen in hoc non substitit, sed refinxit quoque locum sic: *O pecudes.... pastor.... Securam placido* traduxit *pectore vitam* Dulcibus *in studiis. baculo dum nixus apricas* Lætus *agit curas*. Bene et hoc. Nec tamen vulgata displicet: Dum *Pastor agit curas*, occupatus est, *talibus in studiis*, quæ modo descripserat et iterum describit vss. 98. 99. Curas an putes dictas *apricas*, quatenus sub dio agit, in campo, gregem pascendo? quia ipse *apricus* (quod et in Voss. legitur). Jo. Schrader. in schedis conj. *baculo.... agresti*, ut Ovid. Met. XV, 655 *baculumque tenens agreste sinistra*. Heins. tentabat *P. agit choreas*, l. *pecudes* l. *capras*; hoc saltem ferri potest. Etiam Jo. Schrader. in hoc inciderat. — 99. *solidum carmen;* integrum explicat Ascensius, nullis modulis comtum, adeo rusticum, Barthius Advers. XXI, 3. nulla ægritudine contaminatum Scaliger; scilicet, ut *gaudium solidum*. Sed ista dura, hoc longe petitum, dum nihil adsit, quod ad ærumnas revocet animum. Saltem debet esse carmen, quod ab exordio ad finem ab otioso homine decantatur. Dubito nullus a poeta profectum esse *solitum* carmen: et nunc ita video in edd. Fabric. esse excusum. Id modulatur pastor *non arte canora*, h. e. inconditum, ut Ascens. At Heins. malit *canoro* cum Petav. et *nulla arte*. — 100. Hic magnam versuum transpositionem Scaliger induxit, multum adjutus, inquit, scheda vetere. Collocat post v. 99 versus, qui infra sequuntur, 152. 146. 147. 144. 145. 148. 149. 150. 151. 155. 153. 154. 156. Tum 100. 101. 102. 103 sqq., sed hos ipsos versus admodum immutatos exhibet, ut apponere eos necesse sit:

98 ..... *et dum non arte canora*
Compacta solidum modulatur arundine carmen,

97.... 105. Inter delicias has vitæ rusticæ dum pastor *baculo nixus*, et *solitum modulans carmen* tempus canendo fallit, ad meridiem sole progresso, in umbram compellit gregem.

Lucidaque æthereo ponit discrimina mundo,
Qua jacit Oceanum flammas in utrumque rapaces.
Et jam conpellente vagæ pastore capellæ
Ima susurrantis repebant ad vada lymphæ,

Quem circa fessæ passim cubuere capellæ.
His superat gelidis manans e fontibus unda,
Quæ levibus placidum rivis sonet orta liquorem.
At volucres patulis residentes dulcia ramis
Carmina per varios edunt resonantia cantus.
Hinc illi geminas avium vox obstrepit aures.
Hinc querulas referunt voces, quæ nantia lime
Corpora linfa fovet. Sonitus alit aeris Echo.
Argutis et culta fremunt ardore cicadis.
Seu libet ad fontem densa requiescere in umbra
Excelsis supra dumis: quos leviter afflans
Aura susurrantis possit confundere venti:
Anxius insidiis nullis, et lentus in herbis
Concipit hic mitem projectus membra soporem,
Tendit ut evectus radios H.

Si tali transpositione lucidior ordo sententiarum et lenior verborum junctura inferretur: minus haberem, quod conatum simílem retundendum putarem. Sed vulgarem, fateor, ordinem multo minus, meo sensu, esse molestum. — 100. *Tendit inevectus* Aldinæ deberi videtur; nam Bembus e cod. suo proferebat *Tendit in evectos;* sed recte alterum revocarunt sequentes editores. *Tendit et evectus* edd. vett. *Tendit ut* Scaliger emendabat. *T. humo evectus* Heins. conj. Redit idem voc. *inevectus* pro simplici, *evectus*, infra v. 340 *Iret inevectus cælum super*. Tum alius poeta forte maluisset *inevecti Hyperionis*. — 101. *ponit*. Jo. Schrader. ap. Frisemann. *promit* vix bene. — 102. *Dum jacit* vett. edd., et *capaces*, quod Domitius quoque et Ascens. interpretantur. Conjiciebam *rapaces*, quod probat Wakef. ad Lucret. V, 398, ubi *rapax vix Solis equorum*. Accipienda verba de Sole in medio cæli convexo constituto: solis *ardor tendit*, intendit, radios, *et ponit mundo discrimina lucida*, h. discrimen lucis, cælum in duas partes discriminat, quatenus versus Orientem et Occidentem radios æqua lance dispergit. Laudat Taubmannus post Barthium illud Statii Theb. V, 85 *Sol operum medius summo librabat Olympo Lucentes, ceu staret, equos*, et Lucani notum versum: *cum cardine summo Stat librata dies*. Durior est Barthii interpretatio, qui *ponit*, perdit, discrimina accipit, quum pari spatio ab utroque fine distet. — 103. Interpolatio in seqq. est manifesta: bis eadem memorantur. Probabilius tamen fit 106. 107. 108 a seriore manu accessisse. — 104. *Lene susurrantis* conj. Jo. Schrader. *repetebant ad vada* legebatur ubique: per archaismum dictum videri posse, Scaliger judicabat. Sed idem mox melius subjicit: *repebant ad vada*. Nec de eo dubitandum censeo. Nam ineptus homo v. 49 *perrepunt ad cava*, ante oculos habuit. Miro conatu Barth. Advers. XXX, 24 conj. *repedabant* Noniana voce. Melius Heins. *reptabant* (Nunc Wakefield ad Lucret. VI, 1278. ubi ei voc. *repedavit* restituit, eandemque Horatio obtrudit Carm. I, 37, 24 *Classe cita repedavit oras*, et adstruxit vocis antiquatæ usum pro *recedere*, ex Pacuvio, Juvenco, S. Damaso, Fortunato, pergit: « Nec dubito quin Barthius verissime restituerit.... *repedabant ad vada lymphæ;* quamvis inscitissime sannis excipiat emendationem Heynius, ipse vicissim deridendus, nisi sit nulla seges Nonianarum dictionum in Virgilio. »)

Quæ subter viridem residebant cærula muscum.
Jam medias operum partis evectus erat Sol;
Quum densas pastor pecudes cogebat in umbras;
Et procul adspexit luco residere virenti,
Delia diva, tuo: quo quondam victa furore
Venit Nyctelium fugiens Cadmeis Agave

Vides etiam inter Britannos esse criticos, qui Centaurorum more pugno et stipite res gerunt! — 105. *residebant.* Pro hoc facile est conjicere *resonabant*, aut potius *resonabat*, sc. lympha. Heins. scribit: *Quæ subter viridem saliebat garrula muscum.* Inf. 389 *Rivum propter aquæ viridi sub fronde latentem.* Ovid. II Fast. *Garrulus in primo limite rivus erat.* Sen. Hippol. 5111 *Garrulique gramen secuere rivi.* Calpurn. IV, 2 *Quidve sub hac platano, quam garrulus adstrepit humor.* Prudent. Psychom. *Fons patribus de rupe datus, quem mystica virga Elicuit scissi salientem vertice saxi.* Lucret. II, 30 *Propter aquæ rivum sub ramis arboris altæ.* Quorsum has opes allatas esse dicemus? aquam *garrulam* et *salientem* bene dici, nemo sanus dubitet; fatearis quoque versum factum esse meliorem; enimvero an vetus poeta ita scripserit, nullo modo probatum hinc est. — 106. *operum:* pro, operis, viæ emetiendæ; ut modo ex Statio vidimus ad v. 102, quasi opus diurnum Sol expleret. Heins. conj. *æthræ in partes.* At Jo. Schrader. *oper. part. emensus.* — 107. *densas.... in umbras:* f. *densis in umbris.* Heins. *densa in umbra.* — 108. Satis turbata hæc. *Ut* nihil habet, quod sequatur. *Ut procul adspexit* conj. Nodell. Not. crit. p. 80 in quod et ipse incideram, parum tamen confidens conjecturæ. Vett. edd. *Et procul adspexit*, hoc itaque revocavi; non tamen ac si locum sic sanatum putarem; quis enim adspexit? et quid adspexit? Solne pastorem? an pastor gregem? hoc præfero: *adspexit pastor*, prospexit, *pecudes residere*, cubare, *in luco tuo*, o Diana. Suspicor tamen insertos esse vss. 106. 107. 108 et fuisse: *Et jam.... muscum, Luco, Diva, tuo, quo.* Barthius XXI, 9 emendabat: *Et procul* accessit. Jam vss. 108 sqq. locum, quo Culicis argumentum actum est, accuratius describit: est is lucus Bœotiæ, Dianæ sacer, idem ille, quo Penthei cæde peracta mater Agave bacchata pervenerat; adeoque sub Cithærone. cf. Ovid. Met. III, 702. Hic multa desiderari, et forte cantum pastoris recenseri putabat Heinsius. Immo vero multorum laciniæ in unum locum congestæ sunt, quæ inter se parum sunt conglutinatæ.—110. *Nyctileum fugiens.* Immo vero *Nyctelium f.*, h. Bacchum. Verum hoc esse negat Scaliger; non enim fugiebat Bacchum Agave, quem non offenderat, quum ejus ministra esset: sed hoc, inquit, poeta vult: in eum lucum, in quem Agave, victa furore Bacchi, metuens pœnam, hoc est, ἄγος, quod imminebat ejus posteritati propter interfectum Pentheum, confugerat, compulisse pastorem pecudes suas. Itaque sic legit: .... *quo quondam victa furore Venit Nyctilei, fugiens Cadmeis Agave Posterius pœnam natis e morte futuram;* versum itaque, ut vides, 113 retraxit. Mihi nec hæc, nec alia Scaligeri trajectio versuum placet. *Fugere deum, fugere Bacchum*, commode satis dictum est de Θεολήπτοις quos premit, urget, deus, ut vates, quæ *bacchatur*, *magnum*

108. Lucum sub Cithærone monte describit Dianæ sacrum: in quem casu pastor gregem compulit, prospiciens in umbra recubantes pecudes in luco tuo, o Diana; in quem quondam venit Agave, Cadmi filia, e Bacchico furore resipiscens Pentheo filio laniato.

Infandas scelerata manus e cæde cruenta,
Quæ gelidis bacchata jugis requievit in antro;
Posterius pœnam gnati se morte futuram.
Hic etiam viridi ludentes Panes in herba,
Et Satyri Dryadesque choros egere puellæ
Naiadum cœtu. Tantum non Orpheus Hebrum
Restantem tenuit ripis silvasque canendo,
Quantum te, Peneu, remorantem Dia chorea,

si pectore possit Excussisse deum; inprimis de Bacchis, quæ furore actæ discurrunt, ac si liberare se a furore velint. In hanc sententiam jam Barthium inclinasse ex Taubm. disco: etsi nec eo confugere necesse videtur. Cognito enim scelere interemti materna manu nati *abhorrens sacra Bacchica* Agave Nyctelium fugiens in solitudinem secessit, ut mœrori indulgeret. *furorem Nyctelium* conj. Heins. — 111. *et cæde* c. vett. edd. et codd., quasi esset *et cruenta* ex *cæde*. — 112. *Quo g.* em. Heins. *Ogygiis b. j.* Jo. Schrader., docte. — 113. Versus in edd. Fabrie, sic est emendatus: *Posterius pœnam gnati de morte datura.* Heins. conj. *Post verita et pœnas nati se morte daturam.* Sed totum versum una cum antecedente ejiciendum arbitror tanquam supposititium. In ms. Helmst. subjectus erat versui 119. — 116. *cœtus* vulgg., nonnullæ etiam Ald. cum ms. Helmstad. Puto fuisse: *Naiadum et cœtus.* Nam paullo durius *cum* suppletur. *horridus* pro *Orpheus* Aldina et edd. Fabric. cum ms. Helmst. et Petav. cum Voss. Heins. conj. *Non tantum OEagrius H.* vel, *tantum haud Rhodopeius H.* Idem jungit *Naiadum cœtu non tanto.* Sane *Orpheus* trisyllabum esse, ut *Pentheus*, et in Catalectis Pith. p. 31 *Theseus*; verum Virgilio vix licuisse esse tam audaci. *silvasque sonantes* Jo. Schrader. em. — 117. *rivis* ms. Contian. perpetua variatione: unde tamen Scaliger refingit: *rivis silvisque canendo.* Mihi vulgata suavior procedit: *non Orpheus canendo tantum tenuit Hebrum, ripis restantem* (cursum intra ripas sustinentem), *silvasque:* h. delectavit Hebrum silvasque. Etsi totus hic locus, et is qui sequitur, ex variorum versificatorum symbolis coaluisse videri debet. — 118. Hic versus contaminatus (a Παγσὸς esset Παγσὶ), quod et vidit elegans carminum judex Jo. Schraderus Emendatt. Præf. pag. XXI, XXII. conf. ad Georg. IV, 355. Hactenus facile succurras: *Penee, morantem.* At idem hic versus alienus prorsus est a tota sententia. Si in Bœotia res geritur, non Peneus delectari potuit chorea Nympharum: sin in Thessaliam rejicias carminis argumentum, aliena sunt quæ v. 108. sqq. de Agave narrantur, etiamsi cum Jano Parrhasio in Quæsitis per Epist. pag. 51 Lucani locum (lib. VI, 355.... 359) huc advoces: nam ex eo nihil constitui potest, quum poeta ipse parum docte loquatur. Afferre voluit medicinam huic versui Scaliger. Apponam verba: « Quia paullo ante, inquit, dixerat, *tantum non Orpheus*, putarunt hic ἀντανάκλασιν deesse; ita hic *Quantum* posue-

114. sqq. Iterum luxuriatur, seu poeta seu interpolatoris ingenium in describendo luco et antro, quo pastor consedit. Alia aliorum poetarum lusibus aucta. De singulis vide Var. Lect. Comparari potest similis arborum enumeratio apud Ovidium, Metamorph. libro X, 86. seq. in cantu Orphei: quem locum auctor hujus emblematis ante oculos habuisse videri potest.

118. *Si* pro *Peneu*, legitur ex

Multa tibi læto fundentes gaudia vultu,
Ipsa loci natura, domum resonante susurro,
Quis dabat, et dulci fessas refovebat in umbra.
Nam primum prona surgebant valle patentes
Aereæ platanus: inter quas inpia lotos,
Inpia, quæ socios Ithaci mærentis abegit,

runt. Atqui legendum: *Non tam te, Peneu, remorata est Dia chorea.* » Altera versus parte carere possumus medicina, nam suppleri potest ex sup. *tenuit te remorantem.* Suspicatur autem sagacissimus vir, auctorem carminis instituisse vestigiis Catulli in Pelei et Thetidis nuptiis (vss. 285.v.. 293). Tamen ne sic quidem versus tres sequentes commodam orationem subjiciunt. *Quantum te, Pentheu*, conj. Heins., nullo cum fructu. In vett. edd. pro *Dia* invenio *Diva* et *Dive*, in aliis *choreæ*, et in margine pro *Peneu, pastor*, ex viri cujusdam docti emendatione, puto. Etiam *penu* pro *Peneu* plures edd. Venetæ servant; Aldina autem, et hinc Ge. Fabric., *Quantum te pernix remorantem diva chorea.* Atque hæc lectio tenenda, tanquam vera, et ex cujus corruptela importunus ille Peneus versum invasit; tantum non Orpheus cantu Hebrum silvasque tenuit, quantum te, o Luna (v. 109), tenuit chorea Nympharum: *Quantum te pernix remorantem, Diva, chorea.* Eandem fere lectionem ms. Kœler. quoque habebat: ms. Helmst. autem, *Qua te perpigra morantem diva corea.* Petav. *Quam te nigremorantem.* Voss. *Quam te per nigræ morantem*, meri librariorum stupores. *remorantur* em. Heins. Nodell. Not. crit. p. 80 conj. *pernox* chorea; ut παννύχιοι χοροὶ ap. Sophoclem. — 119. *Multa tuo lætæ f.* vett. edd. *tuo lætæ* (scil. choreæ) Ascens. et aliæ, quod et Heins. probat. *tuo latæ* Ald. Quam nunc habemus, Bembina est lectio: *chorea.... fundentes* nota synthesis. *tibi* int. Dianæ, Lunæ desuper adspicienti. *Multa tuo late f.* ed. Fabric. *tuæ lætæ f. g. luctu* Petav. Heins. conj. *fluctu.* Interpositi sunt ab alio vss. 116. 117. 118, et juncti erant: *puellæ Multa.* — 121. Hæc adhuc ad Naidas referenda. Importunum tamen *Quis:* ferrem saltem *His dabat.* Mox *in antro* Ald. — 122. *Nam primæ in p.* conj. Heins. *prona vallis*, ut ap. Catull. — 123. Recte hoc (Heinsium non probare miror) revocatum, Scaligero monente, et priscis edd. Ita quoque Bembus correxerat. Sed iterum illatum erat ex vett. edd., etiam Aldina: *Æriæ* platani. *inter quas* erat *impia lotos.* Sic et Petav. Saltem esse deb. *quas inter* et *i. l.* In marg. ed. Ven. Scoti notatum: alios legere: *Lotis*,

Aldina *pernix*, sensus est: Non tantum Orpheus cantu suo Hebrum, *quantum te, o Dia*, dea Diana, *chorea* Panum, Satyrorum et Dryadum voluptate audiendi videndique tenuit, gaudentium. Pro hoc: chorea fundens, et pro hoc, *fundentes gaudia, quis dabat* (quum iis daret ea gaudia) *ipsa loci natura.* Scabra tamen vel sic oratio. Vide var. lectiones.

124. *impia lotos, Impia, quæ;* nota figura Horatii exemplo jam a Scaligero notato: *Impiæ, nam quid p. m. Impiæ d.* Carm. III, 11, 30. 31, et Catull. LXIV, 404. 405. Impietas spectat haud dubie ad injuriam Ulyssi factam sociis retentis. *abegit*, scilicet ab Ulyssis navi, avocavit: intercessit loti suavitas, quo minus socii Ulyssis ad naves redirent (v. Odyss. librum I, 94 sqq.). Ceterum confudit poeta diversi generis lotos. Lotus illa

Hospita dum nimia tenuit dulcedine captos.
At, quibus insigni curru projectus equorum
Ambustus Phaethon luctu mutaverat artus,
Heliades teneris amplexæ brachia truncis
Candida fundebant tentis velamina ramis.
Posterius, cui Demophoon æterna reliquit
Perfidiam lamentandi mala, perfida multis:

quæ nympha fuit. Perperam. — 126. *Ac* malit Heins., et *ignipodum c. p. equorum.* — 127. *Ambustus Ph.* legendum, pro *Ambustos*, quod in oculos incurrit et Scaliger monuit. Et hoc idem e ms. Hemlst. notatum video. — 128. *amplexæ* passive accipit Taubm. Nec tamen vel sic expedio: *amplexæ brachia truncis.* Nonnus Dionys. II, 167 Εἶεν Ἡλιάδων καὶ ἐγὼ μία.... φιλοθρήνοις τε κορύμβοις Γείτονος αἰγείροιο περίπλοκα φύλλα πτελέσσω. Suspicor: *implexæ brachia*, h. habentes ramos truncis (vicinarum invicem populorum) implexos. Nec aliter Heins. conj. *teneris*, et in marg. *tentis* ms. Kœler. — 129. *pandebant* conj. Jo. Schrader., feliciter. *tentis* pro extentis. Sed facile incidit animus in *lentis*. Conjecit quoque Scaliger, et extat in edd. Fabric. Sed idem malebat: *lentis sudamina ramis*, ingeniose; nam electrum stillare populus dicta vid. Ovid. Met. II, 364 sq., verum sic *candida* parum commode appositum esset. Heins. conj. *concita f. lentis ululamina r.*, parum feliciter: nam de umbra arborum quæritur. — 130. 131. Misere corrupti versus nec sine libris facile sanandi, etsi unum et alterum conjectare licet: *Perfidiæ lamenta*, et latere *inultis* in *multis*; ita ut expleri possint reliqua: *dolis quum lusit inultis*, vel propius ad corruptam scripturam: *malis quæ flevit inultis.* Agi de amygdala, in quam Phyllis mutata fertur, seu quæcunque alia illa arbor fuit, obvium est. Sed primo loco monendum, in vett. edd. et codd. post v. 131 subjici alium: *perfide, multis,*

Perfide Demophoon, et nunc defende puellam, vel *puellis.* Tum varietas lectionis hæc fere est: in vett. edd. *Perfidia* legitur. Bembus reposuit *Perfidiam:* idem versum modo adscriptum ejecit. Probarem, si sententia integra sic absolveretur: quæ omnino sic nulla est, quantum video. Scaliger e vett. edd. laudat. *Perfida lamentandi mala*, et corrigit modo: *Perfida lamentandi diu mala*, ut sit

Ulyssis in Africa reperta non erat Bœotiæ domestica.

126.... 129. Populi arbores, vel alni (nam utrasque Virgilius agnoscit Ecl. VI, 62 et Æn. X, 190), in quas mutatæ Phaethontis sorores, Heliades, tanquam Solis ex Clymene filiæ. Factum ex luctu de fratris casu suscepto; unde posita: *Phaeton luctu iis mutaverat artus.* Mox v. 128. 129 hoc velle videtur poeta: populos illas sororias ita inter se condensatas situ fuisse, ut implicarent mutuo nexu ramos et umbracula facerent: *fundebant tentis ramis velamina* (ut vers. 74 *Tmolia pampineo subter coma velat amictu*) *candida*; scilicet populus alba est intelligenda. *amplexæ brachia truncis*, probabilius, *implexæ*. vide Var. Lect.

130. 131. Postea stabat arbos amygdala, in quam mutata fuit Phyllis Demophoontis perfidiam lamentata. Vide Ovidii Epist. 2; et Hyginum ad fabulam 59.

Quam comitabantur fatalia carmina quercus;
Quercus ante datæ, Cereris quam semina, vitæ:
Illas Triptolemi mutavit sulcus aristis.
Hic, magnum Argoæ navi decus, edita pinus
Proceras decorat silvas hirsuta per artus:
Adpetit aereis contingere montibus astra
Ilicis et nigræ species, et læta cupressus;

malum perfidum pro perfidia; modo: *Perfidiæ lamentandi mala:* neutrum feliciter. Reliqua, versu a Bembo ejecto iterum admisso, sic constituit: *perfide multis, Perfide Demophoon et nunc deflende puellis.* Sed unde de Demophoontis amoribus, iisque adhuc a puellis deflendis, constet, Scaliger vix habuit dicere; et tota sententia jejuna est; versus autem inepti versificatoris commentum, etsi etiam Barthius Advers. XXI, 9 sensum exculpere eumque defendere maluit. *et nunc defuncte puellis* ms. Helmst. *Post etiam*, vel, *Post vero, cui D.* em. Heins.; tum iterum: *Post, meritus cui Demophoon æterna reliquit Perfidiam lamentandi mala. Perfide, inultis, Perfide Demophoon et nunc deflende puellis.* Jo. Schrader. *Perfidiæ monumenta suæ mala.* Omnino suspicor primo unum tantum versum adscriptum fuisse: *Posterius, cui Demophoon lamenta reliquit. Quam* c. — 132. *fatali carmine* malit Heins. — 133. *quam semina, victu*, vel *quam semina, adultæ* conj. Heins. — 135. 136. Alter versus pro fulcro additus ab alio. *pinus edita*, h. excelsa (cf. inf. 170.), *hirsuta per artus, magnum decus Argoæ navi*, h. e. e qua Argo confecta et exornata fuit, *decorat silvas proceras;* nisi quod elegantius putem *Proceros.... hirsuta per artus:* hoc et Heinsio video probari. Scaligerum itaque mireris primum legere: *Proceras decorans s.*, tum mutata sententia: *Hic.... decorat silvas; hic suberis arbos Appetit a.* Male habuit virum optimum hiulca in seqq. oratio, sed ei medela in promtu est interpunctione: *Appetit a.... astra ilicis et nigræ.... cupressus.* De voc. *edita* adhuc monendum, falsam ejus acceptionem videri peperisse lectionem ed. Fabric. *addita*. Ita tamen etiam Heins. conj. et Jo. Schrader. Emendatt. p. 23. — 136. *hirsutaque taxus* ms. Kœler., sed non consentit vs. sequens. — 137. *Ac petit* em. Heinsius. *motibus* pro *montibus* emendat Scaliger; docte quidem, ut sit quod poetæ βλαθρὸν appellant (secundum illud Virgilii: Quantum *vere novo viridis se subjicit alnus*). Sed quis non præferat illud multo lenius et comtius; *aeriis frondibus*, quod et Heins. conj., vel *frontibus* vel *motibus*. Aldina et Fabric. edd. quoque: *conjungere.* — 138. *Ilicis species* pro periphrasi habendum, pro ilice simpliciter dicta. *series* tamen conj. Heins.; expectabam *vertex. læta cupressus* adversatur arboris naturæ et poetarum usui; nec Barthii defensio Advers. XXI, 9 bona est, ex eo petita, quod apud Aristænetum inter amœnas arbores ea recensetur. Gifanius apud Scaliger. con-

132.... 134. De quercu Dodonæa fatidica nota est fabula. *quercus carmina*, ex apposito, h. e. quæ carmen reddunt, vel e quibus carmen redditur; canoræ. *Carmen* adeo pro canente, vaticinium pro vate. cf. Taubm. *fatale* igitur, quia de oraculo. Glandes ante frugum sationem a Triptolemo monstratam meministi vel ex Ge. I, 7. 8. *mutavit*, permutavit. — 138. *Ilex nigra*, diversa a quercu, nunc cum cupresso juncta: novo more. — *Læta* de cupresso explicari nequit. vid. V. L.

Umbrosæque manent fagus, ederæque ligantes
Brachia, fraternos plangat ne populus ictus;
Ipsæque excedunt ad summa cacumina lentæ,
Pinguntque aureolos viridi pallore corymbos.
Quis aderat veteris myrtus non nescia fati.
At volucres patulis residentes dulcia ramis
Carmina per varios edunt resonantia cantus.
His suberat gelidis manans e fontibus unda,

jecerat *Lethæa c.*, non male; modo non desideraretur copula. An fuit: *Ilicis et nigræ, et species Lethæa cupressus* (h. cupressi). Verum simpliciore modo vulgatæ lectioni succurrere licet: *nec læta cupressus.* Venit et hoc Heinsio in mentem. Idem vel, *et lenta c.* Jo. Schrader. *et læva c.* conj. Frisemann., nescio quo sensu. — 139. *Atque umbrosa manet f.* Frisem. e Jo. Schrader., nescio quo fructu. *manent.* Vim vocis h. l. non satis assequor; an *virent?* vel *patent?* ut Jacobs conj. In Voss. erat *monent;* tum *ligantes ederæ* scripsi pro, *ligantis.* Sequentia sic interpungo: *.... fagus; ederæque ligantes.... ictus, Ipsæque.... Pinguntque* etc. Causas deprehendere in promtu est. — 140. *fraternus* Voss. et Petav. *p. ne p. artus* vett. edd. Sane fulmine percussi Phaethontis artus lacertos conquisivere Heliades, donec in populos mutarentur. Sed quomodo hoc facit ad ceteram sententiam? Bembus dedit: *ictus;* ita referam ad Phaethontem fulmine percussum, ictum. Phaethontis sorores in populos mutatas supra vidimus: eas fratris mortem lacrimis humectatæ æterno luctu prosequuntur. Melius sic me interpretari arbitror, quam Taubm. *ne plangat et percutiat ob fratrem fulmine ictum;* modo tum legas: *fraternos plangit quæ populus ictus;* aut, ut copula adsit, *plangens et p.* pro vulgari: *brachia populi, quæ plangit.* Sed totum v. 140 inepti versificatoris commentum esse arbitror ex vss. 128. 129 confictum, in quibus jam eadem res exposita fuit. Et series versuum fuit hæc: *ederæque ligantes Brachia, succedunt ad s.* — 141. *excedunt;* suspicor fuisse *escendunt.* Nam *excedere ad* an dicatur, non memini, sed *escendere ad.* Nisi, ut copula importuna ejiciatur, malis: *Ipse succedunt.* Porro *passuque erepunt.... lento* conj. Heins., quod *flexipedes* hederæ dictæ occurrunt apud poetas. Plin. XXIV, 10, s. 49 *Similem huic* (smilaci) *aliqui clematida appellaverunt, repentem per arbores.* — 143. Versus et hic insititius. Jam versus, qui hunc sequuntur, 144.... 154, Scaliger, ut supra vidimus, retraxit post v. 100. — 144. *Et* Voss. — 145. *Carmina per varios cantus;* ut alias, per sonos varios. Jo. Schrader. conj. *per varios campos; per vacuos saltus.* Saltem bonus poeta sic scribere debebat. — 146. *superat* Voss. Petav. et Scalig. e vet.

141. 142. Hederæ fagos amplexæ bene descriptæ sunt. Earum racemi cum acinis, *corymbi* dicti, *aureoli* sunt; est ergo de genere hederæ cum fructu croceo intelligendum hoc; sed foliis albis; ergo *viridi pallore* distinguitur corymborum flavor. Est aliquid simile in loco Ecl. III, 39 *vitis Diffusos edera vestit pallente corymbos:* ubi vid. Not. et II, 50. *Mollia luteola pingit vaccinia caltha.*

143. In myrtum mutata femina, Veneris sacerdos; forma insignis, Græce Myrene: vide Servium ad Æn. III, 3. Geopon. XI, 6.

Quæ levibus placidum rivis sonat orta liquorem;
Et, quamquam geminas avium vox obstrepit auris,
Hanc querulæ referunt voces, quis nantia limo
Corpora lympha fovet: sonitus alit aeris Echo;
Argutis et cuncta fremunt ardore cicadis.
At circa passim fessæ cubuere capellæ,
Excelsisque super dumis; quos leniter adflans
Aura susurrantis possit confundere venti.
Pastor, ut ad fontem densa requievit in umbra,
Mitem concepit projectus membra soporem,

libro: ipse malit *superet*. — 147. *placido liquore* melius dici monet Scaliger: recte, sed homini, qui hæc scripsit, videtur placuisse: *sonare liquorem*, ut, *sonare carmina*, et alia similia. Scaliger quoque *sonet* substituit. *vomit* conj. Jo. Schrader. *sonet ore* ed. Antwerp., forte et aliæ. Certe *orta* otiosum est, Barth. XX, 23 emendat *aucta*. In ms. Voss. *acta*. Sed totus versus damnandus, non emendandus est. Est enim insititius cum seqq., in quibus eadem repetuntur, quæ jam supra dicta erant v. 104. v. 46 sq. — 148. *Et quamquam*. Corruptum hoc. Scaliger *Hinc illi gem*. Barthius ibid. conj. *Et quaqua*. — 149. *Ac querulæ feriunt voces* refingit Heins., ut suppleantur *aures* ex antec. *hanc q. reserant fauces* Jo. Schrader. *Hac* var. lect. in vett. edd. *Hinc querulas referunt* v. bene Scaliger e vet. scheda: item *quæ nantia*: ut sint λιμναῖαι κρηνῶν τέκνα, ut is cum Aristophane loquitur, h. *ranæ*. Ge. I, 378 *Et veterem in limo ranæ cecinere querelam*. cf. Taubm. Sed jam Jul. Sabin. de ranis accepit. — 151. *et culta* vetus scriptura apud Scaliger., eaque elegantior. *ardore*, per æstum. Barth. l. c. conj. *fremunt ardere;* quod ipsi remittam. *fremunt arbusta* Heins., elegantius; idem in mentem venerat Jacobsio ex Ecl. II, 13. [add. Ge. III, 328, et van Kooten Spicileg. ad Jo. Schraderi Emendatt. pag. 8. — 152. *fessæ*. Jo. Schrader. conj. *fusæ*. — 153. *supra* Scalig. Puto fuisse: *cubuere capellæ Excelsis subter dumis*. Sic in Pervig. Ven. *subter genestis explicant tauri latus*. Jo. Schrader. *Excelsos subter dumos* Emendatt. p. 20. Desidero quidem commodius epitheton dumorum: videntur tamen *excelsi* dicti, qui in excelsis rupibus crescunt. *et amantes ardua dumi* etiam in Georg. Omnino *dumos* amant poetæ commemorare, ut et *dumeta*. Et eo spectat, quod adjicitur, a ventis eos perflari: ἐνεμόεντας. Heins. conj. *excisis* l. *exesis;* et comparat illa: *Dum tenera attondent simæ virgulta capellæ*. Barthius XXI, 24 emendabat: *Excelsique super dumi. quæ* vett. edd. et codd. *quos* a Bembo profectum est. Barthius non male conj. *qua. qua* vel *quo* etiam Heins. — 154. *possit* friget; sed est genus circumlocutionis pro *confundit* aura dumos. *poscit* Contianus liber Scalig., qui explicat πειράτας, quasi: poscit sibi, aggreditur. Sic et ms. Helmst. — 155. *ad fontes* vett. edd. mutavit Bemb. *requietus* conj. Heins., et mox *porrectus* Lindenbruch. Scaliger, qui hunc locum transpositione sanare voluit (vid. ad v. 100 et 143), rejectis ad superiora versibus 156. 157 sic interpolavit hæc:

148. Et, quamvis avium cantus geminas aures obtundit, *hinc* (ita legendum censeo) *referunt voces querulas* ranæ in *limo* natantes.

Anxius insidiis nullis : sed lentus in herbis
Securo pressos somno mandaverat artus;
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem,
Ni Fors incertos jussisset ducere casus.
Nam solitum volvens ad tempus tractibus isdem
Inmanis vario maculatus corpore serpens,
Mersus ut in limo magno subsideret æstu,
Obvia vibranti carpens gravis aera lingua,
Squamosos late torquebat motibus orbis.
Tollebant auræ venientis ad omnia visus.

Pastor ut ad fontes densa requietis in umbra
Securo pressos somno mandaverat artus :
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem,
Ni fors incertos jussisset dicere *casus*, etc.

Nihil est ex omnibus, quod placeat. Mihi omnes vss. 157 ad 160 usque Scholastici operam redolent. — 158. *fessos* em. Nodell. Obss. crit. p. 38; atqui non minus illud bene dicitur. — 159. 160. Uterque versus laciniæ sunt inepti versificatoris, qui variavit et obscuravit sententiam, quæ iis sublatis bene procedit, modo v. 161 pro *Nam* restituatur *Quum* hoc modo : *Pastor.... mandaverat artus : Quum solitum volvens ad t. t.* — 161. *tractibus hydræ* ms. Helmst., et hæc erat Aldina lectio ex interpolatione ducta. Vett. edd. *idem*. ms. Kœler, *idem*, et in marg. al. *Idra;* sic et Thuan. *Idæ* Petav. *Ide* Voss. Bembus autem *iisdem* : hocque revocatum ab Scaligero : non enim *tractus* esse serpentis (subjiciuntur illi vs. 165); sed *loca eadem. volvens* autem vel *se*, vel *volvens torquebat*. In edd. Fabric. *sonitum volvens*. Barthius XXI, 23 emendabat *s. volvens.... varie maculatus, corpora s.* Heins. *involvens.... tractibus undam* vel *umbras :* parum feliciter; idem mox *maculatus tergore*. — 163. *subsideret* Bembina emendatio, nescio an satis probanda, recepta a Scaligero. Vett. edd. *sub sideris æstu*. Serpens in limo, quem fons in propinquo effusus fecerat, a solis æstu recreare se volebat. conf. Ge. III, 432. *magnos subsideret æstus* jam Heins. emendavit ad Æn. XI, 268, ubi alia exempla quarti casus cumulavit. — 164. *Obvia vibranti* græce dictum puto pro adverbio; obviam, adversum vibrat lingua. Non expediebat se bonus Taubmannus. *gravis* de gravi anima. Ge. III, 415 *graves nidore chelydros. carpens aera lingua vibranti*, exserta. Miror vero placuisse poetæ *carpens* non *lambens*, quod sollenne est. Heins. conj. *Obvia vibranti decerpens*, vel, *detergens gramina lingua*. Jo. Schrader. *carpens gravis ore trilingui*. — 165. *latis* ed. vet., nec male; at Aldina : *montibus*. Sollenne esset *nexibus*. — 166. *Tollebant auræ venientis ad omnia visus*. Est hæc Bembina et cod. Petav. lectio : quæ sensu idoneo caret; etsi Barthius XXI, 23 aliquem inesse putabat. In ceteris magna varietas. Vett. edd. *Tollebant auræ juventis* l. *inventis ad omnia nixus* l. *nissus;* Domit. Calder. et edd. Ascens. *vehementis ad omnia nisus*. Hinc in Aldina vir doc-

166 sqq. Iterum ingenii intemperantis exspatiatio in tortibus et gyris hydri; aut potius hominum scholaticorum lusus. Tandem v. 172 videt pastorem ad fontem recubantem. Ab aditu fontis ita se

Jam magis atque magis corpus revolubile volvens
Adtollit nitidis pectus fulgoribus, et se
Sublimi cervice rapit; cui crista superne
Edita purpureo lucens maculatur amictu,
Adspectuque micant flammantia lumina torvo.
Metabat late circum loca, quum videt ingens
Adversum recubare ducem gregis: acrior instat
Lumina diffundens intendere, et obvia torvo
Sæpius adripiens infringere, quod sua quisquam
Ad vada venisset: naturæ comparat arma;

tus castigavit: *Pallebant auræ liventis ad omnia visus.* Corrigit *ad omina* Scaliger: sic saltem tolerabilis sensus exit: *palluisse auras ad omina visus liventis*, h. oculorum obtutu e longinquo propius admoto. Etsi vel sic *auræ visus* fuissent opportuniores; et bene procudi posset versus sic: *Omnia pallebant visus liventis ad auras.* Scaliger etiam conjiciebat: *Squallebant auræ vehementis ad omina visus. Pallebant herbæ* Heins., vel *Squalebant auræ vitiantis ad omnia visum* vel *virus.* Ovidius: *quique halitus exit Ore niger Stygio vitiatas inficit auras.* Enimvero ludimus operam; totus enim versus inepti hominis infelici opera irrepsit. — 167. *corpus resolubile* malit Heins. — 168. Ordo elegantior ex Aldina et a Bembo est. Edd. vett. *pectus nitidis.* — 168. 169 *et se sublimi cervice caput.* Ita edd. vett., quod Ascens. interpretatur: et se attollit caput. At Aldina et hinc edd. Fabric. emendarant: *et fert S. c. caput.* Quod nunc habemus, *et se S. c. rapit* ex Bembino codice fluxit: sic et Petav. Jo. Schrader. em. *exit S. c. caput.* Friesemann. *effert.* — 170. *Addita* malebat et hic Heins., etsi non video, quid in *crista edita*, alta, jure reprehendas. Supr. 135 *edita pinus.* In reliqua versus parte varia tentabat Jo. Schrader., sed *maculatur* ausus est poeta dicere pro distinguitur, variatur, *purpureo amictu*, pro externa specie et colore. — 171. *micat flammarum lumine torvo* Petav. et Voss.; in hoc quoque *flammatum.* — 172. *Metabat late circum loca:* de hydri capite quaquaversus se movente et circumferente, tanquam si loca circa se recognosceret et signaret. *Metari* ergo (de quo v. Taubm.) etiam *Metare* olim fuit. Et sane Horatio *Metatæ porticus* dictæ. Alioquin evitari poterat insolens forma.... *micant flammantia lumina* Metantis *late circum loca.* Georg. II, 273 *sin pinguis agros metabere campi.* Et sic sæpe *metari* in poetis. Pro *sese*, quod vulgo legebatur, ms. Voss. *late*, bene. Mox *tum* vett. edd. Sed in fine *ingens* nullum habet sensum: an fuit *anguis?* ut revocetur in animum subjectum. Et sic nunc diserte scriptum video in var. lect. ms. Koeler. et Helmst. Sentio tamen, quam molle et flaccum hoc sit. Præstat dicere, esse positum pro simplici *ille.* — 174. 175. 176. Etiam hos tres versus pessime cusos ex margine irrepsisse suspicor. *instat intendere diffundens* (pro simplici intendit) *lumina, et, sæpius arri-*

exclusum sentiens exasperatur serpens et adoritur. Tum versu 180 culicis morsu, somno excitatus pastor, trunco arrepto serpentem necat. 185.... 200. De singulorum versuum corruptelis vide Varias Lectiones. Versu 166. male intruso voluerat interpolator dicere: Omnia undique loca pallebant ad sensum halitus virosi.

Ardet mente, furit stridoribus, intonat ore;
Flexibus eversis torquetur corporis orbis;
Manant sanguineæ per tractus undique guttæ;
Spiritus et rumpit fauces. Cui cuncta paranti
Parvulus hunc prior humoris conterret alumnus,
Et mortem vitare monet per acumina; namque,
Qua diducta genas pandebant lumina gemmis,

piens obvia torvo (quæ ipsi obvia, ante eum torvum serpentem posita, erant) *infringere* (ut infringeret, propterea quod etc.), *comparat arma naturæ*. Non tanti est locus, ut conjecturis in eo indulgeas. Forte tamen fuit: *Acrior instat, Lumina diffundens* intenta, ore *obvia torvo Sæpius arripiens i.... mature comparat arma*. Et sane Voss. *matura*, unde Jo. Schrader. *matura et c.* In Aldina et hinc in edd. Fabric. *Lumina d. intentus, et o. t.* excusum video. *instat intendere* defendit Heins. et accipit: intendere cursum, properare, et remittit ad Georg. I, 51. Inf. 320 *instat depellere*. Cæs. B. G. III *fuga salutem petere intenderunt* Mss., vulgo *contenderunt*. Propert. I, 20 *Oscula suspensis instabant carpere pennis*. Idem pro *obvia* conj. *sibila*. Forte hoc voluit substituere paullo ante pro *lumina*. Jo. Schrader. conj. *contendens diffundere*. Tum v. 175 *infrendere* vett. edd. expulsum ab Asulano et a Bembo, at defensum a Scaligero, Barthio et Taubmanno: est antiquior vox eodem sensu. Scaliger etiam emendabat: *arrepens*. Ascensius *abripiens* legerat; nam sic interpretatur: lumina intendere (cœpit) et abripiens sæpius obvia torvo adspectu infrendere. — 177. Etiam hic cum tribus seqq. verss. inter insititios referendus. Prior quidem 177 tam inficetus est, ut etiam Barthio Advers. XXI, 18 suspectus fuerit. Jo. Schrader. tamen tentat: *Stridet* vel *Frendet dente et insonat*. — 178. *Flexibus eversis* ex Aldina et a Bembo est; nec capio satis. Debebat *inversis* aut aliud quid legi. Vett. edd. *Flexibus et versis*, h. seu circumactis seu variatis; hoc tenebimus. *et versi* em. Jo. Schrader. *orbis* pro orbes accipere præstat, ut magis poetica sit oratio: *serpens torquetur* (κατὰ) *c. orbes fl. v.* Heins. conj. *Flexibus et spissis torquetur corpora* (saltem deb. *corpus*) *in orbes*. Mox 179 *per tractus*, ut Georg. II, 154. — 180. *Spiritus et rumpit fauces* revocavi e vett., h. anhelitus. Nam Bemb. *Spiritibus rumpit fauces*. Heins. em. *Spiritus erumpit f. Quo cuncta parante* legendum monet et illustrat Scaliger. Sic jam edd. Ascens. *Quo c. paranti*. Hic vero in gravissimo narrationis momento nimis brevis, tenuis et exilis est poeta. De Culice advolante et pastori consulente locus ornandus erat vel maxime. Sensit forte et Heins., cui versus unus et alter abesse videbatur. Saltem comtius foret: *Quo cuncta parante Parvulus humoris pastorem exterret alumnus*. — 181. Ed. ant. vitiose: *propior humeros*, vel *prior humeros*. Omnino seqq. valde turbata in vett. edd. *humoris alumnus* est culex, *conterret* vix satis commodum h. l. vocabulum. — 182. Bembina est lectio; *acumina*, pro punctione, ictu aculei. Vetus lectio erat: *per culmina namque, Qua*. Præfert hanc Scaliger, ut sint κρόταφοι, *tempora*, et secundum eum Barth. Advers. XXI, 18. Ascensius sic reddebat: qua parte oculi aperti per summitates aperiebant sinus oculorum pupillis in morem gemmarum relucentibus. Heins. jungenda monet: *per acumina namque*, ut in vett. edd. erat. Recte, sed quid tum de reliquis? *per culmina* f. *per spicula*. — 183. 184. Bembina lectio, quam equidem quomodo interpreter non habeo. *pendebant* in textu Heins. esse relictum miror: scriptum enim haud dubie vitiose, pro *pandebant*, ut sit, *qua lumina diducta pandebant genas gemmis*, hoc est, in ipso oculi sinu. *deducta* vett. edd., ex

Hac senioris erat naturæ pupula telo
Icta levi. Tum prosiluit furibundus, et illum
Obtritum morti misit; cui dissitus omnis
Spiritus excessit sensus. Tum torva tenentem
Lumina respexit serpentem comminus: inde.
Inpiger, exanimis, vix conpos mente, refugit,
Et validum dextra truncum detraxit ab orno,
Qui casus sociaret opem, numenve deorum.
Namque illi dederitne viam casusve, deusve,
Prodere sit dubium: voluit sed vincere tales
Horrida squamosi volventia membra draconis:

more. Laudat Jo. Schrader. e Statio: *diducta putares Lumina consumtumque genis redüisse nitorem.* Scaliger *genas* pro palpebris accipit et legit *obdebant;* nam vett. edd. habere *ponebant;* nisi hoc ipsum sit pro *abdebant.* Jo. Schrader. tentabat varie: *gemmans Hac s. e. n. pupula telo Icta levi.* — 184. *Hac senioris erat.... Icta levi.* Etiam hæc est Bembina lectio, cum Petav., etsi in ipsis Bembi edd. corrupta: *Hac ferioris* et *Hac sævioris.* Vetus lectio erat: *Ac senioris erat naturæ pupula, telo Icta levi;* quam Scaliger prætulit, adstipulante Barthio Advers. XXI, 18; *senioris naturæ,* ut araneosam cutem et senilem, hoc est rugosam, intelligat. Senex enim pastor cf. v. 387. In Aldina excusum video: *Ac levioris erat naturæ:* h. mollioris, quod mihi magis arridet. Forte enim olim scriptum fuit: *telo Icta gravi.* Jo. Schrader. *tacta.* Vitiose aliæ edd. *Hoc et papula.* At in Fabric. non male emendatum: *Ut levioris e. n. p.* Totus versus est ab interpolatione profectus. Fuerat primo: *Qua diducta genas pandebant lumina, telo Icta levi:* scil. sunt. — 185. *Quum pros.* Petav. Mox malim: *sic diss.*, vel *tum d.* — 186. In *dissitus* nil mutandum: quæ disjecta sunt, ea sunt *dissita*: h. dispersa; *dissererе*, dispergere. Vocabulum Lucretianum. *dissitus excessit* est ornate pro simpl. Omnis spiritus excessit, reliquit sensus. Nam *Spiritus sensus* non capio. *Sp. e. sensim* Aldina dedit; hoc et Heins. cum Jo. Schradero probat; et præstare ipse arbitror. Dignius poeta esset *membris,* quod et Jacobs. conj. — 187. Fortasse, ait Scaliger, *Tum torva tuentem Lumine:* nec improbat Heins.; sed nihil mutandum. *Tenentem lumina* est, immotis luminibus stantem. *trementem* Heins. conj., quod vix accommodatum. — 189. *compos mente* antique, pro mentis. *exanimi vix mente* Heins. maluit. In Petav. *exanimus. resurgit* reponi jubet ex vett., quibus ms. Kœler. adstipulatur, Scaliger: non parebo. Jam surrexerat pastor vs. 186 *Tum prosiluit.* — 190. *ab orno* præclare Bembus. Ant. edd. et codd. *ab ore.* — 191. 192. 193. Interpolatio in his manifesta. Addo nunc vs. 194 deleta inter-

Vss. 191.... 194. Sunt fetus inepti interpolatoris, qui hoc dicere voluit: pastorem consilii inopem percussisse serpentem ramo arboris arrepto, seu casus seu numinis providi beneficio, oblato. Lectionis junctura hæc videtur fuisse: *Et validum dextra truncum detraxit ab orno, Atque reluctantis .... ossa ferit, cingunt qua tempora cristæ; Quem postquam vidit cæsum languescere sedit.* Nam etiam vss. 197. 8. 9. insititii sunt: ut in Variis Lectionibus dictum est.

Atque reluctantis, crebris fœdeque petentis
Ictibus, ossa ferit, cingunt qua tempora cristæ.
Et, quod erat tardus, somni languore remoto,
Nescius adspiciens, timor obcæcaverat artus:
Hoc minus inpliçuit dira formidine mentem:
Quem postquam vidit cæsum languescere, sedit.
Jam quatit et bijuges oriens Erebo cit equos Nox;

punctione post *tales*. In vett. edd., etiam in Aldina, nec non in ms. Helmst., medius versus *Namque illi* etc. abest; etiam in Petav. Natus videtur versus ex revocatis huc in margine e Ciri 279 *Nam nisi te nobis malus, o malus, optima Carme, Ante hunc conspectum casusve deusve tulisset.* Equidem omnes tres versus 191. 192. 193 a mala manu irrepsisse arbitror. Tentarat aliquis supplere: *Qui casus* (vel *Num casus*) *sociarit opem numenve deorum, Prodere sit dubium.* Subscripsit alius: *Namque* (f. Hancce) *illi dederitne viam casusve deusve, Prodere sit dubium;* utrumque inepte; nec minus inepte supplevit versum alius: *voluit sed vincere talis* (sc. casus) vel *talem*. non enim dicam utrum; hoc tamen alterum sic accipies; *voluit deus vincere talem*, hominem sic armatum. At quam jejune! *tali* Voss. *voluit sedere tales* Voss. et Petav. Ms. Helmst. habebat: *vincere callens*. Scaliger tantum duo versus *Namque illi.... Prodere s.* jugulat, et legit: *Qui* (*casus sociarit numenve deorum*) *Horrida sq.*, ut *qui* sit pro *quo trunco*. Barthii conatum parum prosperum in emendando loco videat qui volet Advers. XXI, 18. Heins. conj. *sociarit* cum Aldo; et vidit *casusve deusve* Virgilianum esse; sic Æn. XII, 321. Idem laudat ex Aldo *vivere talis*, quod non reperio. Jo. Schrader. *Quem* vel *Quam, casus sociarat opem;* et mox *dederit vitam* et *vincere fata* vel *clades*. — 194. *volventia* vel *volventis* Ascens., alterum hoc etiam Heins. malebat. *crebro* ms. Helmst. — 195. *fœdæque* vett. edd. *potentis*, scil. ore, morsu. Sed Scaliger non male: *fœdeque patentis Ictibus;* patet ictibus, vulneribus, qui recipit. Nec aliter ms. Kœler. *creber* conj. Heins. Idem varie tentat: *avideque petenti*, vel *petentis*, vel *patentis Rictibus ora ferit*. — 196. Heins. refingit: *Ictibus usque ferit* vel *Ictibus ossa terit. feris* vett. edd. *feris* vel *feri* Ascens. *ferit*, *c. q. t. cristam* Bembina est lectio. *cristæ* vetus erat lectio, ut video, ante Bembum, itaque recte emendavit Scaliger, cum Heinsio; ut sit, *qua cristæ cingunt tempora*. Itaque revocavi. — 197. *somni* pro *omni* haud dubie cum Scaligero emendandum; sicque edd. Fabric., etiam ante Aldina. Sed totam sententiam vellem ut viri docti exposuissent. Scilicet et hi tres versus 197. 198. 199 insititii et spurii sunt. Voluit ineptus versificator in margine explicationem subjungere: pastorem tanto minus metu obtorpuisse, quod e somno repente expergefactus tempus non haberet de periculo cogitandi. Hoc binis versibus extulerat: *Et quod erat tardus somni languore remoto: Hoc minus implicuit dira formidine mentem.* Adscripsit alius: *Nescius adspiciens;* tum tertius misere explevit versum: *timor occæcaverat artus*. Barthius XXI, 20 frustra operam ludit in loco emaculando. Heins. *Utque erat haud tardus, somni languore remoto, Nec suus, adspiciens*, ut Ovid. *Vix meus;* ubi vid. Not. Jo. Schraderus em. *Nescius, ad speciem t* In Voss. *excæcaverat*. — 199. *Non minus.... mortem* ms. Kœler. *implevit* Voss. sp. Frisemann. — 200. *cæsum, languescere cœpit* ms. Helmst. Heins. em. *Quæ,.... sedit*, scil. formido, vel *Quæ.... languescere desiit*, sc. mens. — 201. *bijugis* vett. edd. ante Bemb. *quatit* equos, non flagrum, ut supplebat Scaliger. Idem: *Jam*

Et piger aurato procedit Vesper ab OEta;
Quum, grege conpulso pastor, duplicantibus umbris,
Vadit et in fessos requiem dare conparat artus.
Cujus ut intravit levior per corpora somnus,
Languidaque effuso requierunt membra sopore;
Effigies ad eum Culicis devenit, et illi
Tristis ab eventu cecinit convicia mortis.
Inquit: « Quid meritus, ad quæ delatus acerbas
Cogor adire vices? tua dum mihi carior ipsa
Vita fuit vita, rapior per inania ventis.
Tu lentus refoves jucunda membra quiete,
Ereptus tetris e cladibus: at mea Manes
Viscera Lethæas cogunt transnare per undas;

quatiens bijuges. Mox *crebo* vett. edd., et hinc, quis crederet? edd. Fabric. *crebro*. Feliciter Heinsius. *Jamque atro b.* — 202. *aurata* Petav. et Voss. *Vesper procedit* vett. edd. *ab OEta* conf. ad v. 41 supra. *ab ora* ms. Helmst. Mox v. 203 *duplicantibus* est pro duplicatis. — 204 Noluit, puto, *in requiem* dicere, ne confunderentur voces et fieret *irrequiem*. Ascens. et Taubm. jungunt: *dare requiem in artus*. — 206. *effuso requierunt membra sopore*. Magis accommodatum foret *infuso*. vid. Obss. ad Tibull. III, 4, 81. — 208. *ab eventu c. c. amaro* conj. Heins. — 209. *Quis meritis* vett. edd., etiam Aldina; unde Scaliger emendat: *Quis meritis, inquit*, h. quibus meritis. Nisi forte præstat: *Quis, inquit, meritis*. Licentius, adeoque felicius, Heins. *En, quid, ait, meritus; aut quo delatus*. Sed Scaliger pergit: *aut quæ delatus*, antique, deferor aliquid. Alias, *ad quæ delatus*, est: in quam culpam incidi? *dilatus* vett., ex more. Ascens. ad quæ mala reservatus. — 210. *me carior ipso Vita fuit, vita rapior* vett. edd. Fertur autem anima per aerem ad loca infera. Sic mos poetis. Eorumdem more mox *Manes* sunt dii inferi, ut Ge. IV, 489. Notabile quoque, quod vss. 214. 215 trans Lethen Charon umbras vehit, non trans Stygem. — 211. *rapior p. i. vectus* ms. Helmst. *per inania Averni* ingeniose Heinsius conjiciebat.

207. Sequitur locus, in quo poeta non modo luxuriatur, sed adeo ineptit, dum fabulas de rebus inferis non tantum molesta copia retexit; nam, etsi major earum pars ex interpolatione irrepsisse videri debet, tamen aliquas saltem, at vel illas a re alienas, a poeta profectas esse probabile est; verum etiam partes narrantis Umbræ Culicis tribuit, qui justis sibi nondum persolutis nec dum loca ea adierat, sed e longinquo prospexerat. *Effigies*, h. l. εἴδωλον, umbra Culicis, ut bene Scaliger monuit. Mox v. 214 pro ea *viscera* dixit miro modo; dum corpus et corporis umbram cogitaret. *cecinit convicia* ut 208 doctius quam, *fecit*, ex antiquo sermone; ut in XII Tabb. *occentare*. Sed *ab eventu* v. 208 quorsum referemus? an, cecinit convicia propter id, quod evenerat? Nisi magis placet ad ef-

Præda Charontis agor. Viden' ut flagrantia tædis
Lumina conlucent infestis omnia templis;
Obvia Tisiphone, serpentibus undique comta,
Et flammas et sæva quatit mihi verbera pœnæ;
Cerberus et diris flagrat latratibus ora,
Anguibus hinc atque hinc horrent cui colla reflexis,
Sanguineique micant ardorem luminis orbes.
Heu! quid ab officio digressa est gratia, quum te

215. *Videt, Videt et, Videt ut* vett. edd. *Vidi ut* mss. uterque et edd. Ascens. *agar* et *Vide ut* Petav. et Voss. *Video ut* Aldina. Et si verum dicendum, alterutrum probandum est. Narrat enim Culex sibi adeunda fuisse loca infera: adeoque *Vidi ut*. *Viden' ut* alienum ab h. l. est. *Vidi et* Heins., ut Æn. VI *Vidi et crudeles dantem Salmonea pœnas*. *telis* quoque ed. Ven. 1486. — 216. *Lumina cum lucent* Petav. et Voss. *infectis* ms. Kœler. *infernis* Domit. Calder., quod miror desertum esse a sequioribus edd. *inferna templa* sunt *Acherusia templa* Ennii. Manet tamen vel sic *omnia* otiosa vox. Heins. pro *templis* conj. *palmis*, quod non capio. Jacobs *Limina*, ut omnia infernorum templorum limina colluceant tædis. Suspicor versus dilatatos esse insertis ex margine laciniis diversis, et poetam tantum hæc scripsisse: *video flagrantia tædis Lumina; Tisiphone, serpentibus undique cincta, Et flammas et sæva quatit mihi verbera Pœna*, h. Furia, quatit flagrantia tædis lumina (faces), et flammas et verbera (flagella). — 218. *pœnæ*, prave, ut facile in oculos incurrit. *Pœna* est Ποινὴ, Furia. conf. Scalig., et sic vett. edd. Male mutavit Bembus: *pœnæ Cerberus*. Heins. conj. *pœnam;* non video quam bene, vel *pœnas*. — 219. Vulgo *flagrant*. Haud dubie *flagrat* fuit: Cerberus flagrat ora latratibus. Dicitur autem flagrare, calere, ardere, de repetito alicujus rei actu et intentione operæ. Notatum quoque *flagrat* video e ms. Kœler. et Helmst. Scaliger emendat *flagrans;* supplendum erit: obvius fit. Jo. Schrader. tentat: *pandens*, *aperit*. Barthius XXI, 20 non nisi dura et contorta affert. At Heins. eleganter: *Cerberea et d. flagrant l. ora*. Ita tamen et alteri versui medendum. Idem conj. *Cerberus et diris acuens latratibus iram:* sed tum deficit verbum. — 220. *arent cui colla* vett. edd., quod cum Scaligero explicari possit, squalent *repexis* em. Heins., nam et sup. 217 *serpentibus undique comta*. — 221. *orbes* per se sunt oculi, et ii *micant ardorem luminis sanguinei*. Sed vett. edd. *Sanguineumque:* quod melius. Sic *orbes luminis micant sanguineum ardorem*. Ms. Helmst. *Sanguineique ardore micant jam luminis orbes*. Petav. *Sanguineaque* et *orbos*. Heins. conj. *micant infandum*. Jo. Schrader. *ardentis luminis*. — 222. Sententiam non satis exploratam habeo. *gratia* tamen aut beneficium vel benevolentia, aut gratus beneficii accepti sensus est. Si prius, tum sententia est nimis forte arguta pro hoc poeta: Heu quare *gratia*, beneficentia et benevolentia mea, *digressa est ab officio*, scil. *eo*, quod mihi ipsi debebam. Cur mihi ipsi defui, dum alium servare

figiem referre, ut ea sit *tristis ab eventu*.

216. Scabra oratio: *videsne, ut omnia limina* (sic lego) *infernis templis* (pro, locis) *collucent flagrantia tædis!* hoc est, a Furiis faces quatientibus omnia loca esse obsessa et infesta.

222. *Heu, quid*, quare, *gratia digressa est ab officio!* quam parum

Restitui superis leti jam limine ab ipso?
Præmia sunt pietatis ubi? pietatis honores
In vanas abiere vices; et rure recessit
Justitiæ prior illa fides; instantia vidi
Alterius, sine respectu mea fata relinquens;
Ad pariles agor eventus; fit pœna merenti;
Pœna fit exitium; modo sit dum grata voluntas!
Existat par officium! Feror avia carpens,

studui. Sin alterum tenemus, queritur Culex de pietate et grata memoria, quæ officio et beneficio accepto non respondet. Alterum hoc melius poni arbitror; *quantopere tu ab officio animi grati digressus es!* discessisti. Taubmannus *officium* de beneficio accipit; quo sensu reliqua, ignoro. Ascensius reddit: heu quid est gratitudo, digressa ab officio grati animi. — 223. *lumine ab ipso* Voss. et Petav. — 224. Scaliger recte concinnius putat: *Præmia ubi pietatis? ubi pietatis honores? In vanas abiere vices.* Manifesta imitatio Virgiliani versus ex pr. Æneid. *Hic pietatis honos?* etc. *in vanas vices* eleganter pro, in vanum. Vices fuissent in retribuendo. *et rure*, h. e. heu etiam inter ruricolas abiit, recessit, *Justitiæ fides*, ornate pro justitia: sed in reddendo, quod debetur, fides cernitur. cf. Ge. II, 473. 474. Male Aldina *et jure* cum Petav. et Voss. *iterumque recessit* conj. Heins. — 226. Bene cum Jo. Schrader. Jacobs emendat, *Justitia et prior illa Fides*. Mox *i. vici* vel *adivi* Heins. — 228. Jam ab his inde verss., quæ sequuntur, meri sunt lusus versificatorum: in quibus tamen docti homines fuere. *fit.... fit.* Scaliger hæc corrupta arbitratus emendat: *sit pœna merenti: Pœna sit exitium; modo, si cui grata voluntas, Existat par officium.* Retineo saltem illud: *modo sit dum;* nisi malis: *modo dum sit*, pro dum modo sit *grata voluntas et par officium*, sc. ut memoriam Culicis gratus colat. Poterat tamen et ferri; *fit pœna merenti*, h. mihi bene merenti; *Pœna fit exitium;* h. e. et pro pœna, mercede, exitium infligitur. Quæ sequuntur putida sunt. Taceri hic nonnulla puta: tum pergit: sit ita: *modo sit dum* etc. (*cum g. v.* vett. edd.) dum modo sit grata voluntas! dum modo officium par beneficio meo existat! habebo hoc pro solatio. Paullo ante male interpungebatur plene post *relinquens*. Nam hoc significat: *vidi alterius fata instantia:* tum ego mea fata, vitæ meæ periculum, *relinquens*, negligens, *sine respectu agor ad p. e.*, ad eandem mortem præsentem propero. Interpolatoris tamen manum etiam in toto loco agnoscere facile est. Forte a poeta profecta sunt tantum illa: *Justitia et prior illa Fides! feror avia carpens.*

persolvisti mihi gratiam debitam! *Officium* est ejus, qui beneficium accepit; et digreditur ab officio, qui gratiam non solvit: mos vulgari hominum.

228. 229. Omissis his duabus ineptis laciniis, reliqua hunc sensum habent: versu 226, vidi mortem instare alii, eique subveni, mei ipsius discriminis immemor. — *sine respectu relinquens*, haud respiciens, haud curans *mea fata*. Nunc *existat par officium*: præstetur a te mihi hoc, ut corpus meum terra condatur, meaque umbra, eis Acherontem adhuc vagari coacta, amne trajecto ad sedes quietas admittatur.

230. Ad loca infera delatus vagatur per avia lucorum Cimme-

Avia Cimmerios inter distantia lucos:
Quem circa tristes densentur in omnia pœnæ.
Nam vinctus sedet inmanis serpentibus Otos,
Devinctum mæstus procul adspiciens Ephialten,
Conati quum sint quondam rescindere mundum;
Et Tityos, Latona, tuæ memor anxius iræ,
Inplacabilis ira nimis, jacet alitis esca.
Terreor ah tantis insistere, terreor, umbris,

231. Parum suaviter hæc: *avia distantia inter lucos*. Unde inf. 258 *magis distantia limina*. — 232. *Quem circa*. Etiam hunc versum ejiciendum censeo. Alienum esse arguit importuna junctura et structura. Nam *quem* de Culice accipiendum. Feror carpens (cursu, volatu) avia (loca), avia distantia, inter Cimmerios lucos, dum circa me pœnæ tristes densentur *in omnia*, h. quaquaversum, undique. Sic enim videtur posuisse. conf. inf. 241. Jacobs noster, *densentur in agmina;* Saltem *Quos* (lucos) *circa* legendum arbitrer. *densentur* recte revocatum. Alii *densantur* et *pœne*. Describit autem Tartarum. Ceterum Scaliger hic iterum plures versus transponit, nullo ad poetam et sententiam cum fructu, me quidem arbitro. Scilicet post 232 *Quem circa*, inserit v. 247 *Atque alias alio* densent *super a. t.;* tum 238 *Terreor* etc. — 233. *victus* al. *mœstus* Petav. Mox *Othon* pessime dederant. Est Ὦτος satis notus vel ex Odyss. λ, 307. — 234. *Devinctum* lego, h. pariter vinctum. Id quoque Asulanus et Bembus ediderant. Intelligit Aloidas ex Æn. VI, 582. Vulgo: *Devictum*. Edd. vett. aliquot *Devictus*. Ceterum alligatos columnæ Aloidas et alii dixere; sed sibi aversos. Hygin. f. 28 *Qui ad inferos dicuntur hanc pœnam pati: Ad columnam aversi alter ab altero serpentibus sunt deligati. Est Strix inter columnam sedens, ad quam sunt delegati.* Postrema corrupta sunt, nisi, quod suspicor, ab alia manu adsuta; saltem: et *Strix in columna sedens*. — 235. *Conati quondam quum sint incendere* vulgg., prave; natum ex *inscendere. escendere* conj. Heins. In promtu erat *rescindere* e v. 583 Æn. VI et Ge. I, 280. Jam Jo. Schrader. e cod. Voss. protulit in Emendatt. p. 19, id quod posui: *C. quum sint quondam rescindere*. Non igitur recte positum est a Frisemanno, *inscendere* legi in Voss. et Petav. — 236. *tuas.... iras* vett. edd. cum Ald., quasi sit: *memor iras*. — 237. *Implacabilis ira nimis!* per parenthesin cum exclamatione dictum (De Tityo conf. ibid. 595). Lectio est Bembina, et proba. Vett. edd. (non una, quod Scalig. putabat) sic efferunt: *I. ira jacet vivus alitis esca*. Emendatum in Ascens. edd. *vivi alitis*, in edd. Fabric. *viva a. e.* At Scalig. inde refingebat: *Implacabilibus Divis jacet a. e.* Heins. *Jure inpacati fibris jacet alitis esca*. Virgil. *Nec fibris requies datur ulla renatis*. — 238.

riorum, quos hic in remotis Orci partibus versus Tartari limina collocat. In Tartaro enim sceleratorum supplicia prospicere debuit Culex: Oti et Ephialtæ, Aloidarum: Æn. VI, 582 seq. Tityi, ibid. 595 Tantali, Danaidum, Medeæ, Philomelæ et Procnes, 250. Eteoclis et Polyniçis, 253: Inde v. 259, ad sedes Piorum (ad quas vs. 295 seq. pervenit) defertur: sed in limine campos Lugentium prospicit: inque iis heroidas Alcestin, Penelopen, Eurydicen. *feror carpens*, carpo avia.

238. 239. Hæc conjungenda sunt

Ad Stygias revocatus aquas. Vix ultimus amni
Restat, nectareas divum qui prodidit escas;
Gutturis arenti revolutus in omnia sensu.
Quid, saxum procul adverso qui monte revolvit,
Contemsisse dolor quem numina vincit acerbus,
Otia quærentem frustra? Vos ite puellæ,
Ite, quibus tædas adcendit tristis Erinnys:

Terreor ah tantis legendum; et edd. Fabric. bene exhibent. Vulgg. *a tantis*. Sed pessimi poetæ versus sunt. — 239. 240. Senum velim et hic subjecissent viri docti, qui, quantum intelligo, nullus est. *At Stygiis r. aquis* Voss. et Petav. Vett. edd. ad superiora trahunt interpunctione: quasi retrahatur ad Stygem Culex, *Vix ultimus amni*, vix proximus factus, Cocyto vel Phlegethonti, qui Tartarum ambit: h. quum vix ad amnem accessisset. Forte leg. *Vix ultimus amnis Restat* (scil. ei) *nectareas d. qui p.* Tantalo eluso fugiens a labiis amnis vix in imo fundo alvei supererat. *ultimus*, infima pars. *amne* Voss., unde Heins. em. *Extat* eleganter, quatenus Tantalus in flumine stat, vix summa sui parte eminens. Pergit autem describere phantasma Tartari, quem tamen non adiit. — 241. Aut fœde corruptus est versus, aut, quod mihi probabile fit, margini fuit adscriptus. Certe sive amnem, sive Tantalum intelligas, nulla exit sententia commoda: Tantalus *revolutus in omnia*, in omnes partes convertens se, *ut* aquam captet, *sensu arenti gutturis*, præ siti. *in obvia* conj. Jo. Schrader. Ut latina sint, audacius refingam: *Gutture ab arenti revolutis fluminis undis*. — 242. *de monte* Voss. *cui monte volutum* Heins. — 243. *Quem vincit dolor contemsisse Numina*, satis jejune. *dolor* ex eo, quod deos contemsit Ixion. *vincit dolor*, occupat, tenet. Poterat commodius verbum poni: etsi per se non est insolens, dolorem vincere, superare animum. *n. v. acerba* ms. Keler. *acerbas* Voss. et Petav. Ex Heins. notatum: *Contemsisse labor quem numina sancit acerbi*: puto voluit, *acerbus*. — 244. Hæc et seqq. misere fœdata sunt. Primo vett. edd. omnes ante Bemb. pro *Vos ite*, *sub lite* vel *sublite*. Codd. *fiblite*. Voss. *ceu vite*, *puellæ*; tum *quærentes f.*, ut ad Danaidas referatur, Ascens. Pomp. Sab. ms. Helmst. et idem e vett. edd. malebat Scaliger: *Otia quærentes frustra sub lite puellæ*, *Ite*, *q.*, nam certatim dolia implent; dure profecto. Heins. *O. quærentem frustra sibi. Ite*, *p.* cum hiatu. Nec felicius in hoc loco sanando versata est Barthii opera lib. XXI, 20, quem adeat, cui placet; piget enim transcribere ea, unde nullus ad nos fructus redit. Retineo Bembinam lectionem *Otia quærentem frustra*, ut adhuc ad Ixionem referatur. Verum appellationem *Vos ite* prorsus alienam a loco esse video. Narrat enim Culex quæ viderit. Forte: *Otia quærentem frustra sibi? quidve puellas?* vel *frustra? Belive puellas?* (scil. quid memorem? ex v. 242.) — 245. *Ite;* accipiendum erit: discedite a me! ut aversetur Culex adspectum. Sic *fere* Ascensius; sacis frigide. *Ire* ed. Ven. 1486. F. *Dira;* quod mox per *tristis* interpretatum quum esset, glossa in

cum vers. 257. 258 *auferor ultra In diversa magis*. Errabat umbra Culicis per loca infera avia et ad limen Tartari pervenerat. Ibi vero territa monstris eorumque suppliciis refugit et tandem defertur in alteram partem, ad Elysios campos. Mirum in modum omnia sunt corrupta: quæ videantur, si vacat et placet, in variis lectionibus.

Sicut Hymen præfata dedit connubia mortis:
Atque alias alio densat super agmine turmas;
Inpietate fera vecordem Colchida matrem
Anxia sollicitis meditantem volnera gnatis;
Jam Pandionias miseranda prole puellas,
Quarum vox cit Ityn, et Ityn, quod Bistonius Rex,
Orbus epops mæret volucris evectus in auras.
At discordantes Cadmeo sanguine fratres
Jam truculenta ferunt infestaque volnera corpus
Alter in alterius: jamque aversatus uterque,

textum venit. Forte fuit: *Dira quibus tædas accendit* pronuba *Erinnys*, subjecit tum alius versificator: *Sicut Hymen:* expletus versus mox ab alia manu. — 246. Scaliger: *Si cui*, legit: sed quæ sententia commodior sic exeat, non video. Vett. edd. *Sic Hymen.* Heins. *Quis et Hymen.* Jo. Schrader. *Sævus H. post fata.* l. per *facta.* Forte *præsaga:* est enim versificatoris lacinia ex interpretatione superioris versus nata: accipienda ea iterum de Erinny: *præsaga dedit connubia mortis* (scil. obtruncatis in thalamo sponsis), *Atque alias alio densat super agmine turmas* (scil. sponsorum numero L); cumque his *Impietate fera v. C. matrem.* — 247. *densat* Bembo debetur. *densas* vett. edd., etiam Aldina cum codd. *densent* Scaliger, qui retraxit versum post v. 232 *Quem c. tr.* Heins. conj. *Statque alias alio densens.* — 248. *Impietate fera cum cernam Colchida matrem* vett. edd. ante Bemb., quasi jungantur: *Ite.... cum cernam*, scil. tanquam majus scelus. Sed malo *vecordem Colchida matrem.... natis?* scil. an narrem? ex v. 242. — 249. *Anxia vulnera* vix placent; saltem: *Impia v.* — 250. *Jam P.*, sc. an memorem? ex v. 242, nisi *An P.* scribendum. *miserandas* vett. edd. ante Bemb. cum codd. Heins. *s. miseranda sorte.* — 251. *Quarum vox querula est, superat quod* vett. edd. ante Bemb. Quum tamen in Bembina lectione metrum et sententia peccet, refinxit Scaliger: *Quarum vox querula est. Superas quoque B. R.* Codd. Petav. et Voss. *vox sit in ęditym.* Heinsius apud Burmann. ad Anthol. Lat. p. 496 T. I versum sic constituebat: *Quarum vox cit Ityn, et Ityn quoque B. R.*, satis dure. Puto ex vetere et Bembina lectione comparata veram reperiri posse: *Quarum vox Ityn ingeminat, quo Bistonius Rex Orbus epops mæret, v. e. in a.* Ad *ingeminat* adscripserat aliquis: *Ityn et Ityn.* Mox *quo orbus* jungo, quo Ity orbus Tereus. *Q. vox iteratur Itym quo* ms. Kœler. *Q. vox sit in itim* ms. Helmst. Jo. Schrader. tentat: *Q. vox iterabat Ityn;* vel, *iteratur Itys.* — 253. *Cadmeo semine* e ms. Petav. præstat legere cum Burmanno ad Anthol. Lat. T. I, p. 165. Exhibebat idem cod. Helmst. Heins. conj. *Cadmeo e sanguine.* — 254. *vulnera* Bembus intulit. At *lumina* vett. edd. cum ipsa Aldina, etiam membrana Contii apud Scalig., quod unice verum; non jam pugnabant invicem, sed infestis oculis se invicem intuebantur; aversantes jam mutuam cædem peractam. Opinatur tamen legendum Heins. *ferunt infesti vulnera.... sibi jam*, vel, *jamque et, gratatus uterque.* Apud Statium Theb. XI, 550 et sqq. sunt quæ ad h. l. commendes. *infectaque lumina* Petav. — 255. *aver-*

250. Procrin et Philomelam videt in Tartaro, tum vs. 253 Eteoclem et Polynicem sibi mutua vulnera inferentes. — 255. Aversatus hæc ulterius pergit Culex in diversas partes.

Inpia germani manat quod sanguine dextra.
Eheu! mutandus nunquam labor. Auferor ultra
In diversa magis: distantia limina cerno:
Elysiam tranandus agor delatus ad undam.
Obvia Persephone comites Heroidas urguet
Adversas perferre faces. Alcestis ab omni
Inviolata vacat cura, quod sæva mariti
Ipsa suis fatis Admeti fata morata est.

satus haud dubie recte Bembus ediderat, ut mirer *adversatus* iterum relictum esse; nisi melius *aversatur*, quod in Voss. est: quodque Oudendorp. ad Jul. Obs. c. 118 e mss. affert; at in Petav. *aversatus*. — 257. *Heu! heu!* vett. edd., quod ex virorum doctorum opinione præstat; tum distinguo post *labor*. *Auferor ultra In d. magis*. Nam superiora illa adhuc ad Eteoclem et Polynicem refero. Ærumna eorum æterna! Miro ausu versus hos tres 257. 258. 259 rejicit Scaliger infra post v. 382. 383, ubi vide Var. Lect. — 258. *numina distantia* velim explicet mihi aliquis. Edd. vett. *lumina*, quod de Elysiorum cælo puro ac sereno accipi potest; sed *limina* præstant. Margo ed. Ven. ap. Scotum et Ed. Fabric. *flumina*, quod etiam melius. *distantia limine certo* refinxit Scaliger. *nomina* Petav.; forte jungenda: *In diversa: magis distantia*; cf. sup. 231. — 259. Primum *Elysium undam* nondum legi. Tum *tranandus* quod monstrum orationis est! *Elysium* legebat Barth. XXI, 20. Divinabat Jo. Schrader. *Eridanus tranandus* (Æn. VI, 659). Obelo transfigendus et hic versus ex margine illatus, et ex v. 214 confictus. — 260. *Persephone*. Restituit Bembus. Edd. vett. *Tisiphone*, cui in locis Elysiis nullus locus. — 261. *Adversum* edd. vett., nonnullæ etiam *præferre*: ut et Heins. corrigit; modo sensum prodidisset. Idem conj. *perferre vias*. Jo. Schrader. *acies*. Obscura est sententia; videtur *perferre faces adversas* dictum de amoribus infaustis (nam *curæ miseras non ipsa in morte relinquunt*), ut nunc *Lugentes campos* describat. vid. Æn. VI, 440 sqq. Reliqua tamen de Elysiis campis agunt. — 263. *Ipsa suis fatis A. fata m.* Est lectio Bemb. Nec facile quisquam subodoretur vitium, nisi vett. edd. et codd. inspexerit, in quibus: *Hic alcedonias*, Ascens. *Hic Calcedonias Admeti cura morata est*. Ascensius quidem post Domitium Megarenses interpretatur, quorum Chalcedon colonia fuit, et ad Scyllam Nisi refert: quod fieri non potest: *In Calcedoniis* Fabric. edidit ex Aldina, quod et ms. Kœler. legebat cum ms. Helmst. Petav. Voss.: iidem *cura. Alcyonen*, pietatis in maritum, Ceycem, exemplum, facile quis in animum revocet: idque fecit Scaliger, qui, postquam in *Chalcedoniis* mulieribus argutatus erat, sine dubio legendum ait: *Isthic Alcyonas Admeti cura morata est*; ut Alcyonas plurali numero

257. *Eheu mutandus nunquam labor*, de pœna nunquam finem habente.

257..... 294. Nunc Umbra ad Elysios campos tendens campos Lugentium prospicit; si recte salebrosos versus interpretor: ut antequam ad Elysium pervenisset, videat Culex Heroidas a Proserpina coactas ferre nuptias infaustas: ex his memorat Alcestin pro marito Admeto mortem oppetentem, Penelopen a procis infestatam, et Eurydicen ab Orpheo, jam in vitam quum revocata esset, iterum in Orcum retractam.

Ecce, Ithaci conjux, semper decus, Icariotis
Femineum incorrupta decus; manet et procul illa
Turba ferox juvenum telis confixa procorum.
Quin misera Eurydice tanto mærore recessit,
Pœnaque respectus et nunc manet, Orpheus, in te.
Audax ille quidem, qui mitem Cerberon unquam
Credidit, aut ulli Ditis placabile numen;
Nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis,
Nec mæsta obtentu diro et ferrugine regna,
Defossasque domos, ac Tartara nocte cruenta

pro ceteris dixerit, quæ similiter ex luctu de morte maritorum perierunt. Ipse exponit: stupuerunt Alcyones (saltem *Alcyonæ*) exemplum simile Alcestidis in maritum; sed est durissimæ venæ versus per se; tum cum ceteris parum cohæret; Bembina vero lectione ad sensum explendum carere plane nequimus. Suspicor itaque adscriptum fuisse a viro docto in margine exemplaris aliud exemplum *Ceycis et Alcyones;* quod alius librarius intexuit verbis poetæ, quibus accommodarunt emblema alii. — 264. *Icariotis* recte Bemb.; est enim Penelope Icarii f. Vet. edd. *una Charontis*. Domitius legerat *Icariontis*. Non redolet versus doctum adeo poetam; manifestum tamen fit, *semper decus* esse aut corruptum aut admodum jejunum, multo magis, quum iteretur versu sequ. Nisi latet epitheton, v. c. *Ecce Ithaci conjux Laertiadæ Icariotis*. Interpolatum erat in ms. Helmst. *semper decus enitet oris*. — 265. *Femineum concepta d.* vett. edd. ante Bembum, etiam Aldina, cum codd., quod Scaliger verum esse ait, esse enim archaismum: *concepta decus*, nec tamen addit, quo sensu. *Illa* ubique video post *procul;* ut mirer *illam* viros doctos maluisse. Interpunctionem mutavi, quæ erat: *decus manet, et pr.* Versus autem hic et sequens non ad Cupidinis tela, quo male referunt Interpp., sed ad cædem respiciunt procorum ab Ulysse factam. — 267. Totus hic de Orpheo, qui sequitur, locus novum facit episodium; quod a primo carminis auctore profectum esse vix potest. Vides ubique cumulata tentamina versificatoris refingendi et variandi studio occupati. *Quin* h. l. transitum orationis facere debet. Forte fuit *En m.*, *At m.* Voss. *Quid m.*, ut 242. *tanto m.* non satis intelligo, quid sibi velit. f. *tacito mærore*. Jacobs conj. *infando m.*, voce Virgiliana. Porro Barth. XXI, 20 conjiciebat *recesti* pro recessisti. — 268. Versum, ut nunc est, vix expedias, etiamsi *Orpheus* pro *Orpheu* accipias. *Orpheos* alii, ut secundus casus sit. An poeta significare voluit: Eurydicen esse in Elysio, Orpheum vero sejunctum ab ea puniri, quod eam respexit. Scaliger emendavit: *Pœnaque respectus et nunc in te manet, Orpheu*. Heins. ingeniose: *Poneque respectans et nunc manet Orphea serum*, et ablegat ad Voss. Anal. II, 9. Nec tamen ipsa respectabat, verum Orpheus. — 270. *ille* edd. vett., et 271 *furens* vitiose, etiam Aldina cum codd.; iidem *haud illi*, et *unda*. — 272. *obtentu Ditis f.* codd. et vett. edd., quod Ascens. reddit: in possessione Ditis. *obtentu diro et f.* a Bembo est; ut sit *obtentus* caligo, quæ obtenditur. Scaliger antiquam scripturam ita refingit: *obtenta Ditis ferrugine:* Ditis tenebris obtentis. Aldina exhibet: *Nec mæsta obtentum Ditis ferrugine regnum;* ex emendatione, ut judicare licet, viri docti non inscita. *obtuitu* corr. Heins. — 273. Scaliger in membr. Contiana reperiebat: *Nefossas* (ut in Helmst. ms. *Nec fassasq.*, in Voss. *Nec f.* erat), et recordabatur

Obsita, nec faciles Ditis sine judice sedes,
Judice, qui vitæ post mortem vindicat acta.
Sed fortuna valens audacem fecerat Orphea.
Jam rapidi steterant amnes, et turba ferarum
Blanda voce sequax regionem insederat Orphei;
Jamque imam viridi radicem moverat alte
Quercus humo, steterantque amnes, silvæque sonoræ
Sponte sua cantus rapiebant cortice amara.

antiquæ vocis apud Festum; *Cnefosum* pro obscuro: ex κνέφας. Ita vero prima vix producta esset. *Defossæ domus* haud dubie eleganter pro locis subterraneis. Sic *Defossos specus* Ge. II, 376 vidimus. *Depressasque* conj. Jacobs., h. domos profundas, qua voce delectantur poetæ. Porro *ad T.* vitium ed. Taubm., nil amplius. *Tartara nocte obsita:* bene; sed *nocte cruenta?* an simpl. pro horrenda? Sic et Jul. Sab. accipit, ut sit, sæva. Nisi aliud olim fuit epitheton: *nocte tremenda, nocte silenti.* — 274. *nec faciles:* ad quas non facilis aditus, quæ non admittunt aliquem, nisi judicium subierit. Æn. VI, 431 *Nec vero hæ sine sorte datæ, sine judice, sedes.* Scaliger maluit tamen: *nec faciles Dictæo judice sedes;* h. Minoe, docte; *scit judicis urna Dictæi* Statius VIII, 102. — 275. *indicat* vett. edd. *judicat* vet. cod. Scaligeri, et sic edd. Verum e Bembi codice *vindicat* eodem sensu doctius positum, respectu suppliciorum simul habito infligendorum ex sententia lata. — 276. *Sed f. favens* em. Heins. Edd. Ald. et hinc Ge. Fabric. cum ms. Kœler. et Helmst. et Petav. ac Voss. *audacem fecerat, ante Jam r.* — 278. *insiderat* Petav. et Voss. Reliqua versus verba non satis docta sunt: *regionem* multo minus expectabas. — 279. *unam* vett. edd. pro *imam*, ut sæpe alias. *viridis* ms. Kœler. *Jam vox una viri Euridicem moverat* ms. Helmst. — 280. *que* a Bembo illatum post *steterant* in vett. edd., etiam Aldina, non male abest. Sed omnino interpolatio in h. l. grassata est. *steterant amnes* jam præcesserat v. 277. Heins. conj. *sequiturque comes;* tum *sonoros* mavult. — 281. *c. avara* Petav. et Voss.

276. *Fortuna audacem fecerat Orphea*, scil. quod tantam cantus sui vim in aliis rebus alio tempore jam sæpe antea expertus fuerat, quæ mox enumerantur: hoc tanquam successu elatus ille audebat nunc adire loca infera. *Fortuna valens:* simpl. ornans epitheton; plerumque alias *fortuna potens.* — 277. 278. *regionem*, locum, in quo Orpheus canens cithara consederat, *turba ferarum, sequax blanda voce*, propter blandam vocem *Orphei*, jam alias sæpe suavi cantu allecta, *insederat.* — 279. 280. Hic peccavit poeta, quisquis ille fuit (nam totum episodium de Orpheo ab alio, sed docto, homine profectum videtur), cum Ovidio et aliis, quod vim cantus Orphici in arbores nimis dilute descripsit. Recte vetus poesis arbores carmine motas et delinitas dicere potuit. Sed ineptum erat, huic phantasmati immorari et ipsam motus rationem describere velle. Quercus radicitus evulsa ad vatem accedere debuit secundum poetam nostrum. Mox redit ad easdem v. 280. 281. *silvæ sonoræ* (ornat h. l. epitheton proprium arborum vento strepentium) *rapiebant*

Labentes bijuges etiam per sidera Luna
Pressit equos; et tu currentes, menstrua virgo,
Auditura lyram tenuisti nocte relicta.
Hæc eadem potuit Ditis te vincere conjux,
Eurydicenque ultro ducendam reddere: non fas,
Non erat in vitam divæ exorabile numen.
Illa quidem, nimium Manes experta severos,
Præceptum signabat iter; nec rettulit intus
Lumina, nec divæ conrupit munera lingua.

Heins. f. *vertice prono.* — 282. *Albentes* tentat Jo. Schrader. Sed versificator dixit *labi per sidera. Lunæ* Voss. et Petav. — 284. *nocte relecta* conj. Markland. ad Statium p. 283. — 286. 287. *Non fas, Non erat in vitam Divæ exorabile Numen* Bembina lectio: in qua non constat verborum sententia. Vetus lectio erat: *Non erat in vitam divæ*, vel *dive*, et in Aldina *diræ*, *exorabile mortis:* quod et Petav. habet. Arripuit Scaliger. *diræ e. mortis*, nec expedito tamen satis sensu. Videtur voluisse dicere: nec tamen fas erat, nec divæ numen exorabile, ut et *in vitam* redderet Eurydicen *reducendam;* nam legem adjecit, qua frustraretur promissum suum. edd. Ascens. *nam fas Non erat invitam, nec divæ exorabile mortis.* Acute Heins. *viro* pro *ultro.* Post omnia tamen hæc vss. 286, 7. pro alienis habeo. — 289. 290. *inter Limina* vett. edd., et mox iterum: *nec d. c. limina.* Etiam Scaliger *corrupit limina* profert e membr. Contiana et præfert: vetuerat enim, inquit, Proserpina loqui intra limina et respicere. Bembinam tamen lectionem deserere nolim: *munus Proserpinæ* erat venia data relinquendi loca infera; reditus in vitam. Illa *non corrupit munus*, non irritum reddidit, *lingua*, loquendo. Ms. Kœler. prorsus corrupte: *Lumina, quæ divæ nec rupit imagine linguam.* Ms. Helmst. *nec*

cantus, avide audiebant, arripiebant, idque ornavit adjecto: *cortice;* ut alias *auribus rapimus cantum:* sonus autem per corticem penetrabat. — 282. Etiam Luna repressit bigas per cælum invectas: cursum inhibuit. *Bigæ* nunc equorum sunt, alias taurorum. Parum suaviter mox eandem alloquitur: et tu, *menstrua virgo*, propter vices lunæ menstruas, ut audires lyram, *tenuisti currentes* equos, *nocte relicta*, cursu, quo noctem efficit, regit. — 285.... 287. Hæc eadem lyra, o conjux Ditis, potuit te vincere, ut redderes Eurydicen. *hæc potuit reddere*, solito poetis more, efficere, ut redderetur. *ducendam*, reducendam in vitam; reliqua sunt scabra.

288. Eurydice quidem, severum et strictum jus inferorum deorum jam experta, iter præscripto modo faciebat, neque, uti jussi erant, respexit neque verbum elocuta est. Ingeniose sic poeta non modo Orpheo interdictum, ne retrospiceret, verum et novam legem Eurydicæ datam memorat, qua nostros poetas nondum uti vidi: *ut nec illa silentium voce rumperet:* quæ lex longe durissima fuit, utpote feminæ dicta. Fuit tamen illa magis compos linguæ, quam maritus amoris. *Præceptum signabat iter*, scilicet vestigiis impressis.

Sed tu crudelis, crudelis tu magis, Orpheu,
Oscula cara petens rupisti jussa deorum.
Dignus amor venia, parvum si Tartara nossent
Peccatum ignovisse. Sed et vos sede piorum,
Vos manet Heroum contra manus : hic et uterque
Æacides : Peleus namque, et Telamonia virtus
Per secura patris lætantur numina, quorum
Connubiis Venus et Virtus injunxit honorem.
Hunc rapuit serva : ast illum Nereis amavit.

rupit munere linguam. — 293. 294. Bembina lectio. Edd. vett., etiam Aldina, *gratum si Tartara nossent. Peccatum meminisse grave. et vos s.*, sic et Petav. et Voss., nisi quod *possent*, Antiqua *et est. vos s.* Scaliger veterum lectionem præfert et interpungit : *gratum si T. nossent Peccatum meminisse. Grave : at vos ;* sensum tamen non satis ad liquidum perducit, mox autem emendat : *Peccatum minus esse.* Atqui iniquum est deserere meliora, quæ libri dant, quæque hausta esse ex Ge. IV, 489 manifestum est : *Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes.* Si quid e vet. lect. servare placet, esto illud : *Grave. At vos*, ut sit : Grave quidem est hoc. At contra, ex adverso, a Campis lugentibus, habitat, in piorum sede, heroum contubernium. Sensum teneo ; verba tamen sunt aspera ac dura. Saltem delebo *vos* altero loco, ut sit : *Sed et me sede piorum manet h.* heroum manus, *contra vos*, ex adverso, *in sede piorum.* manet me, adeunda mihi est. Nam de his nunc sequitur locus. Mox in fine *priorum* male recensio Heins. et Burm. cum vett. edd. Sic sæpe *priorum* et *piorum* permutantur. *sedem piorum* quis nescit ! *contra* est ἄντα. Majorem interpunctionem apposui ante *Sed et vos.* — 296. *Peleusque una et T.* Heins. conj. Saltem malim sine copula : *Peleus una et T.* nam hi sunt Æacidæ. — 297. Vett. edd. *locantur*, et *locitantur.* A qua lectione discessum esse videtur, quod transpositas esse voces non videbant viri docti : *per patris secura locantur n.* Sic totus locus sic procedebat : *Hic et uterque Æacides, Peleus nempe et T. virtus, Per patris secura locantur numina.* Ut sit : namque hic locantur, collocati sunt, (etsi satis tenue hoc est) uterque Æacides. *patris numina* ad Jovem, patrem Æaci, avum Pelei et Telamonis, erunt referenda. Scaliger emendavit : *munia*, id est, præfecturam Æaci, quam obtinet ille apud inferos. *munera* in Aldina expressum video. Tamen vel sic *secura* parum placet ; erunt : perpetua, æterna. Saltem præstabat scribere : *Peleus.... virtus Lætatur secura, patris per numina.* — 298. *C. genus et v.* Jo. Schrader. emendat, vere arbitror. — 299. *Hunc rapuit feritas :* vetus erat lectio ; manifeste corrupta. De nuptiis Pelei et Telamonis agitur ; alteri Virtus, alteri Venus, eas adstruxerat ; ille Thetidem duxerat, hic Glaucen, Peribœam, et Hesionen : quam Troja capta ab Hercule accepit et abduxit. Potuit adeo ille ipse dici rapuisse Hesionen : *Hic rapit Hesionen ;* at alterum amat dea. At : *Hunc rapuit serva : ast ;* Bembina lectio, digna uti-

294. Nunc ipsum Elysium adit Culex, et recensum heroum facit, ea loca incolentium, primo, Græcorum, tum Trojanorum. Si *manet* v. 295 sincerum est, debet expectandum esse, ut et heroinæ aliquando in Elysium cum Heroibus admittantur.

Assidet hac juvenis, sociat quem gloria, fortis,
Acer, inexcussus, referens a navibus ignes
Argolicis Phrygios torva feritate repulsos.
O quis non referat talis divortia belli,
Quæ Trojæ videre viri, videreque Graii!
Teucria quum magno manaret sanguine tellus,
Et Simois, Xanthique liquor; Sigeaque præter

que quam amplectamur: quidni enim Hesione bello capta minus *serva* dici potuit, quam Tecmessa Ajacis? et bene oppositæ sunt Nereis et serva: diversa ut sit Telamonis et Pelei fortuna. Maluit tamen Scaliger retrahere pristinum: *H. r. feritas*, ut sit virtus, ἀνορίη Homerica. *H. r. ferrum* ms. Helmst. Petav. et Voss. *ferit. ast. Hunc rapit Hesione* substituit Heins. Pari jure substituas: *Hunc cepit Peribœa; illum N.*; et hoc substituit quoque Jo. Schrader. Emendatt. p. 24 *Hunc rapuit Peribœa;* estque illud propius ad literarum ductum in codd. — 300. Ajacem memora·i manifestum est. Achilles non sequitur nisi v. 320. *A. ac j.* vett. edd., Aldina quoque, et *sociat te gloria sortis*, et Ascens. *ac j. sociatæ gloria sortis;* quod Scaliger probavit, ut esset: *Assidet hac juvenis, sociatæ gloria sortis, Alter*, ut sit, puto, *sors sociata*, consessus heroum in Elysiis modo memoratus. Ita tamen melius procederet sententia, si legeretur: *Assidet his juvenum sociatæ gloria sortis: Alter*, sc. Ajax, h. assidet par juvenum æquali fama; ut sit: *gloria juvenum*, juvenes gloriosi, gloria cumulati. Barthius XXI, 20 malebat: *Assidet at juvenis, sociat quem gloria sorti. sociat quem* Petav. quoque, et *sortis* idem cum Thuan. Heins. emend. *Assidet hunc juvenis sociatæ gloria sortis.* Ita tamen *sociatæ sors* cum Peleo et Telamone vix esse potest. — 301. 302. *inexcussus* etiam e Bembino codice; accipio, ut sit imperterritus, qui mentis statu non excutitur. Vett. edd. *Alter in excessum.* Aldina: *in excelsum*, et Scaligeri duæ membranæ: *Alter in excissum* (hoc etiam in Petav. et Voss.) et *in excidium*, quod et in ms. Helmst. erat: unde ille fecit: *in excursu r.* Heins. conj. *inexustis navibus. referens repulsos* est pro repellens incendia a Trojanis illata classi. Iliad. μ sqq. *Phrygios.... repulsus* edd. Fabric. *P. turba fremitante r.* ms. Helmst., interpolate. *turba feritate refulsos* Petav. et Voss. — 303. *O quisnam* ms. Helmst. *tali dvvortiu bellis* Petav. et Voss. — 304. *Trojæ viri:* saltem *Troes*, aut potius: *Quæ Troes videre, viri videreque Graii.* Sic *Graii viri* apud Ovidium. Heins. *Troes feri* vel *Trojæ subiere viri.* — 305. *magno.... sanguine;* non dubito fuisse, *multo.* Est enim hæc perpetua mutatio ex primis statim Tibulli versibus nota. Vidit quoque Jo. Schrader. et late illustrat Emendatt. pag. 21. — 306. *Sigea*, non *Sigæa.* Est τὸ Σίγειον. *propter*

303. *divortia belli*; quod inter diversos duo populos geritur, quasi ad duo divertitur: ut *divortia viarum*, *aquarum*; et ex altera parte similiter, *jurgia belli*, *discordia pugnæ*, dici solent. Elegans translatio, quam nescio num aliunde acceperit poeta. Mox 304 facit iterum in digressione novam digressionem de bello Trojano poeta: nisi tota hæc lacinia cum tot aliis assuta est ab alio. Cogitandum autem de τειχομαχίᾳ Iliad. N. in qua Ajax Telamonius ignem a classe propulsavit 107 seq. Tum alter Æacides, vers. 322 Achilles, Hectorem interemit.

306. *Sigeaque præter*, ante, *litora quum videre* supple ex vs. 304 *Troes* (pro Trojæ) *viri et Graii.*

Litora quum Troas, sævi ducis Hectoris ira,
Videre in classis inimica mente Pelasgas
Volnera, tela, neces, ignis inferre paratos.
Ipsa jugis namque Ida, potens feritatis, et ipsa
Æqua faces altrix cupidis præbebat alumnis,
Omnis ut in cineres Rhœtei litoris ora
Classibus ambustis flamma superante daretur.
Hinc erat oppositus contra Telamonius heros,
Objectoque dabat clipeo certamina; et illinc
Hęctor erat, Trojæ summum decus: acer uterque,

malebat Heins. et Jo. Schrader. Emendatt. p. 27. Interpunctionem mutavi: quum ea esset: *X. liquor, Sigeaque præter Litora: quum.* — 307. 308. *quum Troes sævi vos Hectoris ira* Bembina erat lectio, ut sit: *quum videre* (scil. homines) *vos, o Troes: paratos inferre* etc., quod ingratum est. Vett. edd. *quum Troas sævi vos Hectoris ira Viderit*, et ms. Helmst. *Vidit, et* (Voss. et Petav. autem *Vidit in cl.*): neutrum satis commode. Licet *Troas* tenere et suspicari in *vos* latere *actos: Sigeaque propter Litora quum Troas sævi actos Hectoris ira Videre;* ut ipsa litora viderint. Alioqui debebat *videret* sequi: excidit forte hoc ad finem versus, v. c. hunc in modum: *quum Troas sævi Hectoris ira videret Fortiter in classes.... inferre paratos*, aut, quod ms. Helmst. habet, *parantes. Hectoris ira, μένος Ἕκτορος*, pro Hectore. Sed Scaligerum hoc eo ducebat, ut *vis Hectoris* mallet, et, reliqua accommodaret: *quum Troas sævi vis Hectoris ire Viderit in cl.* In ed. Ven. 1484 *vox Hectoris* erat vitium. Ecce tamen protulit Jo. Schrader. Emendatt. p. 27 e Cod. Vossiano, quod totam litem tollat; esse enim in eo diserte scriptum: *Troas sævi ducis Hectoris ira.* Verum adeo esse non potest, quod apud Friesemannum est, in Voss. et Petav. legi *sævi dos.* At *Troas* jam in edd. vett. et in Petav. visitur. *Pelasgas* vid. ad Æn. I, 624 Not. — 310.... 314. Quatuor hi versus, forte etiam sequentes, a deterioris notæ versificatore inserti videntur. — 310. *Ipsa magis* edd. vett. *Ipsa vagis* Ald. cum Petav. et Voss. In fine *et ipso* ed. Ven. — 311. *Ida faces* Ald. cum ms. Kœler. *Datque faces* edd. vett. *Daque f.* Petav. Unde Scaliger refingebat: *Ipsa magis namque I. p. f. et ipsa Acta* vel *Dicta faces. Dicta* ita, *Δίκτη*, mons erit; *acta; ἀκτὴ*, ut Æn. V, 613. Mire autem et insolenter dictum: *Ida potens feritatis*, pro, ferarum potens, ut *μητέρα θηρῶν* alii dixere. Scaliger etiam multo durius *ferarum arborum altricem* exponit. Heins. non emendat, sed substituit: *Ipsa jugis namque Ida parens* (vel *patens*, quod Petav. et Voss. habent) *vernantibus* (vel, *frondentibus*) *ipsa Ida faces altrix c. p. a.* « Meurs. « Exerc. Crit. P. II, p. 103 *Ata parens:* nam Ata collis, in quo sita Troja. Apol- « lod. III et Lycophr., ubi idem Meurs. videndus. » Male vero Meursius. Nam *Ates collis* est: vid. Apollod. p. 245 et Not. p. 743 *τῆς Ἄτης λόφος*. Verum totum versum non sanandum, sed ejiciendum arbitror tanquam insititium: et legendum in proximo: *Ida faces altrix cup. p. alumnis*, h. Trojanis suis. Et Voss. cum Petav. *Daque feces a. cupidus f.* — 313. *flamma lacrimante* ut codd., sic vett. edd. ante Bembum, etiam Aldina, et membranæ Scalig., quod hic præfert; ut sit *δακρυόεσσα φλὸξ, πόλεμος δακρυόεις*· sed hoc Virgilius reddebat: *lacrimabile bellum*, et sic malim *lacrimabilem flammam*, non *lacrimantem*. Heins. conj. *populante* vel *crepitante*. — 314. *opp. conto* conj. Jo. Schrader. ex Homero. — 316. *summum*

Fulminibus cælo veluti fragor editus alto;
Ignibus hic telisque super, si classibus Argos
Eripiat reditus: ille ut Vulcania ferro
Volnera protectus depellere navibus instet.
Hoc erat Æacides alter lætatus honore:
Dardaniæque, alter, fuso quod sanguine campis
Hectoreo victor lustravit corpore Trojam.
Rursus acerba fremunt, Paris hunc quod letat, et hujus

Trojæ decus Ald. — 317. 318. Ergo erit: acer uterque velut tonitru, hic super ignibus telisque. Laborat in his τὸ *super*. Forte, *furens*. Tum Heins. *Ignibus hic tædisque*. Vett. edd. *Fulminibus cælo veluti fragor editur ense. Tegminibus telisque super Sigeaque præter Eriperet reditus:* quo et alludunt ms. Kœler. Voss. et Petav., nisi quod in hoc *Fluminibus*, et *editus in se*. Aldina: *Fulminibus veluti fragor sonat* (in Ald. 1534 mutatum in *intonat*) *ætheris in se Tegminibus telisque super Sigeaque præter Eriperet reditus*. In his corrupta haud dubie et ejicienda illa: *Sigeaque præter* ex vs. 306 huc retracta, et tenendum est, quod habemus: *si classibus Argos Eripiat reditus:* est hoc, quod Scaliger quoque monet, Homericum, ἀρσίλοχο νόστιμον ἦμαρ. *si eripiat* pro ut, uti Æn. VI, 78 *magnum si p.* At priora e vetere lectione non male procedant: *Fulminibus cælo veluti, fragor editur ense Tegminibus telisque super*. Comparatio illa Virgilio quoque frequentata. *tegmina* sunt clipei; malis quidem: *Tegminibus galeisque super;* sed ferendum est alterum. Scaliger tentat: *Fulminis ut cælo volitat fragor*, vel, *Fulmineus* (hoc et Heins. conj.) *cælo veluti fragor:* ut *super editur* sit, sc. *uterque*, quam dura hæc et invita! — 319. 320. *Eriperes* ante Bemb. *Eriperet* codd. et vett. edd. *alter Vulc.* ante Bemb., et *projectus* et *instat;* sic et codd. forte: *ille at.... protectis navibus instat*. In edd. Ge. Fabricii emendatum video *protectis navibus*. Flammarum autem incendia dixit *Vulcania vulnera*, quæ Ajax avertit. Æn. IX, 109 *Quum Turni injuria matrem Admonuit ratibus sociis depellere tædas*. Heins. conj. *alter Vulcania tergo Sulphura protectus:* ut sit tergum pro clipeo; et *sulfur* pro igni. — 321. 322. 323. Etiam hi tres versus acumen interpolatoris sapiunt. Malim tamen eos e lectione Bembina sic legere, ut sunt. In vett. edd. et codd. *Hoc e. Æ. vultu l. honore* vel *honores*, et v. 323 *Hectora lustravit victor de corpore Troja*. Aldina utrumque versum paullo aliter expressit: *Hoc erat Æ. multum l. h.*, idque non male teneas: quod et Heins. facit; et *Hectore lustrarit victor de c. Trojam*. Ms. Helmst. et Kœler. *Hector lustravit victor de c. T. Hectora lustravit victor de c.* Voss. et Petav. Scaliger audacter satis ita refinxit, ut ad unum Achillem omnes tres versus spectent: *Hic erat Æacides, vultus elatus honore, Alter Dardanio fusis quod sanguine campis Hectoreo victor lustravit corpore Trojam*. at Heins. em. *Dardaniisque alte fuso quod sanguine*. Etiam Jo. Schrader. conj. *alte*. — 323. Inter hunc et 324 inseruit Scaliger inf. versus 336 et 337. — 324. *fremit* vett. edd. *acerba*, pro acerbe. *latat*, *lætat* vett. edd., eodem sensu, ut sit *letat*

321. *Æacides alter*, Ajax Telamonius, qui a navibus ignes a Trojanis illatos depulerat; *alter*, Achilles, Hectoris cæsi corpus circa muros Trojæ raptavit. Vide Æneid. lib. I, v. 483.

324. Achilles Paridis, Ajax Ulyssis fraude cecidit.

Alma dolis Ithaci virtus quod concidit icta.
Huic gerit aversos proles Laertia vultus,
Et jam Strymonii Rhesi victorque Dolonis,
Pallade jam lætatur ovans; rursusque tremiscit
Jam Ciconas, jam jamque horret Læstrygonas atrox.
Illum Scylla rapax canibus subcincta Molossis,
Ætnæusque Cyclops; illum metuenda Charybdis,
Pallentesque lacus, et squalida Tartara terrent.
Hic et Tantalei generis decus, amplus Atrides,
Assidet, Argivum lumen : quo flamma regente

vel *lethat;* leto dare, *πίφνεν·* corruptius alii *lædat.* Ms. Kœler. *fremunt pars huic pars destinat illi.* Ad rem vid. Æn. VI, 56 sqq. Sed uterque versus subditicius. — 325. *Alma* a Bembo venit; vett. edd. *Arma* cum Petav. et Voss., vel *Alta:* hoc haud dubie præstat et Scaligero quoque probatum. *hujus,* sc. Ajacis: et ad armorum judicium respicitur. Ms. Kœler. *virtusque c. ira.* — 326. Ulysses ex adverso Ajaci, sed averso propter arma Achillis intercepta vultu, sedere et veterum factorum recordatione delectari fingitur. Sed vett. edd., etiam Aldina, *Hinc gerit eversos p. L. currus:* ut poeta adhuc in emblemate descripti belli ad Trojam subsistat. Ita *currus Rhesi* intelligendi sunt, unde solutos equos abigit apud Homerum Ulysses Iliad. *κ*, 498 sqq. Sed potuit hoc variare poeta. Scaliger conjicit *aversos,* ut abegerit ipsum currum : ut testatur auctor tragœdiæ Rhesi. Nisi *currus* dixit Homerico more pro equis, quos abegit. vid. Æn. I, 472. Heins. conj. *Hinc regit aversos p. L. currus.* conf. Jo. Schrader. Emendatt. p. 18 et 171. Petav. *virtus.* — 328. *Palladio lætatur ovans* Ald. et ed. Fabric. — 329. Corrupte edd. vett. *Pamoicon Asiamque h. L. atrox,* vel *atros.* Aldinæ : *Jam Cicones : jamque horret atrox Læstrigone°.* Pro hoc in fine versus *atros* vulgo lectum : *acres* ed. Fabric. effinxit; sed tenendum *atrox.* Voss. lectio : *Jam Ci·. jamque h.rret atrox Læstrygonas ipse,* præfertur a Jo. Schradero, in Emendatt. pag. 28, quia *jamque* dicendum erat, non *jamjamque.* conf. sup. 254. 255. Recte hoc. Reposuissem et ipse hoc, nisi finem versus in *ipse* claudicare viderem; id quod et Aldina lectio docet. Quod habemus, sic refinxit Scaliger. — 331. *metuenda Charyl dis.* Voss. corrupte *ranolea,* unde Jo. Schrader. Emendatt. p. 26 eruit *Zanclæa,* docte, ut ap. Ovid. Fast. IV, 499. — 333. Vett. edd. *Hic et Tantaleæ gener Æacus amplus Atridæ* vel *Atrida.* Sic et Petav. ac Voss., sed omisso *Æacus.* Non male Ascensius *Tantaleus* legit (ita esset : *Tantaleus gener : Æacus : amplus Atrida*) et de Amphione, Niobes marito, accipit. Nec tamen is in hoc de Trojanis temporibus loco sedem recte suam tueretur. Alia corruptela in ms. Kœler. *gemmatæ prolis Atridæ.* ms. Helmst. *Tantaleum genus jam Plistenatrides.* An *Plisthenes,* Agamemnonis pater, fuit memoratus? *Hic et Tantal. i st'rps Plisthenis, amplus Atrides.* — 334. *tegentæ* vett. edd., sed *quo regente* est, quo moderante, imperante : *οὗ στρα-*

326. Sedet in Elysio Ulysses averso ab Ajace vultu; ipse apud se reputans, quæ gesserat.

328. *Pallade ovans* potest esse, Palladis auxilio; sed verius, Pallade rapta, Palladio, ut jam Ascensius : vid. Æn. II, 163 sqq. de raptu *fatalis Palladii.*

Doris Erichthonias prostravit funditus arces.
Reddidit, heu, gravius pœnas tibi, Troja, ruenti;
Hellespontiacis obiturus reddidit undis.
Illa vices hominum testata est copia quondam,
Ne quisquam propriæ fortunæ munere dives
Iret inevectus cælum super: omne propinquo
Frangitur invidiæ telo decus: ibat in altum
Vis Argea petens patriam, ditataque præda

πυργοῦντος, ut bene Taubmann. Agamemnonis ductu eversa Troja. — 335. *Oris E.* male vett. edd. *flamma Doris*, Dorica, Achivorum. Ausus idem Maro lib. II Æn. 27, ubi vid. Not. *Erichthonias arces*: de Ilio vid. Iliad. υ, 219 sqq. — 336. *furenti* erat in vett. edd. Sed *ruenti* præstat. Est autem verborum ordo ac sensus: *O Troja, reddidit tibi ruenti pœnas gravius*, pro, *pœnas graviores*, scil. Agamemnon, domum redux a conjuge interemtus. Quæ sequuntur, iterum interpolatoris manus sunt, meo judicio. In Agamemnonem profectu hoc non convenit, quod in Hellesponto obierit. Itaque Scaliger, qui primum corrigebat: *Heu reditus Graium p.*, mox transponit versus supra ante v. 324 *Rursus a f.*, ut ad Achillem retrahantur, quem ad Sigeum, adeoque ad Hellesponti ostia, sepultum esse constat. Barthius XXI, 20 reponere jubebat vs. 337 *obituris*, quam obituri. Dure! ut fere omnia hujus viri. In Ald. scriptum: *Reddidit heu Graius pœnas tibi, Troja, furenti* (ut fere Voss. et Petav., nisi quod *gravis*). Ita de toto Achivorum exercitu accipiendum. Nec tamen is in Hellesponto sed ad Eubœam naufragium fecit. Heins. *Graiis* adoptabat; non video quo sensu: tum versu altero *subiturus*, vel *luiturus* et *Euboicis*. Sed pannus hic est ab alio versificatore assutus, qui iterum de Achille cogitabat. Sequentes quatuor versus sunt nimis exiles. — 338. *copia* pro multitudine hominum, pro copiis. Ita Virgilius vix est loquutus. Etsi pedestrium scriptorum exempla non desunt. vid. Barth. XXI, 20. — 339. 340. *proprio* vel *prono* em. Heins. Scaliger ex membrana vet. excerptorum sic legit: *Cur aliquis propriæ fortunæ munere dives Tendit inevectus cælum super?* Iterum hic *inevectus* pro evectus. Male vett. edd. *in æternum*, et edd. Ge. Fabric. *in evectos*. *inevectus* etiam Petav. Heins. iterum *humo evectus*, ut v. 160. Lenius Jo. Schrader. *ne....f. m. fidens Tenderet evectus c. s.* Mox haud dubie distinguere præstat: *omne propinquo F. i. t. decus*; non ut ante erat *super omne*; *pr.* Aldina: *telo*; *deus ibat*. Iterum nova interpolatio, a loco aliena, sed docti hominis, hinc orditur: *Ibat in a.* — 342. *Vis Argoa petens* a Bembo est. Ita vero *Argiva* legendum: nam *Argoa* ab navi Argo esset ductum. Aldina dederat: *Vix Argo repetens p. Vis Argo r.* Petav. cum Voss. Ms. Helmst. *Vix agros r.* Edd. vett. *Bis ergo repetens* vel *Bis repet ns Argo*, vel *Vis r. Argo*; unde Scaliger. conj. *Vis repetens Argos patrium*. Sed nimis durum, ut *Vis* absolute pro copia ac classe dicta sit. *Vis Argoa* Ἀργῶος. vel *Argiva* Heins. et Jo. Schrader. Emendatt. pag. 23.

336. *Reddidit heu gravius*, ut sensus sit, lege *Graius*, pro Graii; nam de naufragio in reditu Achivorum agere incipit. *Hellespontiacæ aquæ* latius dictæ pro mari Ægæo. *Arx Erichthonia* v. 343. est *Pergamum*. Erat Erichthonius Dardani filius, qui post fratrem Ilum Ilii regnum tenuit: Apollod. III, 12, 2.

Arcis Erichthoniæ : comes huic erat aura secunda
Per placidum cursu pelagus; Nereis ad undas
Signa dabat, pars inflexis super acta carinis;
Quum, seu cælesti fato, seu sideris ortu,
Undique mutatur cæli nitor; omnia ventis,
Omnia turbinibus sunt anxia : jam maris unda
Sideribus certat consurgere; jamque superne
Conruere et Sol iis et sidera cuncta, minantur.
Ac venit in terras cæli fragor : hoc modo læta
Copia nunc miseris circumdatur anxia fatis,
Inmoriturque super fluctus, et saxa Capharei,
Euboicas et per cautes Heræaque late

343. *comes aura; πόμπιμος οὖρος*, ut Scaliger illustrat. — 344. 345. Scabri et hiulci versus ex margine profecti. Forte fuit : *comes huic erat aura secunda; Per placidum cursus pelagus* (sc. fuit), *Nereides undis Innabant* (nam alterum barbarum aut corruptum est). *Pars inflexis super acta carinis :* designat currus, quibus insident, belluis junctis? Scaliger emendat : *Nereides undis Signa dabant:* et mox *pars* (scil. Nereidum) *i. subit acta carinis;* subit adeo navi pars Nereidum, ut propellat; sed quid *acta* esse dicemus? Barth. XXI, 20 *Nereia turba* legebat, et de delphinibus accipiebat; esse enim in vet. edit. *Nereia fundit.* Videtur barbarus et illepidus interpolator junxisse : *pars* (cursus per pelagus) *superata erat*, h. confecta erat a classe. *inflexæ carinæ;* ornat epitheton; ut *curvæ pandæ.* Ms. Kœler. *Per pl. cursus pelagus venientis.... superata carinis.* Heins. conjicit : *Nereides udæ Signa dabant* vel *Adnabant;* et : *pars inflexas circum acta carinas.* Nodell Not. crit. pag. 81. conj. *pars inflexis* subjecta *carinis.* — 346. *Quum ceu cælestis f. s. s. orto* Petav. — 348. *anxia* parum dixit commode. Heins. conj. *concita.* Mox 349. *Sideribus*, ad sidera. — 350. *Corruere et Sol iis et sidera.* Parum propitia Musa procusus versus : ex Bembina lectione. *Corripere et Sol et*, vel *et Sol jam* vett. edd. An fuit : *jamque superne* (maris unda) *Corripere et solem et jam sidera cuncta minatur.* Giganteum hoc; sed versificatore, quam sæpe in carmen hoc grassari vidimus, non indignum. Ms. uterque *et soles et.* Nec longe abit Aldina lectio : *jamque superne Corripere et soleis et sidera cuncta minantur. Ac ruere in terras c. fragor.* Petav. *supernæ Corripere et solis et s.* Heins. conj. *jamque superne Corripere*, vel *Opprimere, et soles et s. c. minantur. Ac ruere in terras cæli fragor :* ut Phædr. LXXIV, ubi leg. *Canes confusi, subitus quod ruerat fragor.* — 351. *Ac vero in t.* Petav. et Voss. *Ac venit* melius alii. *Ac ruere in terras* Aldd., ut modo vidimus. *cælo* conj. Jo. Schrader. *Hic modo lætum*, pro lætorum, Bembus dederat. *Hinc m. læta* vett. edd. *Hic modo læta* alii. *Hic modo lethum* ms. Kœler., cum ms. Helmst. Voss. Petav., in quibus *lætum.* Mox *Copia* iterum pro copiis, classe. — 353. Conf. Æn. XI, 259. 260, unde *Capherei* refingendum. — 354. *E. en per c.* vel *at per* Heins. malebat *Heræaque.... litora* jam Scaliger monuit in Eubœa nulla memorari, et egregie emendavit *Gyræa.* Γυραῖαι πέτραι et Γυραί, Homero Odyss. δ, 500. 507, ad quas Ajax Oilei interiit. In vett. edd. *Cæicaque* legitur : « An, pergebat

Litora : quum Phrygiæ passim vaga præda peremtæ
Fluctuat omnis in æquoreo jam naufraga tractu.
Hic alii sidunt pariles virtutis honore
Heroes, mediisque siti sunt sedibus omnes :
Omnis Roma decus magni quos suscipit orbis.
Hic Fabii, Deciique; hic est et Horatia virtus;
Hic et fama vetus nunquam moritura Camilli;
Curtius et, mediis quem quondam sedibus urbis
Devotum bellis consumsit gurgitis haustus;

« ille, in membranis scriptum fuit *Æcea* pro *Ægea?* Nam *Ægea litora* legendum « esse, etiam Euripides docet in Ione.... πέτραις Καφηρείας ἰμβαλὼν αἰγαίτης » Probat emendationem Jo. Schrader. Emendatt. p. 29; accedere enim Voss. *Egea.* At debebat docere vir doctus, quænam sint *Ægea litora.* Leg. *Ægæa litora*, seu maris Ægæi : seu, quod præfero, ab Ægis, Eubœæ urbe maritima aut insula in ipso litore; a qua etiam nomen ductum putatur maris Ægæi v. Hesych. in Αἰγαὶ, et Strabo VIII, p. 592 B. C. Et locus, quem Scaliger respexit, non est Ionis, sed ex Helena 1140 πέτραις Καφηρίαις ἰμβαλὼν, Αἰγαίαις τ' εἰναλίοις πέτραις. *Ægeaque* e ms. Kœler. quoque notatum video. Alius vir doctus in ed. Aldina emendavit : *E. aut per cautes OEteaque*, minus feliciter. Nam OEtam in Eubœa non novimus. Etiam alienum *Cenæaque :* nam illud promontorium in diversa Eubœæ parte. *E. aut per cautes Æreaque* Petav. et Voss. apud Friesemannum; quod de Vossiano recte pronuntiatum non est. — 355. *tum P.* malebat Heins. *præda peracta* vett. edd., quod Scaliger retrahere jubet, ut sit penitus aversa et convectata, ut *sidus peractum*, confectum. Quæ non satis capio : dicam saltem *prædam peragere* esse dictum pro agere. *vaga præda perempta* Aldina dedit; nec aliter Voss. et Petav., qui et, *quum Phrygia.* — 356. *F. æquoreo omnis jam* edd. vett., vel *Fl. æq. nunc omnis*, et in fine *fluctu :* quod et Scaliger legit; in Contii ms., ut et in ms. Kœler., erat *luctu.* In eodem (et Voss. ac Petav.) *Fl. omnis in æquorio naufragia*, unde Scaliger conj. *navifraga.* Sed præstat vel sic Bembina lectio. *navifraga tractum* Petav. *fluctu* et ipse probat Heins. et conj. *male naufraga.* — 357. *Hinc alii sidunt* Aldina. *Hoc alii assidunt*, vel *se dant* conj. Heins. — 358. *Heroes.... omnes.* Totus versus ludus est hominis, qui superiorem versum aliis verbis reddebat. *m. insistunt s.* Heins. conj. vel *incedunt.* — 359. Sensus : *Quos omnes Roma suscipit*, vel pro suscepit, quorum parens fuit Roma, vel pro tenet, habet. Alii accipiunt, suscipit in numerum principum virorum suorum. Nec præstat legere : *suspicit*, miratur. Hoc tamen conj. Heins et Friesem. Post hunc versum Scaliger vs. 368 *Jure igitur t.* retrahit. — 360. *Gracchia* Voss. apud Jo. Schrader. — 361. *n. m. per ævum* vett. edd., etiam Aldina; unde patet, *Camillum* interpolatoris manu irrepsisse. Ms. Helmst. *n. m. Metelli* legebat : et hunc versum superiori præmittebat. Voss. et Petav. *mota Melli.* Itaque, quod Scaliger jam fecit, jungenda : *Hic et fama vetus nullum* (nam sic leg. pro *nunquam*) *moritura per ævum, Curtius :* ut ipse Curtius sit κλέος, fama vetus, nota elegantia : καὶ μῦθος παλαιὸς ὁ Κούρτιος. Heins. tamen em. *Hic fama et veteris.* — 362. *e mediis* Aldina; sicque emendat Scaliger. Equidem desidero *in mediis.* — 363.

357. Nunc heroes Romani, h. e. clarissimi viri, memorantur in Elysio.

Mucius et prudens ardorem corpore passus,
Legitime cessit cui fracta potentia Regis.
Hic Curius claræ socius virtutis, et ille
Flaminius, devota dedit qui corpora flammæ.
Jure igitur talis sedes pietatis honorat.
Illic Scipiadæque duces, devota triumphis
Mœnia quos rapidos Libycæ Carthaginis horrent.
Illi laude sua vigeant; ego Ditis opacos

Bembina lectio est. Vett. edd. *gurges in unda;* Voss. autem *greges in unda.* Scaliger hinc effingit: *gurges inundans.* De Curtio narratio fuit valde diversa, quod Scaliger jam monuit. In pugna cum Sabinis facta sub Romulo narratur ille trajecto lacu in medio foro salvus evasisse. v. Dionys. lib. II, 42. Varro triplicem historiam affert de LL. IV, p. 36 ed. Dordr. Potuit itaque et alia esse, qua Curtius in eo lacu periisse ferebatur. Fit tamen manifestum, *bellis* esse corruptum; forte *tetri* c. *gurgitis.* Ceterum *devotum* puta inferis Manibus. — 364. 365. Versus in seqq. suspicor esse plures in margine adscriptos ab iis, qui nova exempla cumulare vellent. *prudens*, sciens ac volens. Sed quid vs. 365 velit non satis capio. Scaliger dedit: *Legitimi.... Regis:* ut Porsenna sit, quum Scævola antea scribam falso pro rege habuisset. Parum placet acumen. Malim *Legitime* ad *passus* adnectere: ut forte cavere voluerit pœtaster, ne ob maleficium perpessus ignem putaretur. Etiam Burmanno in Anthol. Tom. I, pag. 199, parum placere video *Regem legitimum;* conjicit ille *Finitimi*, quod et Heinsio in mentem venit. Cur tamen non placuit *Clusini, Etrusci, Tyrrheni?* — 366. *Huic C.* Heins. em., bene; et mox *illi.* Jungenda: *socius virtutis et ille:* si versus sequens deletur. — 367. *flammis* edd. vett. Hunc Flaminium, qui flammæ se dederit, nemo facile ex historia vetere eruat. Sin est auctor cladis ab Annibale acceptæ, devovisse ille dici posset corpora Romanorum rogo; ita vero vix inter heroes erat numerandus. Metaphorice accipi de bello, adeoque de Flaminio Cos., qui cum Annibale conflixit, Scaliger: nimis argute. Satis prodit vel inepta allitteratio: *Flaminius flammis*, ab indocto homine procusum versum esse, qui veteri poetæ excidere non potuit. Accommodatior historiæ est Jac. Nic. Loensis Epiphyll. IX, 2 emendatio: *Cæcilius, devota dedit qui lumina flammis*, ut sit notus ille Metellus, luminibus orbatus, quod Palladium ex incendio ædis Vestæ rapuerat. Enimvero Curii memoratio vix alium quam *Fabricium* postulat vel admittit. Forte librarius turbas fecit, quum esset exaratum: *Mucius et, prudens ardorem corpore passus. Hic Curius, claræ socius virtutis et ille Fabricius, cessit cui fracta potentia Regum.* Jam adscriptum repererat ille in margine ad v. 363. *devota dedit qui corpora flammæ.* Nec longe ab hoc aberat Jo. Schrader. — 368. *talis* pro *tales* accipiendum: *Jure igitur sedes pietatis*, piæ sedes, *honorat tales.* Versus parum affabre procusus. Vett. edd. cum Petav. et Voss. *honores.* Heins. conj. *Jure triumphali*, nescio quo fructu. — 369. *Isthic* vett. edd. *Istarum piadasque duces quæ vox triumphet* Petav. *Scipiadasque duces quorum d. tr.* Scipiadæ *rapidi*, qui et Virgilio: *duo fulmina belli.* Aldina: *Scipiadasque.* — 370. *Mœnia Romanis* ms. Kœler. et Voss., parum

371 sqq. Miro phantasmate poeta Culicem per diversas inferorum partes vagatum, quum primum lucos Cimmerios, monstrorum sedes

Cogor adire lacus, viduos a lumine Phœbi,
Et vastum Phlegethonta pati : quo maxima Minos
Conscelerata pia discernit vincula sede.
Ergo jam caussam mortis me dicere vinctæ
Verberibus sævo cogunt ab judice Pœnæ :
Quum mihi tu sis caussa mali, nec conscius adsis,
Sed tolerabilibus curis hæc inmemor audis;
Quæ tamen, ut vanis dimittens omnia ventis,

commode. *Mœnia rapidis L.* ms. Helms. *M. quos rapidis* Petav., melius. — 372. *locos* corr. Jo. Schrader. *viduos a lumine P. ἡλιοστερεῖς* ex Sophocle appellat Scaliger. Malis tamen *viduatos lumine*. Et sic Heins. quoque conj., vel *viduos ah l.* — 373. 374. Scaligero commodius videbatur legi posse : *Cognita discernit scelerata piacula sede :* ut sensus sit : Minoem discernere maxima piacula scelerata cognita, h. dijudicata; sede h. sedibus pro ratione criminum assignatis. Equidem hæc non minus scabra esse sentio quam vulgata : *quo*, aut potius *qua*, qua parte, ubi (et sic edd. Ge. Fabricii), *Minos discernit maxima vincula conscelerata* (h. Tartarum, unde nullus reditus; qui etiam Maroni est, *Sedes scelerata*) *pia sede*, h. a sede pia. Barth. Advers. XXI, 20 primum se jactat loci sententiam perspexisse; *vincula* esse corpus, *conscelerata*, contaminatum a scelerata anima. Nihil vidi contortius. Jo. Schrader. *discernit sæcula*. Jacobs conj. ingeniose : *quo proxima M..... dis·ernit limina sede*. Nodell cum Jo. Schradero conj. *quo*, maxime *Minos, Conscelerata pia* discernis *vincula sede*. — 375. A Bembo est lectio, in qua *vinctæ* expeditu difficile. *cinctæ* em. Oudim. Misc. Obss. crit. nov. Tom. IV, p. 313. Ferrem, si angues vel serpentes adjecti essent. Nisi verbera pro flagellis dicta esse putes, quum Propertius flagellis incinctas Furias dixerit. Præstaret tamen *me.... vinctum*. Vett. edd. et Aldus : *Ergo quam caussam mortis, quam d. vitæ;* quam lectionem reduxit Scaliger : Τὸ *quam* ego non magis expedio; saltem malim sic constituere : *Ergo jam caussam mortis, jam dicere vitæ*, scil. cogunt. Et adspirat Petav. *Ergo quam c. m. jam discere vitæ*. — 376. *sævæ* vett. edd., ut *sævæ Pœnæ* sint, Furiæ, idque melius : etiam codd. Tum Scaliger cum Heinsio emendat, *cogunt sub judice*. Forte poeta *a judice* sic dixit, ut sit : ad jussum judicis. — 377. *malignæ conscius* vett. edd. cum codd. Petav. et Voss. *conscius* h. l. tanquam advocatus. *συνήγορος σύνδικος. c. ausis* conj. Heins. — 378. *Nec t.* Bembina lectio sensum vix habet. *Sed tolerabilibus curis* vett. edd. quod merito revocat Scaliger : sunt enim *curæ tolerabiles* mediocres, modicæ. Audis hæc, nec multum mea calamitate tangeris, parum memor beneficii mea morte accepti. Codd. Petav. et Voss. cum Aldina : *Sed tolerabilius*. — 379. Est Bembina scriptura. Vetus vero : *Et tamen in vanis dimittes* (Aldina *dimittis*) *somnia vents*, quam Scaliger sic ornat et cum versu 382 continuat : *Tu tamen in vanos dimittes somnia ventos Et mea diffusas rapientur dicta per auras*. Sin alterum nec admise-

(v. 230 sq.), mox Impiorum loca (v. 238 sq.) tum Elysias sedes (v. 257 sqq. ad v. 370) a limine salutasset, nunc in eo esse narrat, ut coram Minoe judicium subeat. Scilicet corpore sepulto et funeris honore sibi persoluto sperare poterat, iri se admissum ad certam in inferis sedem. Nam ad humanæ umbræ exemplum hæc adumbrata sunt.

Digredior nunquam rediturus; tu cole fontis
Et viridis nemorum silvas et pascua lætus :
Et mea diffusas rapiantur dicta per auras. »
Dixit; et extrema tristis cum voce recessit.
Hunc ubi sollicitum dimisit inertia vitæ :
Interius graviter mentem æger nec tulit ultra
Sensibus infusum Culicis de morte dolorem.
Quantumcumque sibi vires tribuere seniles,
Quis tamen infestum pugnans devicerat hostem,
Rivum propter aquæ, viridi sub fronde latentem
Conformare locum capit inpiger : hunc et in orbem
Destinat, ac ferri capulum repetivit in usum,
Gramineam ut viridi foderet de cespite terram.
Jam memor inceptum peragens sibi cura laborem

ris, prius tamen erit refingendum : *Hæc tamen, ut vanis dimittes somnia ventis? somnia* Heins. quoque em., vel propius ad vulgata : *Quæ tamen haud vanis permittens omnia ventis.* Sed totus versus miseri interpolatoris est. Debuerat saltem cum sup. jungere : *Ut vana hæc rapidis dimittens somnia ventis.* Porro autem Scaliger post hos quos dixi versus : *Tu tamen.... Et mea....* inseri volebat versus 257.... 259 *Eheu m. .... In diversa.... Elysiam.* Tum subjici novissimos v. 380. 381. 383. *Digredior* etc. — 380. *D. n. moriturus* Voss. — 382. *At mea* forte. *rapiuntur* Ald. cum Petav. Heins. *En mea.... raptantur.* Verum est et hic versus interpolatoris. — 384. *inertia vitæ* quid hic sit, non dicam. Lego, *inertia somni*, h. somnus, ubi pastorem dimisit, reliquit. *visi* conj. Heins. — 385. *ægret* Scaliger emendat, nec male. Potest tamen oratio continuari : *æger nec tulit* pro, *non t.*, ut feci, sublata distinctione post *æger*. Aliam lectionem, quam etiam ms. Helmst. cum Petav. et Voss. habet, profert Scaliger et probat : *Interius graviter regementem :* ita enim scribendum, non *rege mentem*. Jacobs noster em. *Ingemit et gr.* Malim *Ingemuit graviter, mentem æger*, n. — 386. *S. inclusum* ms. Kœler. — 388. *Queis, Quis*, viribus. *pugnas* vett. edd., male. *hostem* int. hydram. — 389. Uti distinximus, *v. s. fronde latentem locum* junximus. Alii *Rivum latentem* junxerant, vel *hostem latentem*. — 391. *hac ferri cupidum* vett. edd., male, et v. 392 abest *ut :* tum Aldina cum edd. Ge. Fabric. *viridi fodiens de. capulum in usum repetere* mire dictum est. Heins. conj. *ac ferri c. r. acuti*, quod non satis facit. — 393. In hoc et seqq. plura plurium versificatorum tentamina. Hic saltem versus

384. Exsurgit a somno pastor et Culici tumulum parat. Etsi enim non diserte de eo Culex conqueritur, quod justis sibi non præstitis umbra in inferis sedem habitura certam non sit, totam tamen poetæ fabulam eo attemperatam esse apparet. — 390. *capit conformare :* suscipit, ut supra *comparat dare.* v. 204 *et in fessos requiem dare comparat artus.* Aliud est *locum capere*, quod Scaliger huc vocat. — 391. *ferri capulum*, de ligone accipio.

Congestum cumulavit opus, atque aggere multo
Telluris tumulus formatum crevit in orbem:
Quem circum lapidem lævi de marmore formans
Conserit assiduæ curæ memor: hic et acanthus,
Et rosa purpureo crescit rubicunda colore,
Et violæ genus omne hic est, et Spartica myrtus,
Atque hyacinthus; et hic Cilici crocus editus arvo;
Laurus item Phœbi surgens decus; hic rhododaphne,
Liliaque, et roris non avia cura marini,
Herbaque turis opes priscis imitata Sabina,

delendus. — 394. *Aggestum* c. Heins. em., et *utque a. m.* Forte fuit: *Aggestam cumulavit humum.* — 396. Scaliger conj. *Quem circum lapidum lævi de marmore formas Conserit:* ut sint crustæ marmorum, emblemata: nimis eleganter et opipare pro pastore. *d. m. acervans* Heins. conj., et *lapidis* et *Congerit.* Valer. Fl. VI *supremos puero sic fatus honores Congerit. Lapidem* tamen et *marmor* quomodo jungam non video. An *lapide et lævi de marmore.* Pessime vero interpolator marmor memorat, quum saltem maceria aut θριγκὸς aggestam humum circumdare deberet. — 397. *assiduæ curæ memor*; inest repetitio est ex v. 393, quum deberent sequi gramina, herbæ, flores, quibus conserit tumulum. Saltem jung. *Quem conserit:* ita *lapidem formans* de monumento intellige. *Congerit* conj. Heins. *acanthos* Ald. — 398. *crescens* ms. Kœler. *purpureum crescit rubicunda tenorem* ms. Helmst. *purpureum crescent r. t' rorem* Petav. *pudibunda rubore* Voss. eleganter; idque recte probat Wakef. ad Lucret. II, 416. — 399. *Et violæ omne genus, hic est* vulgg. *Spartica myrtus* merito suspecta jam Scaligero: qui varie tentat: *Astartica*, ab Astarte, Venere, vel *Parthica*; est enim myrti genus, philadelphum, quod apud Parthos inveniri Athenæus tradit, tandem agrum Sparticum Achaiæ ex Theophrasto narrat. Dalechamp. ad Plin. XV, 29. Veneris aliquod nomen latere videtur: forte etiam regionis. Ægyptia myrtus olim præstitisse ceteris narratur (Athenæus XV, p. 676 D.). Conjiciat aliquis *Memphica*, *Nilotica*. Myrtus ad Eurotam Catullus memorat 63, 89. Verum a *Sparta* non fit *Sparticus*. Heins. conj. *Epirotica*, quod miror. Jo. Schrader. *Cythervia.* — 400. *Cilico* edd. vett. Scaliger archaismum inesse putabat. Sed cur *Cilix arvum* non feramus? Est tamen aliud vitium, quod hic latet: si de croco agunt poetæ, non memorant *arvum* sed *antrum* Corycium Ciliciæ. Hoc videtur h. l. reponendum; et jam repositum nunc video in Aldina; et hinc in ed. Ge. Fabric. *additus* malebat Heins. Idem ante: *et hinc C.* — 401. *L. item decus, exurgens rh.* vett. edd., sed laurus *Phœbi decus* recte. *Laurus item Phœbea ingens d.* conj. Heins., tum ed. Ge. Fabric. *hic urgens rhododaphne*; quod vitium operarum esse arbitror. *rhododaphne* est nerion Plin. XXIV, 11, s. 53, et in nostris herbarum auctoribus. — 402. *non avia cura* a Bembo restitutum; forte quod ipse ros marinus vulgo nascitur. Heins. conj. *non avia turba.* Vett. edd. *novania cura.* Voluit aliud exsculpere Scaliger: *Nonacria tura*, ut ros marinus Arcadibus pro ture fuisse dicatur, vel *non annua cura*; sed non successit. — 403. *Sabinis* vett. edd. Scaliger: *Sabina* Bembus restituit, et herbæ nomen id est. Plin. XXIV, 11, s. 61 *Herba Sabina, brathy appellata a Græcis, duorum generum est, altera tamaraci similis folio, altera cupresso.... A multis in*

CULEX

PROBABILITER RESTITUTUS

CUM NOTATIONE INTERPOLATIONUM (1).

Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia;
Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum:
Lusimus: hæc propter Culicis *sunt* carmina dicta,
Omnis ut historiæ per ludum consonet ordo.
Notitiam ducunt voces. Licet invidus adsit.
Quisquis erit culpare jocos Musamque paratus,
Pondere vel culicis levior famaque feretur.
Posterius graviore sono tibi Musa loquetur
Nostra, dabunt quum securos mihi tempora *portus*,
Ut tibi digna tuo poliantur carmina sensu.
Latonæ magnique Jovis *genus*, aurea proles,
Phœbus erit nostri princeps et carminis auctor,
Et recinente lyra fautor; *seu detinet* illum
Alma Chimæreo Xanthus perfusa liquore,
Seu nemus Asteriæ, seu qua Parnassia rupes
Hinc atque hinc patula præpandit cornua fronte,
Castaliæque sonans liquido pede labitur unda.
Vos quoque Pierii laticis decus, ite, sorores

(1) Quum ne tolerabilis quidem lectio Culicis sit, nullaque inde omnino percipi possit voluptas, periculum feci, an mutata ejus lectione, tum ex librorum corruptelis, tum ex virorum doctorum emendationibus et conjecturis, interpolationibus vero charactere literarum diverso notatis, exiturum esset carmen, quod sine offensione legi possit. Me non omnes mutationes præstare, aut veram ac genuinam lectionem ubique restitutam venditare, vix opus est ut moneam. In iis, quæ interpolatorum intemperantia et mala sedulitate interposita sunt, haud pauca legi suspicor meliora iis, quæ ipsi erant commenti parum docte ac scite. Licebat similem operam Ciri commodare. Verum specimen proponere volebam; in quo expoliendo, impugnando, defendendo, qui velint, ingenia exerceant! Lusus ingenii et hic esto.

V. 3 seqq. et 11 seqq. Interpolatio variorum.

1... 18. Nova interpolatio. Iterum 20.

Naiades *celebrare* deum plaudente chorea.
Et *tu*, sancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agrestum *fetura; tibi* sit cura *canentis*
Aerios nemorum tractus silvasque; virentes,
Te cultrice, vagus saltus feror inter et *antra*.
At tu, cui meritis oritur fiducia chartis,
Octavi venerande, meis adlabere cœptis.
Triste Jovis Cœique canit non pagina bellum,
Phlegra Giganteo sparsa est quo sanguine tellus;
Nec Centaureos Lapithas compellit in enses.
Urit Erichthonias Oriens non ignibus arces;
Non perfossus Athos, nec magno vincula ponto
Jacta, meo quærent jam sera volumine famam;
Non Hellespontus pedibus pulsatus equorum,
Græcia quum timuit venientes undique Persas;
Mollia sed tenui percurrere carmina versu, *et*
Viribus apta suis Phœbo duce ludere gaudet.
Et tu, sancte puer, *memorabere; sic* tibi *perstet*
Gloria perpetuum lucis *victura* per ævum;
Et tibi sede pia maneat locus, et tibi sospes
Debita felices memoretur vita per annos
Grata, bonis lucens. Sed nos ad cœpta feramur.
Igneus ætherias jam Sol penetrarat *ad* arces,
Candidaque aurato quatiebat lumina curru;
Crinibus et roseis tenebras Aurora fugarat:
Propulit ut stabulis ad pabula læta capellas
Pastor, et excelsi montis juga summa petivit,
Uvida qua patulos velabant gramina colles.
Jam silvis dumisque vagæ, jam vallibus abdunt
Corpora; jamque omni *nemoris de* parte vagantes
Scrupea desertæ perrepunt *avia* rupis.
Tondentur tenero viridantia gramina *dente;*
Pendula projectis carpuntur et arbuta ramis,
Densaque virgultis avide labrusca petuntur.
Hæc suspensa rapit *rodente* cacumina morsu,
Vel salicis lentæ, vel, quæ nova nascitur, *alni;*
Hæc *teneræ fruticem sentis* rimatur, at illa
Imminet *e ripa prostans in* imaginis *umbram*.
O bona pastoris, si quis non pauperis usum
Mente prius docta *ruris* fastidiat; *illi*

Interjecti ab alia manu v. 33, 36 ad 40, et v. 43, 53, 54, 55, 56.

Omnia, luxuriæ pretiis, incognita, curis
Quæ lacerant avidas inimico pectore mentes.
Si non Assyrio fuerint bis lauta colore,
Attalicis opibus data, vellera; si nitor auri
Sub laqueare domus animum non tangit avarum
Picturæque decus; lapidum nec fulgor *ab* ulla
Cognitus utilitate *movet;* nec pocula *Graium*
Alconis referunt Boethique toreuma; nec Indi
Conchea bacca maris pretio est: at pectore puro
Sæpe super tenero prosternit gramine corpus;
Florida quum tellus gemmantes picta per herbas
Vere *novat* dulci distincta coloribus arva;
Atque illum calamo lætum recinente palustri,
Otiaque invidia degentem *et* fraude remota,
Pollentemque *sui*, viridi cum palmite ludens
Tmolia pampineo subter coma velat amictu.
Illi sunt *gravidæ roranti* lacte capellæ,
Et nemus, et fecunda Pales, et *valle sub ima*
Semper opaca novis manantia fontibus antra.
Quis magis optato queat esse beatior ævo,
Quam qui mente procul pura sensuque probando
Non avidas *inhiavit* opes; non tristia bella
Nec funesta timet validæ certamina classis;
Non, spoliis *ut* sancta deum fulgentibus ornet
Templa, vel evectus finem transcendat habendi,
Adversum sævis ultro caput hostibus offert!
Illi falce deus colitur, non arte, politus:
Ille colit lucos; illi Panchaia *rura*,
Floribus agrestes herbæ variantibus, adsunt;
Illi dulcis adest requies, et pura voluptas,
Libera; simplicibus curis: *huic* imminet, omnes
Dirigit huc sensus, hæc cura est subdita cordi,
Qualibet ut *tenui* victu contentus abundet,
Jucundoque liget languentia *lumina* somno.
O pecudes, o Panes, et o gratissima Tempe,
Naides ac Dryades: quarum non divite cultu
Æmulus Ascræo pastor sibi quisque poetæ
Securam placido traducit pectore vitam!
Talibus in studiis baculo dum nixus *agresti*

Ab v. 78 inde interpolationes variorum; saltem novæ sunt accessiones v. 85, 93 et 97 sq.

Pastor agit curas, et dum, non arte *canorus*,
Compacta solitum modulatur arundine carmen:
Tendit *jam* evectus radios Hyperionis ardor,
Lucidaque æthereo ponit discrimina mundo;
Qua jacit Oceanum flammas in utrumque *coruscas*.
Et jam compellente vagæ pastore capellæ
Lene susurrantis repebant ad vada lymphæ,
Quæ subter viridem *resonabat garrula* muscum:
Jam medias operum partes evectus erat Sol:
Quum densas pastor pecudes cogebat in umbras,
Et procul adspexit luco *recubare* virenti,
Delia diva, tuo: quo quondam victa furore
Venit Nyctelium fugiens Cadmeis Agave
Infandas scelerata manus e cæde cruenta;
Et gelidis bacchata jugis requievit in antro,
Posterius pœnam gnati *de* morte *datura*.
Hic etiam viridi ludentes Panes in herba
Et Satyri Dryadesque choros egere puellæ
Naiadum *et cœtus*. Tantum non Orpheus Hebrum
Restantem tenuit ripis silvasque canendo;
Quantum te *pernix* remorantem, *Diva*, chorea;
Multa tibi læto fundentes gaudia vultu.
Ipsa loci natura domum resonante susurro
His dabat, et dulci fessas refovebat in umbra.
Nam primum prona surgebant valle patentes
Aeriæ platanus; inter quas impia lotos,
Impia, quæ socios Ithaci mœrentis abegit,
Hospita dum nimia tenuit dulcedine captos;
Ac, quibus insigni curru projectus equorum
Ambustus Phaethon luctu mutaverat artus,
Heliades teneris *implexæ* brachia truncis,
Candida *pandebant lentis* velamina ramis.
Posterius, cui Demophoon æterna reliquit
Perfidiæ lamenta, * *dolis dum lusit inultis* *
Quam comitabantur fatalia carmina quercus,
Quercus ante datæ, Cereris quam semina, vitæ;
Illas Triptolemi mutavit sulcus aristis.
Hic, magnum Argoæ navi decus, edita pinus
Proceras decorat silvas hirsuta per artus;

Interpolationes variorum inde a v. 106, aliæ præclaræ, ut v. 114, 115, 120 sq. 132 sq., aliæ deteriores, ut v. 112, 113, 116.... 119, 130, 131.

Ac petit aeriis contingere *frondibus* astra
Ilicis et nigræ *et* species *haud* læta cupressus;
Umbrosæque *patent* fagus; hederæque ligantes
Brachia, fraternos *plangit quæ* populus ictus;
Ipsæ *succedunt* ad summa cacumina lentæ,
Pinguntque aureolos viridi pallore corymbos;
Quis aderat veteris myrtus non nescia fati.
At volucres patulis residentes dulcia ramis
Carmina per varios edunt resonantia cantus;
Adstrepit et gelidis manans e fontibus unda,
Quæ levibus placidum rivis sonat orta liquorem;
Et *circum* gĕminas avium vox obstrepit aures;
Hinc querulas referunt voces, quis nantia limo
Corpora lympha fovet; sonitus alit aeris echo,
Argutis et cuncta fremunt *arbusta* cicadis.
At circa fessæ passim cubuere capellæ
Excelsis *subter* dumis, quos leniter adflans
Aura susurrantis possit confundere venti.
Pastor, ut ad fontem densa requievit in umbra,
Mitem concepit projectus membra soporem,
Anxius insidiis nullis; sed lentus in herbis
Securo pressos somno mandaverat artus:
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem:
Ni Fors incertos *voluisset* ducere casus.
Quum solitum volvens ad tempus tractibus isdem
Immanis vario maculatus corpore serpens,
Mersus ut in limo *magnos* subsideret *æstus*,
Obvia vibranti *lambens* gravis *ore trilingui*,
Squamosos late torquebat *nexibus* orbes.
Pallebant herbæ visus liventis ad auram;
Jam magis atque magis corpus *resolubile* volvens
Attollit nitidis pectus fulgoribus, et se
Sublimi cervice rapit: *dum* crista superne
Edita purpureo lucens maculatur amictu,
Adspectuque micant flammantia lumina torvo.
Metabat late circum loca; *tum* videt **herba**
Adversum recubare ducem gregis. Acrior instat
Lumina diffundens *intenta*, *ore* obvia torvo
Sæpius arripiens infringere, quod sua quisquam

Prava interpolatio v. 140, 143, 147, 152.... 154, 159 et 160.
Ornamenta serpentis aliunde illata a v. 166 ad 180. A deteriore poeta v. 184

Ad vada venisset, *matura et* comparat arma.
Ardet mente, furit stridoribus, intonat ore;
Flexibus *et versis* torquetur *corpus in orbes;*
Manant sanguineæ per tractus undique guttæ;
Spiritus et rumpit fauces : *quo* cuncta *parante,*
Parvulus *humoris pastorem exterret* alumnus,
Et mortem vitare monet, per *spicula;* * namque
Qua diducta genas pandebant lumina gemmis,
Hac senioris erat naturæ pupula telo
Icta levi. *Sic* prosiluit furibundus, et illum
Obtritum morti misit; cui dissitus omnis
Spiritus excessit *membris.* Tum torva tenentem
Lumina *prospexit* serpentem cominus; inde
Impiger, exanimis, vix compos mente, refugit,
Et validum dextra truncum detraxit ab orno;
Qui casus *sociarit* opem numenve deorum :
* Namque illi dederitne viam casusve deusve *
Prodere sit dubium : voluit sed vincere *talem.*
Horrida squamosi *volventis* membra draconis,
Atque reluctantis, crebris fœdeque *patentis*
Ictibus, ossa ferit, qua cingunt tempora cristæ.
Et quod erat tardus, somni languore remoto;
* Nescius adspiciens; timor occæcaverat artus; *
Hoc minus implicuit dira formidine mentem;
Tum, postquam vidit cæsum languescere, sedit.
Jamque atro bijuges oriens Erebo cit equos Nox,
Et piger aurato procedit Vesper ab OEta;
Quum, grege compulso, pastor, duplicantibus umbris,
Vadit, et in *requiem fessos* dare comparat artus.
Cujus ut intravit levior per corpora somnus,
Languidaque *infuso* requierunt membra sopore :
Effigies ad eum Culicis devenit, et illi
Tristis ab eventu cecinit convicia mortis.
« *En, quid, ait,* meritus, *aut quo* delatus, acerbas
Cogor adire vices? tua dum mihi carior ipsa
Vita fuit vita, rapior per inania *Averni.*
Tu lentus refoves jucunda membra quiete,
Ereptus tetris e cladibus : at mea Manes
Viscera Lethæas cogunt transnare per undas.

insertus et locus turbatus, iterumque v. 191, 192, 193 et 197.... 200, qui omnes pessimi versificatoris fetus sunt.

Præda Charontis agor; *video* ut flagrantia *templis*
Lumina * collucent infestis omnia *tædis.* *
* Obvia * Tisiphone, serpentibus undique *cincta*,
Et flammas et sæva quatit mihi verbera *Pœna.*
Cerberus et diris flagrat latratibus ora,
Anguibus hinc atque hinc horrent cui colla *repexis*,
Sanguineumque micant ardorem luminis orbes.
Ecquid ab officio digressa est gratia, quum te
Restitui superis leti jam limine ab ipso!
Præmia *ubi pietatis? ubi* pietatis honores?
In vanas abiere vices; et rure recessit
Justitia, *et* prior illa Fides: instantia vidi
Alterius, sine respectu mea fata relinquens:
Ad pariles agor eventus; fit pœna merenti;
Pœna fit exitium; modo sit dum grata voluntas,
Existat par officium. Feror avia carpens,
Avia Cimmerios inter distantia lucos;
Quæ circa, tristes densentur in omnia pœnæ.
Nam vinctus sedet immanis serpentibus Otos,
Devinctum mœstus procul adspiciens Ephialten;
Conati quum sint quondam rescindere mundum:
Et Tityos, Latona, tuæ memor anxius iræ,
Implacabilis ira nimis! jacet alitis esca.
Terreor ah! tantis insistere terreor umbris
Ad Stygias revocatus aquas: vix ultimus amni
Extat, nectareas divum qui prodidit escas,
Gutture ab arenti *revolutis fluminis undis.*
Quid, saxum procul adverso qui monte revolvit,
Numina contemsisse dolor quem vincit acerbus,
Otia quærentem frustra *sibi! quidve puellas,*
Dira quibus tædas accendit *pronuba* Erinnys,
Sicut Hymen *præsaga* dedit connubia mortis;
Atque alias alio denset super agmine turmas?
Impietate fera vecordem Colchida matrem
Anxia sollicitis meditantem vulnera natis?
An Pandionias *miserandas* prole puellas?

Ab versu inde 215 variorum hominum ingenia, et conatus ornamenta nova inserendi et lacinias alias super aliis assuendi cognoscere in promtu est. Ita a versu 222 alieno loco sententiæ interpositæ sunt, quæ adscriptæ fuerant ad versus 209... 214. Inferas res persequuti sunt plures, quibus pessimus versificator alia intertexuit, ut versus 231, 232, 238, 239.

Quarum vox cit Ityn et Ityn, *quo* Bistonius rex
Orbus epops mœret volucres evectus in auras.
At discordantes Cadmeo *semine* fratres
Jam truculenta ferunt infestaque *lumina* corpus
Alter in alterius; jamque *aversatur* uterque,
Impia germani manat quod sanguine dextra.
« *Heu! heu!* mutandus nunquam labor! Auferor ultra
In diversa: magis distantia limina cerno;
* *Læta loca* * *Elysiamque vagor* delatus ad *umbras*.
Obvia Persephone comites heroidas urguet
Adversas perferre *vices*. Alcestis ab omni
Inviolata vacat cura, quod sæva mariti
Ipsa suis fatis Admeti fata morata est.
Ecce Ithaci conjux * *Laertiadæ* * Icariotis
Femineum incorrupta decus! manet et procul illa
Turba ferox juvenum telis confixa *mariti*.
Quid misera Eurydice! *tacito* mœrore recessit,
Poneque respectantem et nunc manet *Orphea serum*.
Audax ille quidem, qui mitem Cerberon unquam
Credidit, aut ulli Ditis placabile numen;
Nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis,
Nec mœsta *obtutu dira* et ferrugine regna,
Defossasque domos ac Tartara nocte *tremenda*
Obsita, nec faciles Ditis sine judice sedes,
Judice, post mortem qui vitæ vindicat acta.
Sed fortuna *favens* audacem fecerat Orphea;
Jam rapidi steterant amnes, et *spissa* ferarum
Blanda voce sequax *insiderat arva corona;*
Jamque imam viridi radicem *emoverat alta*
Quercus humo, *sequiturque comes*, silvæque *sonoros*
Sponte sua cantus rapiebant cortice amara.
Labentes bijuges etiam per sidera Luna
Pressit equos; et tu, currentes, menstrua virgo,
Auditura lyram tenuisti nocte *relecta*.
Hæc eadem potuit, Ditis, te vincere, conjux,
Eurydicenque *viro* ducendam reddere: non fas,
Non erat, *invitam*. Divæ exorabile numen!

Locus de Orpheo inde a v. 269 sq., etsi alieno loco interpositus, est tamen ex felicioribus.

Vss. 282, 283, 284, 287, 294 sqq. varias manus experti sunt. At vss. 303 sqq. a docto poeta profecti sunt.

Illa quidem, nimium Manes experta severos,
Præceptum signabat iter; nec rettulit intus
Lumina, nec divæ corrupit munera lingua.
Sed tu, crudelis, crudelis tu magis, Orpheu,
Oscula cara petens rupisti jussa deorum:
Dignus amor venia, *gratum* si Tartara nossent
Peccatum ignovisse. Sed et vos sede piorum,
Vos manet, *heroes*, contra *nemus*. Hic et uterque
Æacides, Peleus *nempe* et Telamonia virtus,
Per *patris secura locantur* numina; quorum
Connubiis Venus et Virtus injunxit honorem:
Hunc *cepit* serva; aet illum Nereis amavit.
Assidet *his* juvenis, sociat quem gloria; fortis
Acer, *inexustis* referens a navibus ignes
Argolicis Phrygios, torva feritate repulsos.
O quis non *repetat* talis divortia belli,
Quæ *Troes* videre, viri videreque Graii!
Teucria quum *multo* manaret sanguine tellus,
Et Simois Xanthique liquor; Sigeaque, *propter*,
Litora quum Troas, sævi ducis Hectoris ira,
Videre in classes inimica mente Pelasgas
Vulnera, tela, neces, ignes, inferre paratos.
Ipsa jugis namque Ida *patens vernantibus*, ipsa
Ida faces altrix cupidis præbebat alumnis,
Omnis ut in cineres Rhœtei litoris ora
Classibus ambustis flamma superante daretur.
Hinc erat oppositus contra Telamonius heros,
Objectoque dabat clipeo certamina; et illinc
Hector erat, Trojæ summum decus: acer uterque,
Fulminibus cælo veluti fragor editus alto;
Ignibus hic *tædisque furens*, si classibus Argos
Eripiat reditus; ille *at* Vulcania ferro
Vulnera *protectis* depellere navibus *instat*.
Hic erat Æacides alter, lætatus honore,
Dardaniis alte fuso quod sanguine campis
Hectoreo victor lustravit corpore Trojam.
*Rursus acerba fremunt, Paris hunc quod letat, et hujus
*Alma dolis Ithaci virtus quod concidit icta.
Huic gerit aversos proles Laertia vultus,
Et jam Strymonii Rhesi victorque Dolonis,

Diversorum forte ingeniorum conatus sunt versus 314 sqq., utique vss. 321 sqq.,

Pallade jam lætatur ovans; rursusque tremiscit
Jam Ciconas, jam *rursus atrox* Læstrigonas *horret;*
Illum Scylla rapax canibus succincta Molossis,
Ætnæus Cyclops illum, *Zanclæa* Charybdis,
Pallentesque lacus et squalida Tartara terrent.
Hic et Tantalei generis decus, amplus Atrides,
Assidet, Argivum lumen; quo flamma regente
Doris Erichthonias prostravit funditus arces.
Reddidit heu *Graius* pœnas tibi, Troja, ruenti!
Hellespontiacis obiturus reddidit undis.
Illa vices hominum testata est copia quondam,
Ne quisquam *nimium* fortunæ munere *fidens*
Tenderet evectus cælum super; omne propinquo
Frangitur invidiæ telo decus. Ibat in altum
Vis *Argeia* petens patriam ditataque præda
Arcis Erichthoniæ; comes huic erat aura secunda;
Per placidum *cursus* pelagus; *Nereides undis*
Innabant, pars *inflexas circum* acta *carinas:*
Quum seu cælesti fato, seu sideris ortu
Undique mutatur cæli nitor; omnia ventis,
Omnia turbinibus sunt *concita;* jam maris unda
Sideribus certat consurgere, jamque superne
Corripere et soles et sidera cuncta *minatur;*
At ruere in terras cæli fragor. *Hic*, modo læta,
Copia nunc miseris circumdatur anxia fatis,
Immoriturque super fluctus et saxa *Capherei,*
Euboicas et per cautes *Ægæaque* late
Litora: *tum* Phrygiæ passim vaga præda peremtæ
Fluctuat omnis in æquoreo *navifraga fluctu.*
Hic alii sidunt pariles virtutis honore
Heroes mediisque siti sunt sedibus omnes;
Omnes Roma decus magni quos *suspicit* orbis,
Hic Fabii Deciique; hic est et Horatia virtus;
Hic et fama vetus *nullum* peritura *per ævum*
Curtius, *in* mediis quondam quem sedibus urbis
Devotum *tetri* consumsit gurgitis haustus.
Mucius et prudens ardorem corpore passus,
Legitime, cessit cui fracta potentia regis.

interpositis a mala manu 324 et 325, et iterum 336, 337. Præclarus locus sequitur inde a v. 341.

Pessima interpolatio vss. 358, 365, 368, 377 sq.

Hic Curius', clarus socius virtutis et ille
Fabricius, *cessit cui fracta potentia regis*.
Jure igitur tales sedes pietatis honorat.
Illic Scipiadæque duces, devota triumphis
Mœnia quos *rapidis* Libycæ Carthaginis horrent.
Illi laude sua vigeant: ego Ditis opacos
Cogor adire lacus, *viduatos* lumine Phœbi,
Et vastum Phlegethonta: *atro quo flumine* Minos
Conscelerata pia discernit *limina* sede.
Ergo jam caussam mortis, *jam* dicere *vitæ*,
Verberibus sævo cogunt a judice Pœnæ:
Quum mihi tu sis caussa mali, nec conscius adsis;
Sed tolerabilibus curis hæc immemor audis;
Hæc, *vana* ut, *rapidis* dimittens, *somnia* ventis.
Digredior, nunquam rediturus: tu cole fontes
Et virides nemorum silvas et pascua lætus;
Et mea diffusas rapiantur dicta per auras.»
Dixit, et extrema tristis cum voce recessit.
Hunc ubi sollicitum dimisit inertia *somni*:
Ingemuit graviter, mentem æger, nec tulit ultra
Sensibus infusum Culicis de morte dolorem.
Quantumcunque sibi vires tribuere seniles,
Quis tamen infestum pugnans devicerat hostem,
Rivum propter aquæ, viridi sub fronde latentem
Conformare locum *parat* impiger; hunc et in orbem
Destinat, ac ferri capulum repetivit in usum,
Gramineam ut viridi foderet de cespite terram.
Jam memor inceptum peragens sibi cura laborem
Aggestam cumulavit *humum*; *jamque* aggere multo
Telluris tumulus formatum crevit in orbem.
*Quem circum *lapidum* lævi de marmore formans
Conserit, assiduæ curæ memor: hic et acanthus
Et rosa purpureo crescit rubicunda colore,
Et violæ genus omne hic est; *Spartanaque* myrtus
Atque hyacinthus; et hic Cilici crocus editus *antro*;
Laurus item Phœbi surgens decus; hic rhododaphne
Liliaque et roris non avia cura marini,
Herbaque turis opes priscis imitata *Sabinis*,
Chrysanthesque, ederæque nitor pallente corymbo,

388 Jejuni versificatoris conatus, et 392 sq. et 396, 397. Inde doctus poeta manum admovit.

Et Bocchus Libyæ regis memor; hic amarantus
Buphthalmusque virens, et semper florida pinus;
Non illinc Narcissus abest: cui *gratia* formæ
Igne Cupidineo proprios exarsit in artus;
Et quoscumque novant vernantia tempora flores.
His tumulus super *ingeritur;* tum fronte locatur
Elogium tacita quod format litera voce:
Parve Culex, pecudum custos tibi tale merenti
Funeris officium vitæ pro munere reddit.

N. B. Non secuti sumus Heynium in interpolationibus diverso literarum charactere notatis, quia in primi Culicis textu verbatim reperitur maxima pars carminum et vocum, quam voluit interpolatam vocare, et *italicis*, ut aiunt, characteribus in hoc secundo designare. Nos igitur harum literarum indicia tantum vocibus vere mutatis affixa curavimus, postquam singulas inter se et diversos earum sensus sedulo perpendimus; unde manifestum videri facile poterit, quam exiguum discrimen inter Culicis genuini et *probabiliter restituti* textum intersit, et quam sincero nomine periculum hujus operæ *lusum ingenii* appellaverit. Itaque nos tanto interpreti gratulamur ex animo, quod similem laborem in *Ciri* restituendo noluerit impendere; nam ex iis lectionibus, quæ vix tolerabiles sunt, parva quidem utilitas, et nulla omnino voluptas perciperetur;

Ex tenui haud tenuis labor, et laus nulla rediret.

N. E. L.

P. VIRGILII MARONIS

CIRIS.

P. VIRGILII MARONIS

CIRIS.

PROOEMIUM

IN CIRIN.

CARMEN hoc, etsi inter Virgiliana opuscula vulgo referri solet, an Virgilium tamen auctorem habeat, fides nos satis certa deficit. Sunt quidem multa, quæ probabile hoc faciant: nec dubitationis tamen caussæ desunt ex parte altera; itaque ægre ferendum non est, si in diversas opiniones discessisse viros doctos videas. Scilicet de rationibus, quibus contenderunt inter se, videndum erat; inter eas autem multas esse leves ac futiles negari nequit. Ea tamen omnia, quæ de his dicta sunt, ut iterum recocta apponam necesse, puto, non est; ut potiora summatim pro more meo exponam, judicio meo qualicunque interposito, hoc forte est, quod lector a me exspectet.

Qui *Virgilio* carmen vindicant, argumentis fere utuntur iis, quibus carmen hoc politissimum, præstantis ingenii poeta, ipsoque Marone, non indignum declarent. Ita vero non evictum est, habendum quoque esse Virgiliani ingenii fetum, si quod carmen est, quod eum non dedeceat. Vetus aliqua eaque idonea auctoritas allata in medium non est. Nam, quod ex Seneca vulgo laudatur Ep. 92 *ut ait Virgilius noster in Scylla*, non viderunt viri docti ad Æn. III, 426 sq. spectare, et *in Scylla*, esse in loco de Scylla. Quid? quod nec a Pseudodonato, qui reliqua carmina Virgilio tributa recenset, nec, quantum memini, ab alio vetere grammatico, in simili instituto, Ciris mentio fit. Indocti

enim monachi, Servianis in Æneidem commentariis in fronte adsutus, pannus, in quo Cirina scribitur (1), memorari adversus me vix potest. Quod autem poematii præstantiam verbis quoque ornant, ut Scaliger id nulli Latinorum neque nitore, neque elegantia cedere dicat, Barthius vero luculentissimum inter omnia antiqua poematia appellet, in eo studium virorum doctorum video, judicii subtilitatem desidero. Non enim satis circumscribunt prædicationem suam, eoque, dum ultra terminos evagantur, ne id quidem obtinent, quod in medio positum erat, quodque recte se habebat. Quod in carmine hoc tantopere admirati sunt viri docti, si propius intuearis, nihil aliud fuit, quam orationis in plerisque locis dignitas, ornatus præclarus, splendor quoque; tum numerorum concinnitas. Hæc sunt, quæ viris doctis tantopere se probarunt; sed, an hæc illa sint, quibus poeticæ laureæ decus parari possit, admodum dubito.

Omnino ab inventi felicitate, quæ tamen res una omnium maxime poetæ nomen et laudem continet, carminis hujus laus magna vix peti potest: uti nec tractatio arte aliqua se commendat, nisi in locis singularibus iisque fere ad communem poetarum orbem spectantibus: cujusmodi est nutricis opera in virginis dolore allevando, puellæ miseræ querelæ et sic alia. Contra sunt loca alia ad pedestrem orationem proniora: ut locus de diversis super Scylla opinionibus v. 63 sqq.... 90, alius super fabulæ in Britomarti varietate 303 sqq. Hæc et similia quum tractata nitescere nequeant, bonus poeta non facile attinget. Alia ad rhetoricam διατριτα egregie accommodata sunt, ut in querelis puellæ: et, si quid est, quo adducar, ut Maroniani ingenii fetum esse hunc putem, hunc propiorem ad tragicam vehementiam et rhetoricam declamationem affectum esse dicam, quem in Virgilio me agnoscere jam alibi accuratius

(1) Ita etiam in ms. Helmstad. exaratum erat *Decircina* non, Ciris.

exposui (1). Accedit orationis poeticæ facultas, quæ in hoc poeta fuit eximia : quæ ea ipsa caussa fuit, qua adducti viri docti cetera etiam omnia in eo carmine pronuntiarent esse summa. Poetæ Maronis ingenium agnoscere mihi videor etiam in eo, quod, quum argumentum hoc ab aliis poetis esset pertractatum, relictis ille iis, quæ ab aliis prærepta erant, ingenium applicuit iis ornandis, quæ ab aliis nondum essent occupata. Ita forte excusari potest, quod ille id, quod summum rei momentum, ipsa ἀκμή, erat, resectionem comæ, verbo exposuit, et vero ne verbo quidem attigit ea, quæ resectam Nisi comam subsequuta sunt, donec abstraheretur Scylla navi alligata. Exspectabam in primo Minois conspectu, in pactione cum eo sancienda, in coma Nisi resecanda, tradenda, et fide Minois ex conditione pactionis exigenda, poetam disertum, copiosum et ornatum. Vix verbo memoravit hæc omnia. Vitio hoc factum dices; nisi judicio illi subtiliori illud tribueris. Levioribus equidem argumentis accensebo omne illud, quod a repetitis tot Virgilianis versibus ducitur, sive ut hinc colligas ipsum Maronem, sive ut alium auctorem fuisse statuas. Vix enim firmo fundo nititur argumentum, quo Scaliger usus est, quum diceret : auctorem carminis ut esse Virgilium credamus, hanc unam rationem vincere, versus crebro hic repetitos (2), qui passim in Æneide et in Georgicis atque in Bucolicis leguntur. Atqui potuit carminis esse alius serior auctor, qui ex Virgilio plurima mutuaretur, vel qui id ageret, ut Virgilii nomen et auctoritatem mentiretur.

Commemoravi adhuc ea, quæ probabile facere possint, ad Maronem auctorem hoc carmen referendum esse. Alias rationes Barthii aliorumque nec commemorare juvat, nec

(1) Vide Vol. II; Disquis. I, §. VIII, pag. 17; et §. XIII, ad finem, pag. 28; Excurs. prim. ad Æneid. II, pag. 308, 309. Vol. II : et in principio Æneid. X, argumenti notas; editionis hujus Vol. IV, pag. 92.

(2) Apposuit eos Jo. Schrader. Emendation. p. 33 sq.

opus est, quum eas dudum exposuerit ac refellere studuerit doctissimus præsul, Justus Fontaninus in Hist. Litt. Aquilei. p. 35. Eodem loco magna cum judicii subtilitate ac doctrina vir doctissimus ex Virgilii Ecl. VI, 74 sqq. verum Ciris auctorem eruisse visus est, ut, quod Gifanius jam olim suspicatus erat, Barthio mox probante, is *Gallus* sit, cujus carmina illis versibus attigerit poeta plura, inter quæ duo fuerint : alterum, quod nunc habemus, Ciris, de Scylla, Nisi f., in cirin mutata, alterum de Scylla, Phorci filia : *Quid loquar, aut Scyllam Nisi? aut quam fama sequuta est Candida succinctam latrantibus inguina monstris Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto Ah! timidos nautas canibus lacerasse marinis?* Non equidem, tanquam satis valida, argumenta omnia amplectar, quæ ille attulit; nec tamen quicquam ingeniosæ conjecturæ obstare video : convenit enim ætas Galli ac Messalæ; nisi quod difficile est ad intelligendum, quo cum pudore tot ex Ciri versus Virgilius in sua carmina, aut ex his Gallus in Cirin, adoptare potuerit. Nam, quod Gallum Epicureæ philosophiæ operam dedisse nunc ignoramus, morari potest neminem, quin assentiatur præsuli dignissimo. Superest igitur, ut versus illos seriore ætate ab interpolatrice manu in Cirin insertos esse dicamus : quod nec improbabile fit.

Qui *Catullum* pro auctore carminis habuere (in quibus Eglinus fuit, cujus *Vindiciæ Ciris Catullianæ* sunt), quandoquidem cum Epithalamio Thetidis et Pelei nonnulla posse comparari videbant; non animadverterunt, Messalæ, cui inscripta est Ciris, ætate se refelli : nam is paucos ante Catulli obitum annos natus est. Sed et hæc accurate tractavit Fontaninus l. c. pag. 33, 36. Quo argumento *Valerium Catonem* Ciris auctorem ediderit Delrius in Comment. ad Senecam, ex ejus verbis intelligi nequit. Quod si tamen Virgilium auctorem Ciris adoptare cum Scaligero et aliis (1)

(1) Nuper quoque Jo. Schraderus Emendat. c. 3 pag. 31 Virgilio

malit aliquis, non tamen cum eodem Scaligero comminiscetur tot alia, quæ probatione idonea distituuntur: paullo ante mortem suam, et Athenis aut adeo Megaris, Virgilium hoc carmen composuisse: etsi jam tum, quum Cirin scriberet, auctor carminis nonnulla carmine se tractasse, et, quum famæ pœniteret, iis depositis ad philosophiam sè contulisse narret ipse v. 1 sqq. 42 sqq. Juvenem tamen se testatur auctor satis manifeste vss. 42 sqq. *Sed quoniam ad tantas nunc primum nascimur artes, Nunc primum teneros firmamus robore nervos: Hæc tamen interea, quæ possumus, in quibus ævi Prima rudimenta, et primos exegimus annos, Accipe.* Si porro Messalam *juvenum doctissimum* v. 36 appellare potuit, juvenili ætate constitutum eum et ipsum tum fuisse necesse est, quum Maro illa scriberet; id quod temporum docet comparatio (1). Rem tamen vel sic in medio relinquere satius duco.

Inter hæc, etsi carminis facies omnino satis liberalis est: negari tamen nequit, varices passim et ulcera corpus obsidere, loca occurrere plurima scabra et horrida, versus duriores aut pedestri oratione depressos, alios prorsus corruptos ac sensu carentes, ut interdum honestas illa oris fœde contaminata ac prorsus obliterata sit. Scilicet primum id, quod in carminibus his minoribus evenisse videtur fere omnibus, etiam in Ciri factum arbitror, minore tamen cum audacia quam in Culice, omnium uno maxime fœdato carmine, ut jam antiqua satis ætate in ea exercerent se poetarum seu versificatorum ingenia, variando et amplificando carmine. Adscripti in margine versus, sæpe imperfecti, a librario, qui describebat codicem, in textum sunt

Cirin vindicavit: nec tamen is argumentis gravioribus, quam alii, suffultus. Idem docte adversus Galli nomen disputat pag. 48, et adversus Catullum auctorem pag. 46, Scaligerum autem refellit pag. 41.

(1) Natus enim Virgilius a. U. C. 684, Messala a. 695, nec hic claruit ante 718, æt. 23.

recepti, nonnulli satis arguti, alii ex similibus veterum poetarum locis retracti vel adumbrati; qua de re supra ad Culicem dictum est. Accessit alia calamitas, ut carmina illa per plura sæcula ignota et sepulta jacerent, et ut vix unum vel alterum exemplar ad nostram ætatem perveniret; quod cum obscuris fugientibusque literis oculos librarii recentioris, aut etiam operarum typographicarum, falleret, corruptelas infinitas inferri necesse fuit.

Conspirant itaque in corruptelis editiones fere omnes, nec e libris scriptis, qui et numero paucissimi, et, quantum intelligo, omnes recentiores sunt, auxilium exspectari posse videtur. Nic. Heinsius in epistola ad Octavium Falconerium fatetur, Ciris exemplar sibi nullum evolvere licuisse, ante artem typographicam inventam descriptum. Evolvit tamen ille postea ms. Basileensem, aut variantem lectionem ex eo accepit; attamen et ille fuit chartaceus, et, quantum intelligo, in corruptelas vulgares ubique consentit. Abfuit Ciris a prima Virgilii editione, etsi ea minora Virgilii poematia complectitur, accessit vero in Romana altera : vid. Recensum edd. h. a. Omissa hinc ab aliis, ab aliis addita : cf. Fontanin. Hist. lit. Aquilei. p. 40. Enarrare eam primus aggressus est Domitius Calderinus in edit. Ven. 1483 per Baptistam de Tortis, hinc 1489, 1491, 1492 et al. Paullo doctior commentator successit Julius Pomponius Sabinus, commentariis a. 1486 vulgatis, et 1519, 1544 hincque in edd. Henrico petrinis repetitis : tum copiosior commentator Ascensius a. 1500, 1505 et al. Tandem etiam critica manus accessit, eaque viri summi Josephi Scaligeri in Appendice Virgiliana Lugd. 1573; multas ille attulit emendationes præclaras, alias durissimas, nonnullas prorsus non ferendas. Lectiones ejus et interpretationes recepit omnes Taubmannus, vir doctus, qui, quod supra jam diximus, ex aliorum judicio totus pendebat, suo parce uti solitus, edita Ciri a. 1618. Vix bis terve Barthium compa-

rat, qui interea 1608 Cirin commentario instruxerat, valde tum adolescens, et omnino doctrinæ copia præstantior quam judicii subtilitate. Attigit idem loca nonnulla in Adversar. XX, 20; XXII, 9; XXIII, 9 et 21; XXX, 24, et, ut eo loco se facturum profitetur, denuo Cirin edere constituerat, si exemplum aliquod manuscriptum nancisci unquam posset. Cf. Fontanin. l. l.

Equidem comparatis antiquis, quæ ad manum erant, editionibus, omnes fere inter se in easdem lectiones et vitia conspirare intellexi. Quod quum semel animadversum esset, satis habui, Venetam 1484 per Thomam de Alexandria expressam, mox quoque Aldinam primam 1505, comparare. Manum emendatricem non experta est Ciris nisi in Aldina : *diversorum veterum poetarum in Priapum lusibus* etc. 1517, de qua editione ab Asulano curata et 1534 repetita jam in procemio ad Culicem dictum est (1). Ex Bembino codice, cujus ope Culex tam præclare fuit emendatus, Ciris nihil auxilii consequi potuit, quandoquidem in eo codice illa exarata non erat. Alios igitur codices Asulano in Ciri ad manum fuisse necesse est, de quibus nunc nihil constat; profitetur quoque vir doctus in præfatione, se hæc carmina *collatis pluribus exemplaribus* emendasse. Aldinam recensionem expressit in plerisque editio Veneta apud Aloysium de Tortis 1541, sed pleræque aliæ, quod mireris, Aldinam deseruere et veterem lectionem repetivere. Occurrunt mox editiones, uti Ven. apud Hieron. Scotum 1544, apud Bonellum 1558, Georg. Fabricii, Plantini, quæ in margine varias lectiones habent, quarum magnam partem emendationes virorum doctorum esse vidi. Nam fuere passim, qui singula loca in Ciri, ut in aliis veterum libris, emendarent. Sic, ut unam vel alteram Jani

(1) Editio illa 1517 intelligenda, quoties Aldina, tanquam emendatior, a me excitatur. Reliquas duas non nisi in nova recensione nactus eram.

Parrhasii et Paulli Leopardi correctionem taceam, plurima correxerat in Miscell. Epiphyll. VIII, 23 sqq. Jac. Nic. Loensis, qui ab amico Leopardo exemplum Ciris acceperat ex prisca editione descriptum, addita ejus castigatione. Hanc ipsam editionem Catalectorum intelligo fuisse illam, quam Heinsius diu se frustra quæsivisse ait in Epist. ad Daumium Tom. V Sylloges Burm. p. 218; nam Barthius in Adversariis ea non ipse usus est, sed ad Loensis fidem provocat. In Miscell. Obss. Vol. IV loca nonnulla ex Ciri retractarunt viri docti, sed levioris fere momenti.

Quum a nemine adhuc operam datam viderem, ut lectionum origines et caussas indagaret: studium in ea re posui præcipuum, etsi res molestiæ plus quam credi potest haberet. Quandoquidem autem inde intellexeram, librorum scriptorum auctoritatem nos fere deficere: conjectandi licentiæ materiem in hoc libello relictam nobis esse putavi tanto majorem. Ea itaque ita usus sum, ut, quam aliis veniam dederim, vicissim et mihi ipsi a viris doctis petam.

In nova recensione anni LXXXVIII ad manus fuere Schedæ Heinsianæ, de quibus supra ad Culicem dictum est, tum Jo. Schraderi; hæ tamen tam moleste ac perplexe scriptæ, ut iis extricandis vacare vix possem; inprimis quum in Cirin meliora jam ipse in Emendationibus vulgasset. Quum a viro docto *Eduardo Burnaby Greene* ad calcem Apollonii Rhodii T. I versam in Anglicum sermonem Cirin recordarer, multis emendationibus appositis (1780); has quidem enotare instituerat; mox tamen sensi calamo frenum injectum, quum perpaucæ in iis sint, quæ sermonis indoli conveniant aut sententiam expeditam habeant.

P. VIRGILII MARONIS

CIRIS[1]

AD MESSALAM.

ARGUMENTUM.

M. Valerio Messalæ inscriptum est carmen: eique in exordio satis diserto ad v. 100 illud offert poeta. Narrare inde incipit fabulam de Scylla, Nisi, Megarensium regis, filia. Habebat Nisus in vertice crinem purpureum, urbi ac regno fatalem, ut capi Megara non possent, quamdiu ille incolumis esset. Minos, Cretæ, rex Megara urbem quum obsideret, Scylla, quum ex muro forte eum prospexisset, insano ejus amore correpta est: quo illa victa noctu surrexit, ut crinem illum fatalem clam rescinderet, quo sibi Minois amorem conciliaret. Exeuntem cubiculo animadvertit nutrix, Carme, Jovi olim amata, ex quo illa Britomartin pepererat. Ea alumnæ meliora primum persuasit, mox autem multis frustra tentatis ut Nisus pactione bellum componeret, in nutriciæ sententiam concessit. Resecta igitur Niso coma aurea et cum urbe Minoi tradita. Is vero facinus tam atrox et impium aversatus, quum in Cretam rediret, puellam, ne piaculo tanto classem contaminaret, ne navi quidem recipere voluit, sed ex navis exteriore latere alligatam secum duxit. Tum illa multa diu conquesta in avem Cirim mutata est: additus tamen mox ei pater Nisus in haliæetum mutatus, qui Cirim avem internecino odio persequitur.

---

(1) Ciris quænam veteribus avis dicta fuerit, nondum satis expedita res est. Accipitris genus fuere qui putarent; idque Etymol. M. firmat: Κίρκις, εἶδος ἱέρακος. Inde alii eandem eam cum circo tradidere. v. Munker. ad Hygin. f. 198. De haliæeto (halyætum scribunt alii, non satis bene) minor est dubitatio: quum ipsum nomen aquilam marinam prodat, et Aristoteles Hist. Anim. IX, c. 32 inter sex

aquilarum genera ἁλιαιετὸν recenseat. Addit alia Plinius lib. X, 3. cf. Munker. ad Antonin. cap. 11. Thynoaquilam, seu potius Dunoaquilam, nunc appellari Loensis tradit in Miscell. Epiphyll. VIII, 26, quoniam versatur in dunis seu collibus arenosis juxta mare. Cuniculis quoque eum insidiari et fetus deprædari.

Perdicem alios putasse esse cirim, quæ solitaria avis sit, disco ex Julio Sabino. Notas edidit poeta ipse has, esse eam pulchriorem cygno vs. 489, in vertice crista purpurea 501, pluma vario colore 502, crura rubentia 505. 506, degit solitaria in locis desertis 518. 519, odium in eam pertinax est haliæeti 532 sqq. Adde eam in Græcia, et Italia forte, habitare, et inter serenæ ex pluvio cælo tempestatis præsagia referri in Ge. I, 404 sq., si in conspectum veniat haliæetus cirim fugans. Quæ de ciri commemoravimus, vix videntur in alaudam cadere, quam uno cristæ argumento multi in ea quæsivere: in quod avium genus sævire solet accipiter fringillarius, dictus inde aliis Nisus. Scaliger ad Cirim v. 528 falconem interpretatus est haliæetum, cirim autem Egrettam: quo nomine appellasse videtur Ardeam albam minorem, Garzettam quoque appellatam. Inter hæc nihil effici potest, nisi avium per istos tractus genera melius teneamus: fit enim probabile, domesticam Megarensibus avem Cirim fuisse. Mergum Megaridem frequentare (αἴθυιαν) ex Paus. I, 5, p. 13 didici.

In fabulæ autem tractatione per hoc carmen mirum videri potest, multa vix verbo attingi, quæ tamen potiora narrationis capita esse videbantur, ut comæ ipsa resectio et Scyllæ cum Minoe super ea pactio. Quæ quidem res aut poetæ vitio aut loci luxatione accidere debuit, aut a poetæ arte profecta est, dum ille leviter tantum attigit ea, quæ ab aliis diligenter erant ornata. Fabula enim a multis jam erat tractata, Græcis scilicet poetis, et variis figmentis etiam per interpretationem, exemplo ipsius Callimachi, in Αἰτίους, variata: quod in ipso carmine, etsi parum poetice, exponitur, vss. 54 sqq., ubi vid. Not. Neque Hyginus inscitiæ accusandus erat, qui fab. 198 in piscem mutatam esse Scyllam narravit. Tradiderat et hoc scilicet alius poeta, forte Tragicus aliquis. Æschylus monili aureo corruptam Scyllam, φοινίαν Σκύλλαν, Minoi patris immortalem capillum (ἀθανάτην τρίχα) prodidisse: κιχάνει δέ μιν Ἑρμῆς, quod ad Nisum refert ejusque mortem scholiastes; nisi de Scylla illa accipienda putes, ut exquisitior aliqua fuerit narratio de pœna per Mercurium ab ea sumta. Prior tamen explicatio cum eo convenit, quod apud Apollod. est III, 15, 8 ταύτης ἀφαιρεθείσης τελευτᾷ. Ceterum Æschylus ad avaritiam refert Scyllæ facinus, quod alii ab amore incesto repetunt. Capilli color purpureus a plerisque traditus; etiam a Callimacho apud Suid. in Κρίκα. Πορφυρίην ὕμνοι κρίκα, *demetuit crinem purpureum*: cf. Toup. Curæ noviss. p. 81 et Apollod. Auream comam narrant nonnulli, confusa forte fabula simili, quum Pterelao Neptunus immortalitatem dedisset ἐν τῇ κεφαλῇ χρυσῆν ἐνθεὶς τρίχα Apollod. II, 4, 5, ubi cf. Obss. Omnino

haud assequaris, quid antiquos homines in his fabulis ad hoc figmentum adduxerit, ut, quod etiam de Samsone narratum novimus, in capilli natura mirabilem aliquam virtutem latuisse narrarent.

Quum Κρὶξ et ipsa sit inter aves carnivoras aliis infestas (v. Aristot. H. An. IX, 1 et 17), putabam forte nominis lusum fabulæ opportunitatem dedisse; nec tamen eâm avem in hac fabula memoratam vidi. Sed Scyllam a Minoe ex navi suspensam, et quidem gubernaculo alligatam, inde in cirim avem mutatam, tradiderat quoque Metamorphoseon libello, qui nunc inter deperditos est, Parthenius: ut ex Eustathio ad Dionys. Perieg. 420 didici (v. de eo Mellmann. de caussis et auctorib. Narrat. de mutatis formis pag. 83). Jam hunc nostro poetæ ante oculos fuisse probabile facit studium Parthenii legendi et latine convertendi, quod inter Latinos poetas magnum fuit: hos autem in argumentis mythicis, a politioribus poetis Græcis tractatis, inprimis ingenia exercuisse, tot aliis carminibus, quorum nonnulla quoque servata sunt, satis constat. Ceterum similia argumento carminis nostri sunt nonnulla in Propertii Eleg. IV libri IV de Tarpeia, quæ Sabinis Capitolium prodidit.

Etsi me vario jactatum laudis amore,

Minus adhuc adolescentum manibus tritum esse hoc carmen, etsi tot præclaris locis insigne, nemo mirabitur, qui, quam fœdis illud corruptelis laboret, intellexerit. Versabitur igitur nunc quidem præcipua operæ nostræ pars in vulneribus illis sanandis. Statim in fronte carminis fœda occurrit labes, cui jam Scaliger mederi voluit. Sententiam loci omnino hanc esse, ut, etsi studiis philosophiæ Epicureæ sese addixerit, carmen tamen hoc inceptum se absolvere velle significet, manifestum est. Itaque vss. 1.... 8 ad priorem sententiæ partem spectare, inde alteram sequi necesse est. Nunc singula videbimus. — 1. *vario amore*. Cum altero versu eandem rem per *irrita præmia vulgi* declaret: quis dubitet poetam *vano laudis amore* scripsisse. Ita et Nic. Heins. emendat, et præterea *lactatum* legit, bene. « Festus: lacit, *decipiendo inducit; lax etenim fraus est;* lacit, *in*

Quum difficultas hujus carminis interpretandi plerumque ex depravata lectione proficiscatur: ad criticas animadversiones pleraque rejicere et hic necesse fuit.

1.... 9. Jungenda sunt: *Etsi.... non tamen absistam*. In primis versibus se, abjectis iis studiis, quibus apud vulgus inclarescere voluerit, philosophiæ Epicuri operam dare ait. Color orationis similis est Catulliano carmini LXIV *Etsi me assiduo confectum cura dolore Sevocat a doctis, Hortale, virginibus. vario amore laudis*, variis modis ac viis laudem et famam venatus erat. Sed v. Var. Lect. *irrita præmia*, h. vana, inania; sunt

Inritaque expertum fallacis præmia vulgi,
Cecropius suavis exspirans hortulus auras
Florentis viridi Sophiæ conplectitur umbra,
Num mea quæret eo dignum sibi quærere carmen? 5
Longe aliud studium atque alios adcincta labores,

« *fraudem inducit: unde et* allicere *et* lacessere, *inde* lactat, illectat, delectat. et « *laqueus.* Symmach. lib. VIII, ep. 57 *si se amor speratus et ex mutuo debitus « lactari laude pateretur;* ubi puto, *amor spectatus.* Vide Sciopp. Verisim. IV, « 15 et Susp. Lect. V, ep. 19 restituit Plauto *amor lactat, lectari amantem* Teren- « tio; idem Symmachus alibi: *neque me juvat falsa lactatio.* » Mitscherlich. V. C. Lect. in Catull. p. 78 defendit *vario*, quia *jactatum* se dixit, quo innuit, variis modis se laudem quæsivisse. — 4. Veteres edd. *Florentes viridis Sophiæ c. umbras.* Sic fere Bas. cod. Meliorem lectionem *Florentis* (amœnæ) *viridi Sophiæ complectitur umbra* Aldina 1517 exhibuit. Scaliger mutato ordine: *Florentis Sophiæ viridi* dedit. Turnebum miror l. c. maluisse: *Florenti viridis S.* — 5. *Num mea quæret eo dignum sibi quærere carmen.* Pessime habitum versum facile agnoscas. Nulla varietas vett. edd. et codd., quam quod *Tu*, *Tum* et *quiret* occurrit. At ex vett. edit. P. Leopardi J. Nic. Loensis Epiphyll. VIII, 23 *Non me ea curat eo dignum se cudere carmen*, recitat, et ad Sophiam refert: parum commode. Turnebus Advers. XXVIII, 25 varie tentat; vel: *Musa quoque Actæo dignum s. q.*, vel *Musaque Erechtheo*, vel: *Musaque Arateo sene.* Docta conjectatio: sed orationis vincula nulla video. Nomen *mentis* vel *Musæ* in verbis latere obvium est, nam ea *suspendit* et *ausa est*, sed reliqua nemo sine libris expediat. Scaliger reposuit: *nec mea quit Erato dignum se quærere carmen:* ut, qui sequuntur, tres versus in parenthesi habeantur. Versum scabriorem procudere ipse vix poterat. Refinxit eum Heins. *Nunc mea fert Erato dignum tibi quærere carmen*: etsi cum ceteris parum cohæret. Jacobs: *Musa tamen curat dignum te quærere* (saltem *pangere*) *carmen.* Greene: *Num me quæret ea dignum? sibi quærere carmen?* (*will wisdom search after me, as worthy of her?* (hoc esset: Num me quæret se dignum?) *is it hers to seek poetry?*) Malim resecare totum versum 5 tanquam inepti versificatoris, qui innuere volebat: quæri poetæ hoc ipso philosophiæ studio novam carminum materiam, et conjungere verba sic: .... *umbra, Mensque aliud st.*, etsi, si dicendum est, quod sentio, omnes hos vers. 5.... 8 ab altera

autem ipsa fama et gloria, quam carmine consequi studuit. — 3. *Cecropius hortulus.* Epicuri sectam ac disciplinam per hortum ejus, quem Athenis habuit, in quo docere solebat, declarari notissimum. Illustrat locum Barth. Advers. XX, 20, et Jo. Schrader. Emendat. p. 31 sq.

5.... 8. *Musa*, cujus nomen in corruptis vs. quarti verbis latere necesse est, *accincta aliud studium et labores*, h. aggressa aliud studium, philosophiæ scilicet (ut Æn. IV, 493 *magicas invitam accingier artes*), *suspendit* (vel *se*, h. suspensa est, suspenso animo contemplatur, vel *me*, ut Julius Sabinus explet, aut, quod melius, *subtendit*) *altius ad magni sidera mundi, et ausa est*, Collem Sapientiæ, ad quem pauci emergunt, adscendere: absolvam tamen cœptum carmen. Videtur carmen jam olim

Altius ad magni suspendit sidera mundi,
Et placitum paucis ausa est adscendere collem:
Non tamen absistam cœptum detexere munus.
In quo jure meas utinam requiescere Musas,
Et leviter blandum liceat deponere morem.
* Quod si mirificum proferre valent genus omnes

manu intextos esse suspicor. — 7. 8. *suspendit* vid. Not. Tuentur vocem Livineius et Barthius apud Taubmannum. Verum, etsi *suspendit* pro *suspendit se*, suspenditur, ferri forte potest: duriora tamen sunt reliqua: *suspendit ad sidera*; nec mollius illud: Musa *suspendit studium et labores ad sidera*. Probanda itaque Scaligeri lectio: *subtendit*, ad cælum tendit altius, hincque alterum pendet: *Et placitum paucis ausa est adscendere collem*, scil. Sapientiæ seu Virtutis: ad quam via ardua, οἶμος ὀρθιος, vulgari voce ferebatur. cf. vs. 14. Male de poeticea laude et Helicone monte accipiunt hæc interpretes, etiam Fontanin. Hist. lit. Aquilei. p. 35. Basil. *suspensi*: unde Heins. *suspendi* vel *se tendit*. Jo. Schrader. Emendatt. c. 3. p. 55 *suspexit*: cum Jacobs nostro: inf. 218 *et altum suspicit ad culti nutantia sidera mundi*. Et sic codd. Æn. IX. 402 *suspiciens altam ad Lunam*. Durum tamen et hoc: mea Musa suspexit ad cælum. *placitum* et *paucis* vett. edd. omnes habere Scaliger ait: quod verum non est. Legitur passim, etiam in Basil., *multis*, et *placidum*: sed vitiose. Vetus editio P. Leopardi apud Jac. Nic. Loensem Epiphyll. VIII, 23 *Nec facilem multis*, ex interpretatione. *ascendere callem* conj. Heins. — 10. 11. In quo carmine utinam liceat finire labores meos poeticos: forte, ut totum se philosophiæ addicat. Sed uterque versus ab interpolatore profectus videtur. Otiosum enim et durum τὸ *jure* et *leviter*. Heins. conj. *ruro*, hortulo. Melius Jo. Schrader. *rite*. Tum *meas Musas liceat requiescere in hoc carmine*, parum comta oratio. Attamen *blandum morem* non male dictum putes de studio poetico, cui indulget. Jac. Nic. Loensis Epiphyll. VIII, 23 ex vet. edit. *deponere amorem* profert, idque Barthius Advers. X, 12 probat, cum Heinsio (qui et conj. *Leniter et blandum*, ut Lucret. lib. I pr.) et cum Jo. Schradero Emendatt. p. 64; esse enim idem hoc apud Catullum LXXV, 13 *Difficile est longum subito deponere amorem*. Narrat præterea Jo. Schrader fuisse qui mallet: *deponere honorem*. — 12. In vett. edd., etiam in Aldina, tantum: *Quodsi mirificum genus omnes* legitur. *Mirificum seclis* eadem vet. edit. apud Loensem l. c. Nec aliter Basil. Qui carmen hoc a diversis doctis hominibus interpolatum, interpolationes autem in margine, obscuro interdum et parum elaborato literarum ductu adscriptas meminerit, is intelliget, quam facile in locis his a librario, qui novum inde exemplum petebat, depravationes inferri potuere, quas nullus alius codex sanare potest. In h. l. tamen lacunam seniores grammatici suo quisque more supplere, et alii alia in margine novare et versus variare tentarunt. Itaque utrumque versum 12 et 13 esse delendum censeo, tanquam inepta pericula grammaticæ manus in versu seu vetere, qui exciderat, supplendo seu novo procudendo. Scaliger tamen refinxit: *Quodsi majorum, Valeri, genus omne tuorum Mirifice seclis modo sit proferre libido*, h. e. si esset mihi libido mandare seclis et memoriæ æternæ genus Valeriorum, ex quo Messalarum familia, non ego te

cœptum, mox sepositum esse. Ceterum carminis initium habet aliquam similitudinem cum epigr. VII inf. in Catalectis.

* Mirificum sæcli, modo sit tibi velle libido;
Si me jam summa Sapientia pangeret arce;
Quatuor antiquis quæ heredibus est data consors;
Unde hominum errores longe lateque per orbem
Despicere, atque humilis possem contemnere curas:
Non ego te talem venerarer munere tali;
Non equidem; quamvis interdum ludere nobis,
Et gracilem molli liceat pede claudere versum;
Sed magno intexens, si fas est dicere, peplo,

acciperem hoc munere, sed longe excellentiore carmine. Ipse tamen Scaliger suæ conjecturæ non satis confidit. Barthius minus docte refinxit: *Quod si versificum proferre volunt g nus omnis Mirificum secli: modo sit tibi velle libido.* Turnebus Advers. XXVIII, 25 *valet genus omne Mirificum secli* corrigit, de sensu verborum idoneo parum sollicitus. Pomponius Sabinus ita interpretatur vulgatam, ut acumen viri non assequar: « Omnes, supple, tradere suadent. Si omnes « suadent, ut scribam philosophiam, et tu etiam id vis et ego paterer scribere, « non venerarer te munere Ciris, sed carmine philosophico. » — 14. *arce* Aldina dedit. Vett. edd. *arte*, idque Calderin. et Ascens. interpretantur; pronum est in *pangeret;* quod tamen non male est dictum pro figeret, eductum collocaret, suspicari *panderet*, ut reliqua consentanea sint, scribendum: *Si mihi jam summam Sapientia panderet arcem.* Incidit quoque in hoc Frisemann. et Jacobs; nisi quod hic *summas arces* adsciscit cum Greene. Heins. conj. *Si mea* (vel *mihi*) *jam summam Sapientia tangeret arcem.* Ms. Helmst. *Si mea jam summas S. p. artes.* Melius Basil. *summas arces*, quod Heins. probat, recte. — 15. *quæ* in vett. edd., etiam in Ald. et in Basil., excidit. *heredibus* eleganter seu ut simpliciter sint κληροῦχοι, seu proprie respectu Socratis. Parum caute Paullus Leopard. ap. Loensem Epiphyll. VIII, 23 *hæresibus* emendabat. Heins. *Quatuor antiquis heroibus addita consors*, vel *heroisin*, ut quatuor philosophiæ ipsius partes designet. Martian. Capella lib. VI, p. 189 *Tantorum qui philosophiæ heroum matrem non agnoscis.* — 17. *possim* Ald., quod Heins. et Jo. Schrader. probant. *possum* Basil. — 18. *munere vili* conj. Jo. Schrader. — 20. *liceat;* forte *libeat.*

14.... 41. Si in philosophiæ studio jam satis profecissem, ... ut majus carmen de rerum natura conscribere possem: hoc tibi dedicarem. Hæc subjiciuntur vs. 36 sqq. *summa arce* cf. ad v. 8. *me pangeret*, figeret, statueret, collocaret. — 15. Arx, quam quatuor summi philosophi tenent, Plato, Aristoteles, Zeno, Epicurus. (Pro Zenone Pythagoram veteres interpretes nominant.) *arx data est consors*, elegantius, quam *iis consortibus*, quatenus heredes sunt Socratis. Expressus autem totus locus ex Lucretii notis verss. lib. II, 9 sqq.

21 sqq. Celebratissima res in Panathenæis magnis, quæ Athenis quinto quoque anno agebantur, peplum Minervæ. vid. Meurs. Panathen. c. 17 seqq. Ducebatur occultis machinis per terram navis, ad speciem remis instructa, ad

Qualis Erechtheis olim portatur Athenis,
Debita quum castæ solvuntur vota Minervæ,
Tardaque confecto redeunt Quinquatria lustro,
Quum levis alterno Zephyrus concrebuit Euro,
Et prono gravidum provexit pondere currum.

23. *dona* vett. edd. ante Ald. cum ms. Basil. — 24. *Tardaque* haud dubie legendum, ut jam a Taubmanno editum video: non *ve*. — *Quinquatria* vett. edd., quod doctius esse vocabulum videri potest, et improprie de Panathenæis dictum. *Quinquennia* Aldina et Ascensianæ intulerunt. — 26. Legebatur: *Et prono gravidum provexit pondere cursum*. Superior versus 25 ad declarandum tempus Panathenæorum habendorum spectabat. Quum non appareat, cujus rei cursus intelligi possit, nec ad navigationem ad quam Turnebus XXVIII, 25 versum refert, quicquam aliud

Minervæ templum; peplum, pro velo suspensum, mox utrum pro veste Minervæ signo injectum, an sedentis gremio appositum, an, quod probabile fit, pro aulæo prætextum sit, nulla auctoritate expressa doceri posse video. Ceteroqui Aulæa signis deorum obducta in adyto passim fuisse satis constat: unde etiam in ultimam opinionem proniores sumus cum Stuarto (*Antiqu. of Athens* T. II, p. 7.) Pollucis auctoritas, qui VII, 50, πέπλον etiam ἐπίβλημα fuisse ait, idque colligi posse ἐκ τῶν τῆς Ἀθηνᾶς πέπλων, de amiculo vel indumento est accipienda: id enim ipsi est ἐπίβλημα. Peplo intextæ res a Pallade gestæ, inprimis pugna cum Titanibus et Gigantibus: mox quoque strenuorum ducum Athenis egregia facta, aiunt viri docti, Scaliger ad hunc l. et Meurs. l. c. Volunt id docere ex Aristoph. Equ. 563, ubi majores prædicantur digni ea urbe καὶ τοῦ πέπλου. Hoc tamen clariorem locum afferri velim: nam Comicum pompam Panathenaicam respicere potius arbitror, qua armati incedebant viri. Etiam Pepli nomen, quo Aristoteles librum inscripsit, quem de heroum tumulis confecerat, viri docti hinc illustrant. Nostri poetæ locus rem non magis probat. cf. inf. ad versum 36. — 21. *Si fas est dicere*: non tam ad religionem refero, quam ad audaciam cœpti: et *olim*, pro *tum*, sequente etiam *quum*. Æn. VIII, 391, *Non secus atque olim tonitru quum rupta corusco*; ὡς δ' ὅτε.

25. 26. *Quum levis alterno Zephyrus concrebuit Euro*: alternis Zephyrum cum Euro spirare ait, eoque tempus Panathenæorum habendorum declarat: quod hic ad primum ver retrahere videri potest. Mense tamen Hecatombæone, et quidem die XXIII, tertio cujusque Olympiadis anno, ea celebrata esse satis constat; est ille primus mensis anni Attici, quem a primo plenilunio post solstitium æstivum processisse quis ignorat? Æstatis igitur ingressæ tempus declarari hoc versu dicendum est: quod tamen quam commode per pugnam Zephyri cum Euro designetur, non dicam. Etsi Zephyri flantes non modo ver, sed et æstatem ineuntem alibi quoque indicant, cf. Ge. III, 322. Hactenus itaque

Felix ille dies, felix et dicitur annus;
Felices, qui talem annum videre, diemque.
Ergo Palladiæ texuntur in ordine pugnæ:
Magna Giganteis ornantur pepla tropæis;
Horrida sanguineo pinguntur prælia cocco;
Additur aurata dejectus cuspide Typho,
Qui prius, Ossæis consternens æthera saxis,
Emathio celsum duplicabat vertice Olympum.
Tale deæ velum sollenni in tempore portant:
Tali te vellem, juvenum doctissime, ritu

nos ducat: vitium subodorari in promtu est, ut *currum* legamus; ut jam Barthius emendavit, Taubmanno probante. Navis Panathenæis ad Palladis templum ducta machinis agi debuit, peplo tamen pro velo expanso, quod adeo Zephyrum excipiebat, vid. Not. ad v. 21. Navim per currum declarari, idem Barthius docuit: v. c. apud Catull. LXIII, 9, 10, ubi vid. Intpp. Ex Julio Pomponio exsculpere aliquis possit lectionem *gravidam p. p. Chlorim.* Sed lusus is esset, non emendatior lectio. — 27. *illa dies* Ald. — 30. *pepla.* Sic jam ed. Ven. 1484 et aliæ cum Aldina. Male aliæ vett. edd. *templa.* — 31. *cocco.* At Ald. *succo.* Sic et vetus editio apud Loensem Epiphyll. VIII, 23. — 32. *dejectus* Aldina emendatum dedit. *delectus* vett. edd. cum codd. *deletus* Loens. ibid., quod placere non debebat Drakenborchio ad Silium IX, 39. *irato.... fulmine* conj. Frisemann., quod sane et ipsum dici posset; sed hoc est variare, non emendare. *aurata cuspide* poeta dixit respectu texturæ coloribus variatæ. — 33. *Qui superum* conj. Heins. *consternans* ed. Flor. vetus apud Barth. Advers. X, 12. — 35. *solenne* edd. nonnullæ. *in* abest Ald.

illud ferri potest. Si tamen, quod paullo ante memoravi, navis, etsi machinis acta, velis expansis ventum excipere visa est: expedita est vss. 25 et 26 sententia. cf. V. L.

29.... 34. Locus, etsi ab h. l. forte alienus, classicus tamen post Eurip. Hecub. 466 sq. de peplo Minervæ. conf. ad vs. 21. — *Gigantеis tropæis;* prælio et victoria de Gigantibus Pallante et Echione Enceladoque prostratis inprimis dea tum inclaruit. — *pinguntur,* quod vs. 29 *texuntur.* Typho vel Typhœus, diversum a Gigantibus monstrum, sæpe tamen in eorum censum a poetis relatum, procellarum et turbinum, cumque iis eructantium ignes montium, symbolum satis frequentatum. Ab aliis ille a Jove prostratus narrari solet: quæ vel ex Apollodoro teneas. Minervæ in ea victoria partes etiam Horatius tribuere videtur in noto loco Carm. III, 4, 53. Stans cum hasta capiti prostrati monstri imposita dea occurrit in patera Medicea apud Demster. t. V. — *Emathius vertex,* Pelion esse debet Olympo h. l. impositum, ut Georg. libro I, 281, Ossæ.

36. *Tali ritu te,* etc. hoc modo ait auctor velle se, tanquam peplum, carmen de rerum natura scribere

Purpureos inter Soles et candida Lunæ
Sidera, cæruleis orbem pulsantia bigis,
Naturæ rerum magnis intexere chartis;
Æternum Sophiæ conjunctum carmine nomen
Nostra tuum senibus loqueretur pagina sæclis.
Sed quoniam ad tantas nunc primum nascimur artes,
Nunc primum teneros firmamus robore nervos:
Hæc tamen interea, quæ possumus, in quibus ævi
Prima rudimenta et primos exegimus annos,
Adcipe dona, meo multum vigilata labore,
Et præmissa tuis non magna exordia rebus:
Inpia prodigiis ut quondam exterruit amplis

38. *bigis*. Ita video primum editum in Ald. At veteres edd., ut Ven. 1484 et aliæ, cum ms. Basil. *signis*, perperam. Barthius ex vet. ed. sua Loens. VIII Epiphyll. 24 laudat pr. edit. *sumis*, et inde conjicit *mulis*. Nihil est facile tam absurdum, quod non Critico in mentem venerit. — 40. *Æternum ut Sophiæ* Loens. l. c. e vet. edit.; malim *et* legere. Heinsius emend. *Æterno* vel *Alterno*, quod non capio. — 43. f. *Nunc primum* et *t*. Heins. *Nunc primum*, vel *primo*, *hoc*. — 45. *et juvenes exegimus annos* Ald. Sicque ms. Helmst., probat Burmann. ad Sammonic., renuente Jo. Schradero Emendatt. pag. 45. — 47. *promissa* edd. vett., ut Ven. 1484. Emendatius *præmissa* dedit Aldina. *permissa* ms. Basil. — 48. *Impia... exterruit amplis*. Vitium in extremis latens non difficile est deprehendere. Nam *amplis* importunum est de prodigiis, et *exterruit* suspectum fit, propter sequens *viderit* et *supervolitaverit*. Latens in eo *exterruit* statim occurrit, idque vidit Jo. Schrader. Emendat. p. 56. explens reliqua: *prodigiis.... exterrita amoris Scylla novos avium.... Viderit;* ut fuerit Scyllæ amor prodigiosus et portenti similis. Nec tamen ad cetera bene se habet hoc: Scyllam

eique Messalæ nomen intexere. — 37. 38. Luna, quæ invehitur per *orbem*, cælum, bigis. *Sidera* Lunæ pro sidere, et *pulsare* de curru, seu equis curru tracto solum quatientibus sollenne. — *purpureus* pro pulcher, frequens poetis.

40. 41. *Nomen tuum, conjunctum Sophiæ, carmine*, (h. nomini Sophiæ in carmine), *pagina nostra loqueretur æternum sæclis senibus*, hoc est, seris.

42. *Ad tantas artes:* non de poetica, ut perperam post ceteros Fontaninus quoque Hist. litt. Aquilei. p. 37 statuit, sed de philosophiæ studio accipe, ad quod nunc primum accessit.

47. *Et præmissa*. Si sensus inest, debet poeta significare, se præmittere quasi exordia, scilicet præludia, carmini, quo aliquando Messalæ res gestas persequetur, hos lusus, *ut Scylla in avem mutata sit:* quod eleganter extulit: *ut.... novos avium, sublimis in aere, cœtus Viderit, et tenui conscendens sidera penna Cæruleis sua tecta supervolitaverit alis.* — 48. Corruptis verbis declarat versus

Scylla, novosque avium sublimis in aere cœtus
Viderit; et tenui conscendens sidera penna
Cæruleis sua tecta supervolitaverit alis;
Hanc pro purpureo pœnam scelerata capillo,
Proque patris solvens excisa funditus urbe.
Conplures illam, et magni, Messalla, poetæ
(Nam verum fateamur; amat Polyhymnia verum)
Longe alia perhibent mutatam membra figura;
Scyllæum monstra in saxum conversa vocari;
Illam esse, ærumnis quam sæpe legamus Ulyxi
Candida succinctam latrantibus inguina monstris

exterritam amore in avem fuisse mutatam. Scaliger emendavit *prodigiis*.... *exercita amoris*: sicque jam in marg. edd. *exercuit*. Heins. conj. *exercita diris* vel *miris*. Bonum vocabulum, *exerceri curis*, *amore*, sed *prodigiis* magis exterremur, quam exercemur. Malim itaque: *prodigiis*.... *exterrita*, prodigio formæ mutatæ. Omnino dubito an, qui sequuntur, versus 48.... 100 ab eodem poeta sint, qui carminis auctor fuit. Produnt enim Scholasticum aliquem serioris temporis inepta quoque doctrinæ copia intempestive illata. — 49. *que* post *novos*, quod sublatum volumus, abest quoque ed. Ven. 1484, Ald. et al. — 50. *Auxerit*: vetus editio ap. Nic. Loensem Epiphyll. VIII, 24, quod Grævius probabat: ut apud Nasonem de Pieriis puellis Musarum æmulis: *Auxerunt volucrem victæ certamine turbam*. Nil tamen mutandum esse, ipse Heins. censet; qui et *lenes cœtus* maluerat, mox tamen ipse respuit. Videt avium cœtus novos in aere, quia humo adfixa fuerat. Barthius comparat inf. vss. 200 sqq. Porro *conscendens æthera* Ald., inde aliæ edd. in margine, ex interpretatione. — 51. Hic versus ex Ecl. VI, 81 traductus. — 53. *Pro patris solvens excisa et fund.* ms. Helmst. *excisam f. urbem* ms. Basil. — 54. *Quum plures, Dum plures*, codd. et vett. edd. *et* aberat ab Ald. — 55. Vett. edd. *Polymnia;* unde alii Polyhymnia, alii *Polymneia* fecere, ex Πολύμνεια, Πολυμνία, et hoc doctius ac verius, ut Musa sit memoriæ rerum et factorum servandæ invigilans; eaque adeo verum amare dici possit. Porro *amant* vett. edd., ut *poetæ* subintelligantur. — 56. *Longe alia*.... *figura*. Jam in Aldina comparet. *mutatam m. figuram* ed. Ven. 1484. *mutatam m. figura* et *mutata figura* aliæ. *Longe aliam*.... *figuram* ms. Helmst. — 57. Suspectus versus. Deficit quoque nexus cum antec. versu. Etsi inserere licet: *Scyllæum* et *m.* — 58. *ærumnis* durum est, ut sit inter ærumnas, labores Ulyssis. *quam sæpe* bene em. *quam nempe* Jo. Schraderus. *Ulyssei* ed. vet. apud Loensem l. c. *Ulyssi* Ald. — 59.... 61. Ex

ipsam Scyllam exterritam fuisse forma sua mutata, videns scilicet se avem factam.

54 sqq. Multi poetæ Scyllam in Saxum Scyllæum, naufragiis infame, in Italiæ extremæ ab occidente oris, haud longe a freto Siculo, mutatam narrant. cf. ad Æneid. III, 555. Nota res est, de Scylla diversas fabulas tradi, et plures Scyllas ab aliis memorari, ab aliis confundi. conf. ad Eclog. VI, 74. et ibi Exc. IV. *monstra conversa in Saxum Scyllæum* pro

Dulichias vexasse ratis, et gurgite in alto
Deprensos nautas canibus lacerasse marinis.
Sed neque Mæoniæ hæc patiuntur credere chartæ,
Nec malus istorum dubiis erroribus auctor.
Namque alias alii vulgo finxere puellas,
Quæ Colophoniaco Scyllæ dicantur Homero.
Ipsi seu Lamie mater sit, sive Cratæis,
Sive illam monstro genuit Persea biformi,

Ecl. VI, 75.... 78. — 62. 63. Totum hunc locum, qui sequitur, insititiis locis annumerandum esse arbitror. Grammaticum acumen video, poeticum nusquam comparet. Sententia impedita et verba male juncta. Homerus de Scylla agit Od. μ. Non patitur, inquit, is hæc credere, seu quod nihil tale memorat, seu quatenus Scyllam Cratæidis filiam edit, non Nisi : nec patitur credere auctor malus, h. parum idoneus, istorum hominum erroneis interpretationibus. Versum alterum tanquam ineptum prorsus deleo, et lego : *Atque alias alii.* In priore versu *hæc* omisit Ald. In altero Scaliger *Nec Lamus* conjiciebat : ut Læstrygonum ille rex Scyllæ pater forte habitus fuerit. Sed ne sic quidem verba ad sensum commodum redigi posse video. *Nec malus est horum*, vel *historiæ*, conj. Heins. Ceterum quum tot de Scylla narrationes attigerit homo, miror omissum esse amorem Glauci, quem exposuerat carmine Hedyle poetria in carmine Scylla : v. Athen. VII p. 297 B. Voce *chartæ* in carmine jam Catullus usus est. — 65. Admodum dure *Scyllæ* pro singulari : ut sit, alii aliam puellam ediderunt, quæ Homero Scylla esset. *Quæ dicantur* legi necesse est. Et nunc sic in ms. Helmstad. legi video; nunc et Heins. sic e Basil. Vulgo *dicuntur*. — 66. 67. Corruptissimi versus. Vetus lectio est : *Ipsi Cratinei matrem; sed sive Erichthei, Sive illam monstro genuit grandæva biformi.* Nec occurrit varietas, nisi quod in aliis, ut in Ald. 1517. Junt. 1520, *Gratinei*, et in Junt. 1532 *Ipse Cratem matrem, sed sive hanc sive Erychthei, Sive* etc. Ascensius *Cratin* legit, sed verum nomen est *Cratæis*. Odyss. μ, 124 βωστρεῖν δὲ Κραταιὴ, μητέρα τῆς Σκύλλης. Erichthei filia, quam intpp. Atthidem esse aiunt (quæ tamen Cranai filia fuit : Pausan. I, 2, p. 7), aliena ab hac fabula est. Ut nunc leguntur versus (in Ald. 1534, ubi Lamio est), ex emendatione prodiere Jani Parrhasii, quam se Minutiano exprimendam typis dedisse narrat ad Claudian. R. Proserp. lib. III sub fin. Quam Virgilii editionem curaverit Minutianus, nondum cognitum habeo. Sed ex Parrhasii verbis illud satis

monstro. *canibus marinis*, quibus succincta erat Scylla. cf. Æneid. lib. III, 424 sqq. 431. 432.

66. Ordo sententiæ ab his usque ad v. 89 sqq. procedit : *Sed ipsi seu Lamia mater sit, seu Cratæis, seu Persea;* h. e. Hecate; *sive illa allegorice est libido Venerea, sive puella a Neptuno oppressa et in monstrum mutata, sive puella quæstum corporis faciens : Quidquid est, de ea potius agamus Scylla, quæ in Cirin mutata est.* — *Lamiæ* filiam tradiderat Scyllam Stesichorus. vid. Schol. Apollonii IV, 828. *Cratæidis* autem Homerus Odyss. μ, 124. — *Persea* est Hecate, Persæ ex Asteria filia. — *monstrum biforme*, διφυὲς, Phorcys vel Phorcyn.

Sive est neutra parens : atque hoc in carmine toto
Inguinis est vitium et Veneris descripta libido;

constat, sine codd. et ex aliorum de Scylla narrationibus ab eo versus esse concinnatos : et quantum quidem intelligo, admodum pro lubitu, et perperam in hoc, quod tres matres pro binis intulit, quum sequatur *neutra parens*. Scribit etiam *Lamiæ* (vitiose haud dubie pro *Lamie*, Λαμιη pro Λαμιαι), et *Persæa*, quum *Persea* esse debeat, sub qua Hecaten intelligit, sicut in *monstro biformi* Phorcum. Nituntur hæc partim Apollonii verbis Argon. IV, 828, 829. quibus Phorcus et Hecate, cui Cratæis quoque nomen sit, Scyllæ parentes traduntur : Σκύλλης Αὐσονίης ὀλοόφρονος, ἣν τέκε Φόρκυν Νυκτιπόλος Ϭ' Ἑκάτη, τήν τε κλείουσι Κραταιὴν, partim Grammatico vetere ad e. l., qui tum Homeri, tum Acusilai auctoritatem sequi Apollonium notat, namque hunc Phorcynis et Hecates filiam edere Scyllam; in veteri autem carmine, ταις μεγάλαις ἠοίσις, Phorbantis et Hecates, in Scylla Stesichori *Lamiæ* filiam tradi eam. Heins. Scyllam ipsam Lamiam dici volebat; ut esset una e Lamiis, de quibus ad Petron. Fragm. Tragur. remittit, et refingit : *Ipsi seu Lamiæ mater sit sæva Cratæis*. Nec Heinsii, nec Parrhasii acumen improbo, sed in versu priore restituendo eos operam lusisse arbitror; nam in codd. *Lamiæ* vestigium nullum est; et utrumque : *Ipse Cratinei matrem*, et alterum, *sive Erichthei*, grammatici notam in margine adscriptam sapit : *ipse Homerus Cratæin matrem tradidit*. Etiam in ms. Basil. ad verba *Sed sive Erechthei* est superscriptum *Ipse.... matrem*. Alias, proxime ad verba, ad hariolationem expedita est via : *Ipse Cratæin ait matrem; sed sive Cratæis Sive illam* etc., digna tali poeta oratio. Quod *Perseam* attinet, potest illa locum tueri, si quidem apud Statium quoque IV Theb. 482 ita meliores libri, pro eo, quod vulgatius est, *Perseis*, habent. Perses enim ex Titanibus ortus, ex Asteria Hecaten genuit. v. Apollod. I, 2, 4. Hinc illa Περσεια, Περσηὶς, Περσὶς recte dici potuit. Ex Julio Pomponio colligo, lectum ei esse : *Granena;* nam hæc iste adscripsit : « Volunt « quidam hanc Scyllam fuisse filiam Erechtheidis, quidam filiam Granenæ et Tri« tonis. » *Granena* notatum quoque e ms. Helmstad. video. Scaliger Parrhasianam lectionem et ipse retinuit, sed miris modis tentavit locum, sive ut legeret : quod et Taubmannus recepit :

Sive Cratæis ei mater de semine Erechthei,
Seu Lamie monstro genuit grandæva biformi.

sive ut esset :

Sive Cratæis ei mater, sive et Cretheis
Sic illam monstro genuit grandæva biformi.

Sed *Erechthei* nomini nullus hic locus; natum illud librarii stupore supra diximus. Nec magis *Creth is* ex fabula ulla firmari potest; nam, quod *Crathin* fluvium patrem Scyllæ prodidisse dicitur Martianus Capella, ex vitioso codice acceptum videri debet, quum *Cratæis* esset scribendum, uti emendavit Grotius lib. VI, p. 205. Est enim *Cratæis* vel *Cratais* fluvius juxta Scyllæum in extrema Italia, ut ex Plin. III, 5 constat : *Cratæis fluvius, mater, ut dixere, Scyllæ*. Varie corruptum nomen illud v. apud Intpp. Hygini f. 199 et Heins. ad Ovid. Met. XIII, p. 649. Nova ratione Scaliger refingit :

Seu Luna hunc monstro genuit grandæva biformi.

Monstra enim veteres e luna demissa putasse, quod utique factum in Leone Nemæo probat. cf. Gesner. ad Claudian. p. 395. Wernsdorf. Poetæ Min. Tom. I, p. 276. — 69. Male interpungebatur post *vitium*. Est enim ordo : atque in toto hoc

68. 69. Seu fabula Scyllæ allegorica est libidinis narratio. Simili

Sive etiam est jactis speciem mutata venenis.
Infelix virgo : quid enim conmiserat illa?
Ipse Pater nudam sæva conplexus arena
Conjugium caræ violaverat Amphitrites :
Attamen exegit longo post tempore pœnas,
Ut, quum cura sui veheretur conjugis alto,
Ipsa trucem multo misceret sanguine pontum.

carmine vitium inguinis (libidinis immoderatæ) et Veneris libido descripta est. Canes scilicet, quibus inguine tenus cincta est, ad impudentiam caninam referebat ille quisquis hæc exposuerat allegorice. Lectio versus debetur Aldinæ. Vett. edd. *I. in vitium* et *inscripta*, unde Ascensius *vitium inguinis* de canibus subnatis accepit. *id vitium* ms. Basil. *damnosa libido* vett. edd. apud Loensem l. c. — 70. *exactis venenis*. Non video quam commode dicatur. Scaliger quidem *exacta venena* vocat, ut medici ἀκριβῆ πυρετόν. Longius petitum hoc. Dicam clarius, esse venena explorata adeoque potentia. Taubmannus venena accuratissima, exquisitissima, et præsentissima exposuit. Sed latere puto aliud venenorum epitheton; forte *Æœis venenis*, h. Circes Æææ; ut passim poetis mos est loqui. Aldina dederat *jactis*, quod et ms. Helmst. legebat; non male; accedit Heinsii judicium. v. Ovid. Met. XIV, 55 sqq. Barthius Advers. X, 12 *ex jactis* emendaverat, parum scite; immo *est jactis*. Heins.' *hæc jactis*. — 72. *Sive pater* vet. ed. apud Loensem l. c., sed perperam. Porro *nudam* ead. vetus ed. c. Aldd. Ex prioribus *timidam* iterum induxerat Pithœus et Scaliger. At *sæva arena* quis ferat? Leg. *flava arena* : frequens et elegans verbum. Nam *Ausonia arena* si legam, verendum est, ne longius sit petitum. Nodell. not. crit. p. 82 *sola arena* conjicit. — 73. *canæ Amphitrides* Heinsius conjecerat, parum suaviter. — 74. Iterum tres versus a mala manu submistos suspicor. *Has tamen* idem Heinsius emendabat, et alius vir doctus *Hæc tamen* Misc. Obss. Vol. IV, p. 318. quod et ipse malim. *Ast tamen* Basil. ms. Greene legit : *Nec tamen*.... et mox *Aut quum cura* : quæ non capio. — 75. *Ut quum* ex Aldina fluxit. *Ut tum* edd. vett., item : *At quum*, et *cura suæ v. conjugis*; sicque vet. ed. apud Loensem l. c. cum Ald. *cura tuæ* ms. Helmstad. *suæ* etiam ms. Basil. Jo. Schrader. conj. *Ut cum rore sui*. — 76. *multo*. Heins.

modo eam interpretatur Fulgentius Planciades Mythol. II, c. 12 et Heraclides in Allegor. p. 496.

70. Ex poetæ verbis talis fabulæ habitus esse debuit : Scylla a Neptuno oppressa Amphitrites iram in se concitaverat; quæ eam aliquanto post ita ulta est, ut, cum marito per mare vecta, veneno aquas inficeret, quo illa aqua marina corpus lavans in monstrum mutaretur. — 72. *Ipse pater*, Neptunus, ex noto poetarum more de Jove, de Plutone et Neptuno. Alii, pro mari, fontem, in quo Scylla se lavaret, Amphitriten medicaminibus inquinasse narrarunt : ex quibus Tzetza rem exponit ad Lycophr. 45. 648. Circes artibus id factum traditur in vulgari narratione de Glauci amoribus apud Ovidium, Hyginum et alios. — 75. 76. *ut misceret* Amphitrite *pontum multo sanguine*, quem pro veneno dictum esse necesse est. Dum invehebatur mari *cura conjugis* : ipsa Am-

Seu vero, ut perhibent, forma quum vinceret omnis,
Et cupidos quæstu passim spoliaret amantes;
Piscibus et canibus rabidis vallata repente,
Horribiles circum vidit se sistere formas.
Heu quoties mirata novos expalluit artus!
Ipsa suos quoties heu pertimuit latratus!
Ausa quod est mulier numen fraudare deorum,
Et dictam Veneri votorum vertere pœnam:
Quam, mala multiplici juvenum quod sæpta caterva

hariolatur, *immerito*. — 78. *spoliaret*. Ald. *popularet*; docte ac vere. Ms. Helmst. corrupte *prodularet* descripserat; recentior manus *procaret*. — 79. *Pristibus et c.*, h. belluis marinis, emendare in promtu est. — 80. *Terribiles* alii ap. Loensem l. c.; idem emendat: *circumque videns*. Mox vulgo *vidit sibi*. ms. Helmst. *circum vidit se*, nec male. Heins. conj. *videt subsistere* vel *videt se existere formis*. — 82. *pertimuisse latratus* edd. vett. ante Aldum, inscite. — 83. *Ausa quoque* Taubm. edit., nescio unde. *quod et* mavult Heins. — 84. *Edictum* vett. edd. nonnullæ. *Edictam* ms. Basil. Tum *notorum*, quod et ipsum illud ms. habebat, emendabat Barthius, ut essent noti amatores, qui cum Scylla consueverant: quorum *pœna* sint præmia, quæstus decimæ. Sed vid. Not. *avertere prædam* conj. Heins. *dictam Veneri* illustrat ex Petron. (c. 132 extr.), ubi em. *Ipse pater Veneri dictis Epicurus in hortis Jussit*. Qui sequitur locus vix a primo interpolationis auctore profectus est. *prædam* vel *partem* etiam Jo. Schrader. conj. — 85. 86. *Quam*

phitrite. Olim ad Scyllam nautas laniantem referebam, ut multo *sanguine* misceretur mare.

77.... 88. Sive Scylla fuit puella eximiæ formæ, quæ corporis quæstum fecit, et a Venere in monstrum marinum est mutata.

83. 84. Læserat, ad horum poetarum mentem, Scylla meretrix numen, intervertendo et intercipiendo *pœnam votorum dictam Veneri* a juvenibus, quos illa amore sui irretierat. Ut *voti reus* aliquis dicitur, cui, successu secundo, ex voto persolvenda sunt, quæ voverat: sic spectat *pœna* ad reatum quasi votorum, quibus se obligaverant Veneri, quæque ipsi nunc erant persolvenda; sed juvenes ea, quæ ex voto debebant, aut voti solvendi caussa Veneri destinaverant, ad puellam, quæ quæstum faciebat, apportabant. Scaliger aliter accepit: « ποινὴν more Græco- « rum, debitam mercedem: an « quod noluit persolvere decumas « quæstus sui, quas voverat Vene- « ri? sed tunc melius legeretur: « *avertere*, an, quod melius est, « mercedem a juvenibus accipie- « bat, juvenes ipsos excludebat? » Hæc Scaliger: sed in poetæ verbis vix ea latent. Scyllam de scorto avaro etiam Heraclitus de Incredib. cap. 2 exposuit.

85.... 88. Quam merito tali rumore infamem fuisse, recteque adeo illa de ea narrata esse, testatur Palæphatus, quod, septa meretrix multiplici juvenum caterva,

Dixerat atque animo meretrix jactata ferarum,
Infamem tali merito rumore fuisse,
Docta Palæphatia testatur voce papyrus.

modo m. Ald. At Scaliger ad Chronic. Euseb. *Quæ mala.... Vixerat*, unde Taubm. recepit: quod parum placet, nec magis Heinsii: *male.... quod.... Vixerat*, vel *Vixit parque animo*, vel *æquata ferarum*. Lenior medicina esset: *Quam,... mala.... quod.... Struxerat*, tum pro *atque* malim: *ipsa animo m. juvenum quoque* ed. vet. apud Loensem Epiphyll. VIII, 25. Mox *agitata* unde in Heinsianam et alias vulgatas venerit, ignoro: ubique editur *jactata*. Scaliger interpretatur docte Σπιωδῶς ἐκμανεῖσα. Barthius Advers. XXIII, 9 *jactata erat* pro jactavit, dictum esse vult, qua auctoritate vel analogia, non intelligo. — 87. *tali merito rumore* Cujacii et, Taubmanno monente, Paulli quoque Leopardi Emendatt. X, 24 emendatio est apud Scaligerum, pro librorum lectione: *tali meritorum more*; quam ipse Scaliger non improbare videtur, dum recte interpretatur: quod ita se in juvenes gessisset, quod ita de iis promerita esset. — 88. *Palæpaphiæ* vel *Palepaphiæ* (quod ad Palæpaphon Cypri referebant interpretes) et *Pachynus* vel *Pachinus* vett. edd. cum codd. Quod nunc habemus, ex Jani Parrhasii emendatione profectum est, quam ad Claudiani R. Proserp. sub fin. testatur. cf. sup. ad v. 66, 67. Receptam eam jam video in Aldina 1517, quam semper intelligi in his carminibus volumus, quoties Aldinam excitamus. De *Palæphatia voce* dubitari vix potest; *papyrus* commoda quidem lectio, defensa quoque a Schotto Not. in Procli Chrestomath. p. 22, nec tamen dictu facile, quomodo ea in *Pachynus* abire potuerit. Scaliger eo nomine poema seu opus μυθολογικὸν Palæphati fuisse suspicatur, quod de Siciliæ fabulosis multa continuerit, quum Pachynus Siciliæ promontorium sit. Verum, quod eam suspicionem juvet vel firmet, nihil occurrit; et monstra corruptelarum similia in vocibus, quæ librario notiores esse debebant, quam eæ, quas substituit, plura ad manum sunt; et *papyrus*, *charta*, frequens est certo poetarum generi pro libro.

atque animo ferarum (h. fero ac sævo) *jactata*, agitata, *mala dixerat*, fraudes, mendacia: quo latratus, pro pœna Scyllæ mutatæ attributus, respicere videtur. Ceterum, quum de lectione *Palæphatia* vix dubitari possit, apparere videtur etiam hoc ex loco, nos verum Palæphatum non habere, et esse alterius auctoris libellum περὶ ἀπίστων, qui a nobis teritur; nam in hoc c. 21 diversa utique ratione, etsi satis inepta, de navi Tyrrhenorum piratica, fabula exponitur. Viderunt hoc jam Grotius et Scaliger. Nisi forte permutavit auctores poeta; nam is, qui nunc sub Heracliti nomine venit, περὶ ἀπίστων scriptor fabulam fere ad istum modum interpretatur. In eodem c. 14 occurrit simile quid de Sirenibus, quod sub Palæphati nomine profert Hieronymus Chron. Euseb. n. 843. Miror tamen, hominem nostrum ad Palæphatum provocare, quum notior ei esse deberet Callimachi auctoritas Frag. CLXXXIV: is sive in Αἰτίοις, sive in Hecale (ut Toup. Cur. noviss. ad Suid. p. 80 putabat), Scyllam mulierem libidinosam ediderat: Σκύλλα, γυνὴ καταπόνα, καὶ οὐ ψύθος οὔνομ' ἔχουσα. *Scylla, meretrix, nec falsum nomen habens.* Dixerat de eadem: πορφυρέην ἅμμιν κρέκα, hoc est τρίχα, vide ad pr.

Alcathoi, Phœbique; deus namque adfuit illi:
Unde etiam, citharæ voces imitatus acutas,
Sæpe lapis recrepat Cyllenia munera pulsus,
Et veterem sonitu Phœbi testatur honorem.
Hanc urbem, ante alios qui tum florebat in armis,
Fecerat infestam populator remige Minos:
Hospitio quod se Nisi Polyidos avito,

sed recte *munita* dedit Aldina. — 106. *Alcathoe* eadem Ven. *Archadio* Junt. cum Basil., sed iterum emendate *Alcathoi* editum in Aldina. *Phœbique decus* Ven. eadem. *Phœboque decus* Junt., sed etiam hoc emendatum in Aldina. — 107. Legebatur *imitantur*, scil. saxa, quod vix ex antecedentibus elicias. Si *Stant Megara* legeretur, posset eo referri. Legendum igitur aut *imitatur sæpe lapis: recrepat C. m. pulsus Et v.* Occurrit quoque *imitatur* in ed. Junt. 1533, aeque Loensis emendaverat Epiphyll. VIII, 25, aut, quod magis placet, *imitatus*. Sic Heins. et vir doctus Miscell. Obss. Vol. IV, p. 319 correxerant; et sic jam legitur Ald. 1534. — 109. *Ut v.... testetur* Junt. et Ascens. *amorem* conj. Nodell. Obss. crit. p. 39. — 112. 113. Vetus lectio, etiam mss., *Hospitioque senis* (vel *senisque*, Basil. *senio*) *hypolidosa victo;* et Junt. cum aliis interpolate: *Hospitioque seni fuit Hippolydosaque victo*. Errant fere inter has ceteræ edd. At Aldinæ: *Hospitioque senis hypolidos avito:* in quibus *Hospitio quo se Nisi Polyidos avito* facile agnoscitur. Scaliger hinc aliam lectionem extudit: *Hospitio qua se Nisus Pelopeus avito Carpathium fugiens et flumina Curetea Texerat:* ponit ille, quod nulla fabulæ auctoritas probat, Nisum ultro bellum intulisse Minoi, huncque injuriam acceptam ulturum venisse. Alia, sed parum probanda, emendatio secundum vestigia vet. editi libri facta Paulli Leopardi a Loensi prodita est Epiphyll. VIII, 25 inverso ordine versuum: .... *Minos Carpathium linquens et flumina Niseina. Hospitio canum namque urbs Lelegeia Nisum Texerat* etc. Lectio, quam nunc vulgatam

percussa, in citharæ tactæ morem, resonabat (Ovid. Metam. VIII, 14 sqq.) Alcathous *Actæus* h. l., quatenus Megarensis ager Atticæ pars haberi poterat, et olim in Atheniensium ditione fuisse credebatur; cf. Pausan. I, 39, p. 94. f. 95. Nam alioqui e Peloponneso advenerat Alcathous, Pelopis quippe filius.

107. *Imitatur* saxum citharæ sonum. *Cyllenia munera*, lyram a deo Cyllenio, Mercurio, inventam. Lapis igitur pulsus, si percussus fuerit, *recrepat* lyram, h. resonat, imitatur sonum lyræ. *veterem Phœbi honorem*: videtur hoc eodem sensu dictum, pro munere, invento, Apollinis, cithara, cujus sonum saxum refert, adeoque memoriam lyræ ei impositæ servat.

110. *Florebat* absolute: quum alias adjici soleat, laude, virtute. Sic Catull. *florentem Iacchum* absolute dixerat scilicet annis, LXIII, 251, ob sempiternam juventutem. *remige*: docte: nam cum classe advenerat Minos, cujus θαλασσοκρατίαν illustravimus in Commentar. Soc. R. Gotting. T. I, P. II, p. 71 sqq. — 112. Caussa belli Niso a Minoe illati memoratur, quod Polyidus, qui Creta aufugerat, a Minoe armis repetebatur. v. V. L.

Carpathium fugiens et flumina Cæratea,
Texerat: hunc bello repetens Gortynius heros
Attica Cretæa sternebat rura sagitta.
Sed neque tunc cives, neque tunc rex ipse veretur
Infesto ad muros volitantis agmine turmas
Ducere, et indomita virtute retundere mentis:
Responsum quoniam satis est meminisse deorum.
Nam capite a summo regis, mirabile dictu,
Candida cæsaries; florebant tempora lauro;

habemus, a quo primum in textum illata sit, ignoro: prolata est primum a Contareno Var. Lect. 8, propior illa ceteris ad literarum ductum (nisi quod pro *quo* malim *quod*), nec a fabula abhorrens, qua Polyidus, Πολύειδος, vates, Glauco Minois filio in vitam reducto, Creta aufugit (Apollod. III, 3), adeoque Megara proficisci, indeque bello a Minoe repeti potuit. Legitur quoque Polyidus Megara venisse, ut Alcathoum de cæde Callipodis filii lustraret: narrantur porro ejus filiæ Megaris sepultæ Pausan. I, 42, p. 104. Quod *avitum* hospitium ait, potuit alias fabulas respicere, quas nunc ignoramus. Sed *Carpathium mare*, tanquam vicinum Cretæ, posuit pro Cretico. Sequuntur flumina *Cæratea*. Jam in vett. edd. *Ceratea*, quod Aldina quoque dedit, et *Cerathea* scriptum est. Scaliger in priore edit. legerat: *Carpathium fugiens pelagus et flumina Cretæ;* in altera vero: *Carpathium fugiens et flumina Curetea*, Græce ad verbum: Καρπάθιον λείπων καὶ ῥέεθρα Κουρήτεα, quum *Curete* antiquum nomen insulæ fuerit, mox *Crete*. Videtur tamen et ipse mox in Cæratea animo inclinato ferri; est enim fluvius Cretæ Cæratus ex Callimacho notus in Dian. 44 χαῖρε δὲ Καίρατος ποταμὸς μέγα. Alluebat ille Cnossum, cui urbi quoque olim ab eo nomen fuit: vid. Meurs. in Creta I, 8. — 114. *Cothinius*, *Corthinius* vett. edd. *Cortinius* Aldina. — 115. *sternebat* vix sanum. Heins. em. *terrebat*. — 116. 117. 118. Obscura oratio, et, si recte judico, corrupta. *Turmæ volitantes ad muros infesto agmine* Megarenses esse debent; atqui ii *infesto agmine ad murum accedere* valde improprie dicuntur, ut etiam *ducere turmas volitantes ad muros* Nisus: potius hæc Minoi convenirent, qui turmas duxit, ut muros conscenderent, delendæ urbis caussa. Verum si Cretenses sunt, et ad eosdem debent referri *mentes indomita virtute*, claudicat sententia verborum in reliquis, ut priora sequi præstet, ut Megarenses sint, quos Nisus in muris urbis collocat. Heins. pro *Ducere* conj. *Reicere*, ut in Ecl. *Reice capellas;* aut ut *Ducere* sit pro trahere. Melius totum locum sic refingas: *Sed neque..... veretur Infesto..... turmas Ducentem indomita virtute retundere mentis.* Ut *Ducentem* intelligas Minoem. *volitanti ex agmine* Ven. Ed. 1484 et Ald. cum ms. Basil.; unde Heins. tentat: *v. examine. indomitas v. r. mentes* emendabat Lindenbruch et Heinsius; sed hoc tenue. Ascensius *non veretur* accipit *non curat*, negligit ducere turmas Nisus etc. In *mentes* potest latere videri: *Cretas*. Heins. conj. *Martem*. — 119. *quoniam in fatis meminisse* conj. Heins. *fas est* Jo. Schrader. — 121. *florebant tempora lauro* in medio interposita, dure quidem: nec

116 sq. Sed Megarenses et Nisus non cunctantur Minoi occurrere et muros urbis defendere: quippe capillo purpureo (de quo v. ad pr. Ciris) confisi sperabant, capi Megaram non posse, quamdiu, etc.

At roseus medio fulgebat vertice crinis :
Cujus quam servata diu natura fuisset,
Tam patriam incolumem Nisi regnumque futurum,
Concordes stabili firmarunt numine Parcæ.
Ergo omnis caro residebat cura capillo;
Aurea sollenni comtum quoque fibula ritu
Mopsopio tereti nectebat dente cicadæ.
Nec vero hæc vobis custodia vana fuisset,
Nec fuerat : nisi Scylla, novo concepta furore,

tamen Scaligeri emendatio mollior, qui conjiciebat primum : *Candida cæsaries, florens interprete lauro*, h. divinatrice, qua reges redimiti esse solebant, postea autem : *C. c. florebat tempore longo*. Heins. varie tentabat : *Cand. cæsaries florebat tempore utroque*, vel *t. lævo*, l. *tempora in ambo*. In Basil. erat *tempore*. Jo. Schrader. *Candida cæsaries replebat tempora late*. Nolim operam perdere in suppositiis. A vetere poeta fuisse apparet tantum hæc : *Responsum... deorum : Nam roseus medio f.* — 122. *At* Ald. 1534. Vulgo : *Et.., fulgebat*. Scaliger ex vett. edd. *surgebat;* quod et ms. Helmst. habebat cum Basil. — 125 Versus ex Ecl. IV, 47. *firmarunt :* debebat esse *firmarant*. — 126. *caro*. Ita Aldina. Edd. vett. cum Basil. ms. *cano*. — 127. *comtum quem* editum a Taubmanno, ex Ald. tert. (1534), ut Loensem emendasse video l. c. — 128. *ritu Corsellæ* vett. edd., vel *Corpselæ :* unde Scaliger refingebat *Cecropiæ*, quum olim *Cypsellæ* et *Tortilis et* t. legere voluisset. Sed emendatum *Mopsopio* jam animadverto in ed. Ald.; et sic Parrhas. ad Claudian. R. P. p. 2. b. legere jusserat. Μοψοπία dicta Attica ab aliquo Mopsopo : Strab. IX extr. Felicius tamen ex vetere scriptura veram lectionem eruisse arbitror Loensem Epiphyll. VIII, 25 *Crobylus et tereti*. Nota res vel ex Thucyd. I pr. *Crobyliæ* conjecerat alius vir doctus in schedis Wolf., minus probe. *teret's.... c.* malebat Heins. — 129. *vobis :* ut ad Megarenses conversa sit oratio. Scaliger legit *votis*. ms. Basil. *nobis*. Immo vero scriptum fuit *urbis*. *Nec vero hæc urbis ustodia vana fuisset*. Etiam Heins. sic emendat. — 130. *Nec fuerat*. Quid hoc loci habeat post *Nec fuisset*, equidem non assequor; nec minus jacet oratio, si subintelligas *ante;* nec fuerat vana ad id tempus. Nisi doctius urbis epitheton fraudem fecit : *Nec vero hæc urbis custodia vana fuisset Nisææ*. Saltem poeta : *Infelix nisi Scylla*, et pluribus aliis modis scribere poterat. Heins. conj. *Debuerat; si.* Voluit *defuerat*. Sic quoque Jo. Schrader. *Defuerat si S. novo concepta furore*. Frustra defendit hoc Barthius. Obvium est poetam scripsisse *correpta*. Nunc hoc idem exhibere video Aldinam et Pith. Minus placet *novos concepta furores;* etsi

123. *Cujus... natura*, pro, qui crinis. Barthius Advers. XXIII, 9 laudat ex Avien. Perieg. (v. 57) *pigra ponti Se natura tenet*, h. pontus.

127. 128. Fibula aurea nectebat eum crinem dente tereti cicadæ. Erat scilicet fibula in cicadæ formam facta *ritu* Attico. Nota nunc res, Athenienses τεττιγοφοροῦντας fuisse, habuisse cicadam auream crinium cincinnis innexam. Post Scalig. et Taubmann. ad h. l. et Meurs. v. Perizon. ad Ælian. IV, 22. Sed princeps locus est Thucyd. Historiæ lib. I, cap. 6 : ἐν τοῖς πρώτοις δὴ Ἀθηναῖοι, etc.

Scylla, patris miseri patriæque inventa sepulcrum,
O nimium cupidis si non inhiasset ocellis!
Sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater
Iratum potuit, quem nec pater atque avus idem
Jupiter: ille etiam Pœnos domitare leones,

sic in Culice quoque 265. Scaliger e libb. refinxit: *Femineis concepta decus.* — 131. Male in fine versus plena interpunctio ponebatur in edd. De toto versu dubito an ab alia manu venerit. *infensa* vel *infesta* conj. Heins., nescio quo fructu. — 132. Præclare Heins. *Minoem c. si* vel *Minoa heu.* Sublegerat ei hoc jam Toll. ad Auson. p. 148. Ita vero *nisi.... si non* se excipiunt. Unde Jo. Schrader. Emendatt. p. 58 malebat: *O nimium cupidis Minoi inhiasset ocellis.* — 135. Quæ sequuntur ab v. 138 ab interpolatoribus inserta suspicor.

133. Non ignobilis de Amoris potentia locus, etsi a multis tractatus, et alienus forte ille ab hoc loco, quum ira Cupidinis nullum in seqq. locum habeat: quo tamen viam sibi poeta struit ad ipsam narrationem a v. 139 sqq. Quæ tamen inde sequuntur omnia sunt fœde corrupta et interpolata usque ad 163. Obscura quidem res est, sed Scyllam apparet religionem Junonis violasse, quum inter lusum pilæ cum æqualibus in loco sacro ulterius, quam fas erat, processisset: ita evenisse, ut Minoem prospiceret ejusque amore capta insaniret. Nec vero apparet e poetæ verbis, peccatumne fuerit in hoc, quod locum sacrum et arcanæ religionis imprudens adierit; an quod nudaverat corpus; qua quidem re Junonem tantopere exarsisse quis non miretur; ferres, si Diana aut Minerva esset. Nostri poetæ multa haberent, quibus hæc probabiliter fingi possent. De ludis Junoni, quales Paus. V, 16 memorat, institutis agi non videtur. Quid? quod nec Junonis templum aut præcipua aliqua religio Megaris fuisse videtur. Certe Pausanias ne ædem quidem vel signum Junonis in ea urbe memorat. Videtur aliquid de perjurio puellæ attingi, quo Junonem læserit. Sed locus tam stribliginosus est, et interpolatus variis versificatorum laciniis, ut nihil habeas cui satis confidas. Exspectabam cum Scaligero, ut studio ludendi provectam ad ipsa urbis mœnia pervenisse diceret puellam poeta, unde illa quum prospiceret, Minois amore esset correpta. Sed in poetæ verbis nihil, quod eo ducat, video. Poterat a poeta caussa iræ Junonis ex eo adstrui, quod Minos Jovis erat filius ex pellice. Nec illud satis dilucide exposuit poeta, quare et quatenus Amor Junonis iræ ac vindictæ in amore puellæ injiciendo indulserit. Veneris impulsu Minoem a Scylla amatum esse prodiderant alii, quos Hyginus sequitur f. 198. Monili aureo inductam Scyllam Æschylus: vid. supra ad pr. Ciris; (in argumento et notis.)

134. *Pater atque avus idem Jupiter.* De hoc v. docta disputatio Valkenarii ad Eurip. fragm. p. 159. add. Musgravii ad Hippol. 539. Scilicet a diversis poetis Venus Jovis filia et eadem mater Amoris e Jove

Et validas docuit vires mansuescere tigris;
Ille etiam divos, homines; sed dicere magnum est;
Idem tum tristes acuebat parvulus iras
Junonis magnæ: [cujus perjuria divæ
Olim se meminisse diu perjura puellæ
Non ulli liceat:] violaverat inscia sedem,
Dum sacris operata deæ lascivit, et extra
Procedit longe matrum comitumque catervam,

136. *vires m. tigris;* Scaliger maluit ex vett. edd. *victas m. tigres,* quod et in Basil. Sed durum id post *validas.* Etsi hoc *validas* vix ipsum sanum est, latere enim videtur sollenne tigrium epitheton, *rabidas.* Heinsius in notis ineditis ap. Burm. ad Anthol. T. I, p. 19 emendabat: *Et rabidæ docuit vires mitescere tigris.* Et 137. *divos homines*, ut hic interpungitur, deos et homines mansuescere docuit Amor. Alii junctim *divos homines* exhibent, h. e. deorum filios, heroes. Sed cum priore ratione melius convenit quod sequitur: *sed dicere magnum est;* ut quasi præfiscini dictum esse velit: ne temerarium quid et quod Nemesis ulciscatur, dixisse videatur cf. Barth. Advers. XXIII, 9. *Ille etiam divos omnes* conj. Heinsius apud Burmann. l. c.; ut postea versus exciderit: cui subjungatur: *sed dicere m. est.* Sed totus versus scholasticum, qui nova exempla adscribere voluit, redolet. — 138. Distinxeram plene ad finem versus: ut diceret primum de superis universe, quod mox de sola Junone locum habet: et mox jungebam: *Junonis magnæ violaverat sedem.* At nunc mutavi. *iras Junonis* acuit Amor. Porro legebatur. *Idem tum superis.* Heins. conj. *super his, in superis, e superis. Idem cum superis* edd. vett., vel *quum.* At Aldina: *Idem tum tristes a. p. iras Junonis m.* Sicque ms. Helmst. et Jul. Sabinus legerat. Et hoc esse verius arbitror. — 139.... 141. *cujus perjuria divæ.... Non ulli liceat.* Sensum idoneum nemo facile ex his versibus extundat: et, si recte judico, assutus est pannus ex grammatici experientis vires ingenii in compingendo versu nugis in margine adscriptis. Scaliger misere se torsit, ut hinc proferret hunc sensum: cujus puellæ perjuria, o Musæ, nemini fas meminisse. Sed iis rescissis sententia sic sese expedit: *Idem tum tristes acuebat parvulus iras Junonis magnæ: violaverat inscia sedem.* — 139. *per jura Dianæ* ed. Fabric. Heins. tentat: *cujus per ludicra divæ:* vel *fera furgia.* — 140. *se meminere* edd vett., etiam Ald. cum cod. Basil., et *per jura....* tum *nonnulli.* Heins. tentat: *O nolim meminisse:* ut Ovid. Fast. *Ah nolim victas hoc meminisse deas:* vel *Hoc nolim m.*, vel *Nolim te meminisse tui;* et porro *jurare* vel *temerare puellæ Non ulli liceat.* Pœnitet acuminis in tam pravis versibus. *Non nulli* vett. edd. *lutam* ms. Basil., unde Heins. conj. *licitum.* — 143. *caterva* edd. vett. et Aldd. *catervam*

tradita fuerat; unde nunc lusus. Jungenda autem: *Sed malus ille puer,.... Idem tum* vs. 138.

138. *Idem tum tristes.* Quantum ex loco salebroso assequi licet, puella religionem templi Junonis violaverat, inter ludendum cum æqualibus pila in sacrarium temere emissa; quam quum repetitum ivisset, in templi penetrale irruperat. Ut puellam puniret, infausto amore eam a Cupidine inflammari curavit Juno.

141. Violata loci sanctitas esse videtur inter ipsa sacra facta, puella procurrente ante cœtum matro-

Suspensam gaudens in corpore ludere vestem,
Et tumidos agitante sinus Aquilone relaxans :
Necdum etiam castos agitaverat ignis honores,
Necdum sollenni lympha perfusa sacerdos
Pallentis foliis caput exornarat olivæ :
Quum lapsa e manibus fugit pila, quumque relapsa
Procurrit virgo : quo utinam ne prodita ludo
Aurea tam gracili solvisset corpora palla!
Omnia, quæ retinere gradum, cursumque morari

inde a Juntina : hoc verius. — 146. F. *Nondum jam.* Tum *agitaverat* ortum ex *agitante* sup. versu; Heins. conj. *adoleverat.* Sane *gustaverat* emendabat Loensis l. c. cap. 26 ex Aldd., quod et ms. Helmstad. legebat. Accipi hoc potest : *ignis nondum gustaverat honores*, h. victimam. — 148. *Pallentis.* Ed. Pithœi *Pallantis* an *Palladiæ?* inquit Heins.; sed f. *Albentis.* Quorsum tamen hæc : quum ipse Virgilius *Pallentem olivam* dixerit : vid. Ecl. V, 16. — 149. *relapsæ* vel *relaxæ* vett. edd. Sed recte *quumque relapsa*, scil. pila procurrit virgo. At Heins. em. *quumque relapsa est.* — 150. *quod uti ne p.* Aldd. et ms. Helmst. — 151. *Aurea tum* forte legendum. *jam* vett. edd. et *pallam;* etiam Aldinæ. *corpore pallam* ms. Helmst. Cum cl. Jacobs suspicor fuisse scriptum : *Auratam gracili solvisset corpore pallam.* Heins. conj. *Aurea tam gracili solvisses corpore pallam!* Greene : *Ast utinam ne... Auratam gracili solvisses corpore pallam!* — 152 sq. Interpunctione ac distinctione locum inepte interpolatum ita constituisse arbitror, ut aliqua saltem exeat sententia, etsi poeta venustiore vix digna. *Vellem o haberes* (habuisses) *tecum tua omnia* (de vestimentis intelligendum ex v. 151), *quæ retinere gradum cursumque morari possent* (ne discincta procurrere auderet) : *Ita non piasses nequi quam jurejurando* (ita lego), *o infelix, sacraria divæ non unquam violata manu tua esse;* ut penetrale ingressa illa, quod adire nefas erat, frustra postea jurarit, se manu res sacras non contrectasse. *Piare* videtur nove positum, pro purgare se, amovere culpam a se. Sequentia vss. 156. 157 assuta arbitror ab alio, quam qui superiora male infarserat. Voluit is urbanus videri : posse forte aliquem suspicari puellam pejerasse, eaque culpa sibi Junonis iram conscivisse; sed falsum hoc esse : causarum et puellarum. *sedem* de templo et τριήρει accipe. *sacris operata deæ lascivit,* sacris dum operatur, puella cum æqualibus ludit. — 144. 145. Veste igitur recincta, soluta, procurrit : ita ipso cursu auram movet vestis agitata.

146. 147. 148. Obscura sententia, quam nec Scaliger habet quomodo expediat. Videamus verba : *honores ignis castos nondum agitaverat* sacerdos, h. e. nondum flabello aura agitata ignem succenderat in ara; *nec dum sollenni* — h. nec ea rite lota caput ex more sacrorum sertis et infulis velaverat : quum pila ejus manu elapsa est. — 150. *prodita* in fraudem inducta, ut religionem violaret. — 152. Obscura et hiulca tota hæc oratio. Utinam veste impedita, retenta fuisses, quominus longius procederes! Sic nunquam violatæ religionis pœnam dedisses. Si modo

Possent, o tecum vellem tua semper haberes!
Non unquam violata manu sacraria divæ,
Jurando infelix nequidquam jura piasses.
Et si quis nocuisse tibi perjuria credat,
Caussa pia est: timuit fratri te ostendere Juno.
At levis ille deus, cui semper ad ulciscendum
Quæritur ex omni verborum injuria dicto,
Aurea fulgenti depromens tela pharetra,
Heu nimium tereti, nimium Tirynthia visu,
Virginis in tenera defixerat omnia mente.

sam piam fuisse, h. e. Junonem, benevolentia in puellam permotam, cavere voluisse, ne, si illa intraret in deæ penetrale, Jovis in conspectum veniret; facile enim illum deum adduci potuisse, ut insidias faceret puellæ pudori. Hæc aut similia videtur voluisse is, qui hæc intexuit, ineptus forte clericus, vix digna, ut in iis hæreas. Quod Scaliger suggerit, nimis acutum est: maluit te hoc modo punire Juno, quam Jovi te excruciandum tradere, qui solus perjuria ulciscitur. — 152. *cursusque* Ald. cum ms. Helmst. et Basil. — 154. *Non u. v. manus:* agnoscit idem et Jul. Sabin. — 155 F. *Jurando jure.* Heins. *Infelix ne quid jurando jure piasses!* Conjicias melius: *Juranda.... jura piasses.* Nam piatur perjurium. Hoc et Jo. Schraderum maluisse video. Tum vero scribam: *Juranda infelix aut unquam jura piasses!* — 157. *Somtica caussa est* em. vir doctus in schedis Wolf. Non video qua metri cura. — 158. *cui s. adolescentum* vett. edd. ante Aldinam cum Basil. ms. Iterum impetiginem suam affricuit sequentibus scholasticus aliquis; et forte ab initio totus locus his versibus solis constabat: *At levis ille deus, depromens tela pharetra, Virginis in tenera defixit mente sagittam.* Nam quæ tandem hæc oratio: *ex omni dicto quæri injuriam verborum!* Ceterum pro his, quæ adsuta sunt, excidisse videntur alia, quibus Minoem puellæ conspectum narraret poeta. — 161. 162. Manifeste corrupti versus nec sine libro sanandi. Vs. 161. *Heu nimium.... visu* omnino insititius est. In ms. Helmst. *Heu n. terret.* In edd. vett. pro *tereti, terri*, et pro *visu, nisu* vel *jussu* (hoc et in Basil. ms.) legitur; unde Scaliger refingebat: *Heu nimium Terei, nimium Tirynthia visa:* tela non puerilia, sed Herculea et qualia Tereus in Procne expertus erat. Mox eo damnato tentabat: *Heu nimium celeri, nimium torrentia nisu.* Barthius *Tirynthia* in *Gortynia* mutabat. *nimium certo nimium ferientia nisu* vel *missu* vir doctus ap. Jo. Schrader., qui tentabat: *nimium celeri, nimium torrentia nisu.* Heins. *nimium penetrantia nisu*, vel, *certis nimium penetrantia jussis.* Jo. Schrader. *parentia* substituit. — 162. *interea* vett. edd. ante Aldinam. *interna* Loens. l. c. emendabat: apud

ea per perjurium declarari potest; perjurii tamen proprie dicti nulla hic subest ratio. vid. Var. Lect.

159. *Ex omni verborum dicto:* Est ex Scaligeri sententia *dictum* h. l., ut ἴπος, res; sed potius ad jusjurandum voluit referre insci-

tus homo, qui hos versus seu struxit, seu interpolavit: *injuria verborum*, offensio.

161. 162. Vid. Var. Lect. Ex toto loco ejectis quæ ab indoctis interpolatoribus illata sunt, sana videntur habenda esse hæc vs. 129:

Quæ simul ac venis hausit sitientibus ignem,
Et validum penitus concepit in ossa furorem:
Sæva velut gelidis Ciconum Bistonis in oris,
Ictave barbarico Cybeles antistita buxo,
Infelix virgo tota bacchatur in urbe;
Non styrace Idæo fragrantes picta capillos,
Cognita non teneris pedibus Sicyonia servans,

eundem *Virgineo* scribitur. *omnia* sc. tela. *defixit acumina* conj. Heins. — 165. *Ciconum Bistonis in oris*. Est Aldina lectio. Quum alii Βιστονίδα scribant scriptores, solus est Apollonius I, 34. Πιερίῃ Βιστωνίδι, cujus auctoritate producta h. l. media in Bistonis syllaba defendi possit. Accedit Stephani Byz. in Βιστωνία auctoritas, qua Bentleius quoque ad Horat. I Carm. 25, 11 vulgatam h. l. tuitus est. Si tamen vett. edd. conferas, et vitium ex iis et medela in promtu est. Nam ût ms. Helmst. taceam: *gelidi Sidonum Bistonis honoris*, ms. Basil. *Sidonum Biston honores*; in Ven. 1484. *gelidi Cidonum Bistonis honoris*; in Norimb. *Sindonum*; in Junt. et aliis *gelidi Sithonum Bistonis ore*. Quis non *in* male irrepsisse, eoque sublato, *gelidis Edonum Bistonis oris*, Ἠδώνων νιφόεντα κατ' οὔρεα Βιστονὶς, facile agnoscat? et sic Scaliger quoque emendavit, sicque Heins. in schedis. Bistones et Edones vel Edoni Thraciæ circa os Hebri et Ismarum montem sæpe occurrunt apud poetas. conf. Æn. XII, 365. Bentl. ad Horat. III, 25, 9. Broukhus. ad Propert. I, 3, 5 et alios. Ceterum simili modo Sithones se habent: in poeta est *Sithoniasque nives*, et Ædonides αἵ τ' ἐνὶ βήσσῃ Σιθονίῳ κούρῳ ἐπὶ μύριον αἰάζουσιν apud Parthen. c. 11. Et sunt tamen Steph. Byz Σιθώνιοι. vid. ad Ecl. X. 66. — 166. *Jactave* ed. Scot. Fabric. F. *tactave* Heins. — 168. *Et*, *aut*, perperam alii; et vulgo *storace*, ut seriore ævo scribebant. *picta capillos* non intelligo; f. *uncta*; et *fragrantes capillos* haud dubie, non *flagrantes*; ut in vett. edd. Video quoque laudari e vett. *vinctos perfusa capillos*. Heins. *uncta*, vel *tacta*, vel *lauta* tentabat; *tincta* Jo. Schrader et Jacobs. — 169. *Sicyonia* primum apparere video in

nisi Scylla, novo concepta furore, Minoi cupidis si non inhiasset ocellis! Sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater Iratum potuit, quem nec pater atque avus idem, Aurea fulgenti depromens tela pharetra Virginis in tenera defixerat omnia mente.

163. Comparat Scaliger Catull. LXIII (Epithal. P.), 91 sq. add. Apollon. III, 280 sq., et ad v. 165 Nicand. Alexipharm. 217 sqq. Ἡ ἅτε κερνοφόρος etc.

166. *Ictave*, h. tibia Phrygia audita stimulata et in furorem acta. Alias Gallos nominare solent poetæ: nunc una ex Mænadibus intelligenda, cf. Catull. LXII (de Aty), 22 sq. Lucr. II, 620: Quintil. I, 10.

167. Cf. Æn. IV, 300 sqq. de Didone; et VII, 376 sq. de Amata. Sed sqq. adumbrata sunt ex Catullo LXIII, 63 sqq. Vide Vulpium.

168. *Styrax*, frutex et succus seu gummi officinis adhuc nostris pharmaceuticis frequens, *storax* vulgo dictus, ex Syria plerumque petebatur. Plin. XII, 17, 40. Styracem Idæum, h. Creticum, Plin. XII, 17, 40. Plinio parum probari lib. XII, 25, 55, jam a Scaligero notatum est.

Non niveo retinens baccata monilia collo:
Multum illi incerto trepidant vestigia cursu.
Sæpe redit patrios adscendere prodita muros;
Aeriasque facit caussam se visere turres.
Sæpe etiam tristis volvens in nocte querelas,
Sedibus ex altis cæli speculatur amorem;
Castraque prospectat crebris lucentia flammis.
Nulla colum novit; carum nec respicit aurum.
Non arguta sonant tenui psalteria chorda;
Non Libyco molles plauduntur pectine telæ.

Aldina : restituerat jam Leopardus in Emendatt. I, 11, quum in vett. edd. esset *sic omnia*. Sicyonii calcei noti sunt. conf. Taubm. *τὰ Σικυώνια*, scil. *ὑποδήματα*. Male *Cognita* ad superiora retrahunt vulgg. edd.; nam sunt *Sicyonia cognita*, ut alias *nota*, quibus illa utitur; epitheton ornans. Scaliger post Ascensium, ut video, refingebat *Condita*, quibus conduntur pedes, et Leopard. l. c. *Commoda*. Lenzius, doctus juvenis, ad Catulli Epith. Pel. e Catullo (63, 129) conj. *Mollia* vel *Tegmina*. Si semel a scripto recedere ausis, multa alia scribere liceret. — 170. Perperam *bacchata* retinent edd. recentiores. *Baccatum monile* ipse Maro dedit Æn. I, 655. — 172. *prodita*, scil. amore. Sed vix hoc omitti poterat. Leg. *perdita*, ut sæpe amantes dicuntur. Sic inf. 428. Ita quoque emendasse post Dousam jam alios nunc video Jortinum Misc. Obss. Vol. IV, p. 319 et Heins. in schedis. At Jacobs non male conj. *percita*. Græce extulit *redit ascendere* (redit, ut adscendat), et *facit caussam se visere*, prætexit, comminiscitur caussam, ut visat. Etsi hoc valde scabrum. Heins. quærit in verbis *per caussam*, ut ap. Ovidium sæpe, v. c. *Candida par caussam brachia sæpe tenet*. Ita scribi possit: *Aeriasque parat per caussam visere turres*, vel *Aerias quærens per c.* Enimvero totus versus est ex variatione antecedentis natus. Greene legit: *Se sæpe aerias caussatur reddere turres*, ut sit: *She blames herself, that she visits the citadel.* Estne *caussari* objurgare? an voluit *accusat?* et quid est *reddere?* voluitne *scandere?* — 174. An olim fuit: *tristes volvens in pectore curas.* — 175. *amorem* de amato Minoe accipere licet sane; ita vero illud durum, ut *ex altis cæli sedibus* sit, desuper ex turri. Scaliger refinxit: *cæli speculatur ad oram*, unde dies solet existere, quum diei ortum illam optare necesse esset. Vir doctus in Misc. Obss. IV, p. 320 *secum speculatur* arripuit inf. ex v. 469. Broukhusius *cæli amores* legebat et stellas intelligebat, in quas virgines olim essent mutatæ. Tandem ibid. alius vir doctus *cælo* corrigit, nihil tamen expedit. Equidem, si vestigiis scripturæ *cæli* (*celi*) inhærendum est, lego: *Sedibus ex altis tecti*, h. ex edita domus parte. Jacobs noster in *cæli* (Specim. Emendatt. p. 79) quærebat *oculis*. — 177. *movit* ed. Junt. *nubit* conj. Scalig.; esse enim *colum nubere στέφειν* (scil. lana inducere ac vestire, mox nendo deducenda, quomodo Catullus LXIII, 311 *amictam*. Plinius *comtam colum* dixit). *novit* Heins. Sed *novit* et *respicit* sibi respondent. *nulla* pro non, ut alibi, antiquum esse aiunt. Est Græcis, et inde poetis, frequentatum. *aurum* sive ad texturam, seu, quum de ea vs. 179 demum agatur, ad ornatum et mundum muliebrem spectat, etsi eum hic non expectabam; nec omnino satis cohærent membra. Illa, inquit, non curat colum, non aurum, non psalterium, non texturam. Forte vs. 179 saltem præmittendus versui antecedenti. — 179.

Nullus in ore rubor: ubi enim rubor, obstat amori.
Atque ubi nulla malis reperit solatia tantis,
Tabidulamque videt labi per viscera mortem;
Quo vocat ire dolor, subigunt quo tendere fata,
Fertur; et horribili præceps inpellitur œstro,
Ut patris, ah demens, crinem de vertice ferret
Furtim, atque arguto detonsum mitteret hosti.
Namque hæc conditio miseræ proponitur una:
Sive illa ignorans; quis non bonus omnia malit

Lycio vel *Lydo* em. Heins. At vid. Not. *clauduntur* male edd. Plant. — 180. *obstat amanti* ap. Jul. Sab. legitur. Heins. conj. *superat* vel *suberat*, ut ap. Ovid. in Ep. Acont. *Quique subest niveo lætus in ore rubor.* Jo. Schrader. *nisi quum pudor obstat amori.* Totus versus ex interpolatione conflatus est. — 185. *ferret* primo editum in Ald. 1534. Legebatur olim etiam in Ald. *servet.* Tum *ah serum*, h. diu servatum, legisse videtur Jul. Sabinus. *Ut patrio demtum cr.* Jo. Schrader., præclare; modo esset quod cogeret nos refingere. conf. v. 281. — 186. *Furtimque a.* Aldd. *arguto hosti.* Dictum esse necesse est pro vafro et callido. *astuto* quoque Heins. conj. Scaliger videtur pro pulchro, formoso, accipere. Expectabam epitheton Minois gentile vel patronymicum: *Gnosiaco, Dictæo, ademtum mitteret* ms. Basil. Ita melius: *crinem de vertice ademtum Furtim.* — 187. *conditio miseræ proponitur.* Lectio hæc ex Aldina fluxit. Vett. edd. *nisi rapto opponitur.* Alii *c. raptori opponitur*; unde Scaliger, etsi vulgatam non damnabat, conjiciebat: *Namque hæc condicti ratio proponitur una:* quod elegantius esse nemo non videt; nam iis, quibus arcem aut urbem prodituri sunt, proditores *condicere* et *constituere* recte dicuntur. Barthius *miserandæ opponitur* tuetur; parum scite. Heins. *conditio miseræ proponitur una* vel *ultro Criminis ignaræ;* et ex Basil. ms. vestigiis *nisi apto opponitur una* refingit: *Niseidi ponitur.* — 188. In sqq. iterum

179. *Libyco pectine:* citrino vel lotino, ait Scaliger: nisi malis cum Taubmanno de eburneo accipere. Nam et *ebur* ex Libya. Julius Sabinus *Palladium* interpretatur, quia Minerva Tritonia a Libyæ palude Tritonide dicta: quod nimis subtile. *plauduntur*, pulsantur *telæ*. Proprie latus vel corpus texentis plauditur, pulsatur, ex statu et motu dum *pectinem*, radium, cum subtemine, inter stamina inserit. Ita pulsatur corpus subinde admotum τῷ ἱστῷ aut ei parti, cui tela detexta induitur; dicta h. l. voce generali, *tela;* transfertur nunc res ad hanc ipsam telam, quæ appulso corpore et ipsa pulsatur, plauditur. Latus *plaudi* dictum simili modo a Tibullo II, 1, 66, ubi vid. Obss. et supra Excursus I[a], ad Æneidos librum septimum, v. 14: Vol. III, p. 354.

180. Laudatum jam ab aliis tanquam ex Ovidio: *Non bene conveniunt pudor atque amor.* In nostro vereor ne nimium acumen illatum sit. (In Ovid. non ea reperi. N. E. L.)

188. *Sive illa ignorans*, scilicet hoc fecit, ut crinem Niso patri auferret, quum nesciret fata regni in eo esse posita.

Credere, quam tanto scelere damnare puellam?
Heu tamen infelix, quid enim inprudentia prodest?
Nise pater! cui, direpta crudeliter urbe,
Vix erit una super sedes in turribus altis,
Fessus ubi exstructo possis considere nido.
Tu quoque, avis, moriere: dabit tibi filia pœnas.
Gaudete, o celeres, subnixæ nubibus altis,
Quæ mare, quæ virides silvas, lucosque sonantes
Incolitis; gaudete, vagæ blandæque volucres;
Vosque adeo, humani mutatæ corporis artus,
Vos o crudeli fatorum lege, puellæ
Dauliades, crudele, venit carissima vobis
Cognatos augens reges numerumque suorum
Ciris, et ipse pater; vos, o pulcherrima quondam
Corpora, cæruleas prævertite in æthera nubes,

lacinias ab ineptis poetastris assutas agnoscere mihi videor. *quis enim non omnia malit Credere* conj. Heins. — 189. *tanto scelere* etiam Aldina. Alii *scelere tanto*. Barth. conj. *sceleri*, non male, ut parti, capiti, et alia sexto casu occurrunt. Multo tamen magis obvium est refingere: *tanti sceleris*. Sic quoque ed. Junt. et Ascens. Eadem Heins. tentat; et, *scelere infamare*. — 190. *Tu tamen* malit vir doctus Misc. Obss. IV, p. 321. *prudentia* Ald. ed., quod Grævius probabat; tum ante illam *potest*, et mox *N. pater cum quo d.*, et 192 *Vixerat una semper* vitiose scriptum. — 193. *conscendere* vett. ante Aldinam cum Basil. ms., in quo et *exstincto*. — 194. Ineptus versus. *Tu quoque avis moriere*: tu, o Nise, in avem mutaberis ante diem supremum. *filia* tamen *tibi pœnas dabit*, quippe et ipsa in avem mutata, quam haliæetus pertinaci odio persequitur. Sed totus locus a mala manu interpolatus est, ut otium in eo castigando perdere pigeat. — 196. *Aera quæ* conj. Heins. — 197. *vagæ laudatæ* v. ms. Helmst. — 198. *Usque adeo* vett. edd. cum ms. Basil., et mox *Vix o crudelis*; hoc *crudelis* etiam ms. Helmst. Loensis corrigebat *Atque adeo*. — 199. *crudelis* ms. Basil., saltem *crudeles*. — 199. Hoc versu melius carebit carmen. — 200. *crudelo*. Præclare Scaliger emendat: *gaudete*; quod et Heins. probat, nisi quod tentat: *Dauliades querulæ, venit en c.* Mox *numerumque sororum* conj. Barthius. — 203. *prævertite* em. Heins. *in æthere*

195. Non male inventa, quæ sequuntur. Nam si Nisus Pandionis II. Athenarum regis fuit filius, Philomelam et Procnen, Pandionis I. filias, quarum altera Tereo, Daulidis regi, nupta fuit, ei cognatione conjunctas fuisse necesse est. *Vos, o puellæ Dauliades, crudeli fatorum lege mutatæ* (κατὰ) *artus corporis humani.*

202. Vos, Philomela et Procne in aves mutatæ, advolate, in occursum (*prævertite nubes in æthere*), qua novus haliæetus (ut pro *Calcheius* legendum) et ciris in aves et ipsi mutati evolabunt.

Qua novus ad superum sedes Calcheius, et qua
Candida concessos adscendat Ciris honores.
Jamque adeo dulci devinctus lumina somno
Nisus erat; vigilumque procul custodia primis
Excubias foribus studio jactabat inani:
Quum furtim tacito descendens Scylla cubili
Auribus adrectis nocturna silentia tentat;
Et pressis tenuem singultibus aera captat.
Tum suspensa levans digitis vestigia primis
Egreditur; ferroque manus armata bidenti
Evolat: at demtæ subita in formidine vires.
Cæruleas sua furta prius testatur ad umbras.
Nam, qua se ad patrium tendebat semita limen,
Vestibulo in thalami paulum remoratur; et altum
Suspicit ad culti nutantia sidera mundi,

Jo. Schrader., probe. — 204. *novus ad superum sedes Haliæetus* vere utique a Scaligero restitutum arbitror, ut ab eo iterum discessisse editores mirer. In idem acumen jam ante Nic. Loensis VIII Miscell. Epiphyll. 26 inciderat. Heins. tamen: *ad sedes superum Alcathoeius heros.* — 205. *accedat* idem Loensis, probat Heins. Forte lenius foret: *et qua Candida concesso succedat Ciris honore*, scil. ad superum sedes. — 206. *devictus* vett. ante Aldinam. Utrumque ferri potest: melius tamen *devinctus*. Nimis nota hæc sunt quam ut verbum addere necesse sit. Jam. Homer. Odys. ψ, 17 ἐπέδησε φίλα βλέφαρα.... ὕπνος. — 207. *primas Excubias* conjiciebat Lindenbruchius, ut temporis esset, non loci, notatio. — 208. *ductabat* Heins. ad Ovid. Fast. III, 245. *Jactare* tamen præstat, quia studio *inani*. v. Not. Ecl. II, 5 *hæc montibus et silvis studio jactabat inani.* — 211. *Et primum t.* ms. Basil. — 214. 215. *ac d.* male Heinsiana et aliæ edd. *testantur* nescio quis primus intulerit; video jam in Pithœana. Ita *vires demtæ testantur* jungenda sunt. Subita, ut in ardua re, præ metu, virium defectio prodit consilium ejus occultum. Vetus lectio est, etiam Aldinarum, *testatur*, ita oratio sic procedit: *At* (Scaliger sic malebat *Ut*, simulac) *demtæ* (sunt) *subita* (nam *in* sublatum malo) *formidine vires. Cæruleas* (scil. illa) *sua fata prius testatur ad umbras*, vota facit ad deos, quod vss. 218. 219 disertius exponitur. Sic alias precantur homines *ad auras. Umbras cæruleas* dixit ut νύκτα κυανέην, κυανέαν ὄρφναν. — 218. *ad culti* primum ab Asculano excusum video, pro vitioso *ad cæli*. Cultum mundum de cælo dici posse non infitior; tamen id orationem male affectatam sapere videtur. Malim

206 sqq. Qui sequitur locus magno poeta dignus videri potest.

208. *Studio jactabat inani*, excubias agebat: sed respectu Scyllæ, quæ eos fefellit.

212. Ovid. Fast. I, 425 *Surgit amans, animamque tenens vestigia furtim Suspenso digitis fert taciturna gradu.* Mox *ferrum bidens* intellige forficem.

Non adcepta piis promittens munera divis.
Quam simul Ogygii Phœnicis filia Carme
Surgere sensit anus, sonitum nam fecerat illi
Marmoreo æratus stridens in limine cardo,
Conripit extemplo fessam languore puellam:
« Et simul, o nobis sacrum caput, inquit, alumna!
Non tibi nequidquam viridis per viscera pallor
Ægrotas tenui suffudit sanguine venas;
Nec levis, hoc faceres, neque enim pote, cura subegit:
Haud fallor, quod te potius Rhamnusia fallit.
Nam qua te caussa nec dulcis pocula Bacchi,
Nec gravidos Cereris dicam contingere fetus?
Qua caussa ad patrium solam vigilare cubile,
Tempore quo fessas mortalia pectora curas,

ad celsi.... mundi; hoc et Heins. conj. Tum *nictantia sidera* cum Scaligero et ms. Basil. præferam, scintillantia. Alius est *mundus pondere nutans* in Ecl. IV, 50. Heins. *rutilantia*. — 219. *piis diis*. Greene: *a whimsical expression; it should be: pie*. Dubitare non debebat: si meminisset vel illud Æn. IV, 382. *si quid pia numina possent*, h. benigna, bona. — 220. *Carme* scribendum, non *Charme*. Est Κάρμη, non Χάρμη. — 223. *obsessam languore* conj. Jacobs; ut sæpe poetæ *malis obsessum* dicunt aliquem. — 224. *Et famulo nobis* ms. Helmstad. *carum caput* malit Jo. Schrader. pag. 58 Emendatt. *caput alumnæ* Aldina et hinc edd. Fabric. et al., male. — 226. *Ægroto tenui* et *tenuis* edd. vett. cum ms. Basil., sed emendatius dedit Aldina. — 227. *hanc faciem* e Pithœana in edd. Plantin. et alias venit: ab emendatione viri docti utique profectum. Vetus lectio etiam Aldinæ cum ms. Basil. erat *hoc faceret:* quod facile cum Scaligero refingi poterat: *Nec levis hoc facere* (*neque enim pote*) *cura subegit;* nec levis amor te ad hoc faciendum adegit, ut noctu surgeres. Greene: *Non levis, ut faceres quod non pote, cura subegit*. — 228. *quod te potius Rhamnusia fallit*. Qui sensus inde elici possit, non video. *fallat* Loensis l. c. emendat. Basil. ms. *fallor*. In Junt. et aliis *fallar*, et hoc Scaliger retraxit, ut sit: *Haud fallor; quod te potius, Rhamnusia, fallar!* omisso: *precor;* hoc est: quod potius te precor, Rh. Nemesis, ut fallar. Alii poetæ simili more dicerent: *Haud fallor: quanquam o potius Rh. fallar!* Heins. *atque o potius, Rh., fallar!* Jo. Schrader. Emendatt. pag. 60 *quod ut o potius, Rhamnusia, fallar!* Porro *Amathusia* conj. Markland. ad Stat. V Silv. 3, 258. — 231. *Qua caussa* Aldd. *quæ* in al. — 232. Ergo *pectora requiescunt*, faciunt quies-

220. De Carme et Britomarti v. Excurs. ad hujus Carminis finem.

223. *Corripit* Carme eam, ut sustineat lapsuram. Ceterum comparari cum seqq. potest Ovidii locus de Myrrha ejusque nutrice Met. X, 382 sqq. — 225. *viridis pallor* ex χλωρὸς pro ὠχρὸς, nota res est. — 228. quamquam utinam fallar, o Nemesis! De verbis v. V. L. — 230. *gravidos Cereris fetus*. Scaliger γονίμους, secundos vel fetificos, inter-

Quo rapidos etiam requiescunt flumina cursus?
Dic age nunc miseræ saltem, quod sæpe petenti
Jurabas nihil esse mihi, quum mæsta parentis
Formosos circum virgo morerere capillos?
Hei mihi, ne furor ille tuos invaserit artus,
Ille, Arabis Myrrhæ quondam qui cepit ocellos,
Ut scelere infando, quod nec sinit Adrastia,
Lædere utrumque uno studeas errore parentem.
Quod si alio quovis animo jactaris amore:
Nam te jactari, non est Amathusia nostri

cere, *curas fessas*: quum ipsa sint *fessa*. Alioqui *fessæ mortalia pectora curæ* conjicerem: *ipsæ curæ fessæ pectus* quieti se dare concedunt. — 234. *nunc tandem* malebat Jacobs. — 236. *morerere*. Ita etiam Ald. *mori* de vehementis amoris æstu ac tabe non ignoramus, sed ab h. l. alienum est. Edd. Junt. de Tortis et aliæ *remorere*. Loensis l. c. emendat *remorare*, sed tota sententia laborat. Pro *cum* leg. *cur* et sic totus locus constituendus: *Dic age nunc saltem miseræ, quod sæpe petenti Jurabas nihil esse mihi: cur mæsta parentis Formosos circum virgo remorare capillos?* h. e. Nunc saltem mihi dic, cur circa parentis comam hæreas? id quod quoties adhuc ex te audire volui, tu mihi jurabas, *nihil esse*. Sumtum hoc ex vulgari sermone. *Formosos capillos* dixit pro uno aureo crine. Sed multa in hoc carmine vix cum delectu posita. Ita mox *furor cepit ocellos*. — 239. *sinit*, siverit, ait Scaliger, ut *edit* apud Horat. pro edat. *sirit* antiquum, ut apud Plautum et Catonem occurrit, detortum fere in *sinit*, h. l. metro repugnat, omninoque malim *sinat!* hoc etiam Loensis protulit Epiphyll. VIII. 26. Et Grævius emendaverat cum Jo. Schradero. — 240. *Ludere* malit Scaliger: non ego. Incesto huic amori et adulterio gravius verbum quæritur. — 241. *animum* melius legi unusquisque facile intelligat. *animos* conj. Jo Schrader. Scaliger malebat *nimio jactaris amore*. Barthius: *Quodsi animo quovis alio jactaris amore*. Heinsius. (Misc. Obss. Vol. IV, pag. 223) *animos* vel *amens*. In ms. Helmst. erat *animis jactaris amorem*. — 242. *Amathuntia* Junt. et aliæ: quod præfert Scaliger, etsi

pretatur. Ge. II, 143 *gravidæ fruges* et Ge. I, 319 *gravida seges*, ubi ad succum nutritium retuli. — 233. *requiescunt*, transitive, ut obvium est videre, pro retardare: uti jam Eclog. VIII, 4 vidimus.

238. De Myrrha nota fabula ex Ovid. Met. X. *Arabs* ea dicta, etsi Cinyræ Paphiorum in Cypro regis filia fuerit, sitque omnino narratio ex Cypriis fabulis ducta. Sed fuga delata est Myrrha in Arabiam, ibique in arborem mutata, ut ipse Ovid. X, 477 *latosque vagata per agros, Palmiferos Arabas Panchæaque rura relinquit.... tandem terra requievit fessa Sabæa.* — 240. *utrumque parentem*, scilicet Myrrhæ. Argutatur Scaliger, qui Nisum et nutricem Carmen intelligere jubet. Videtur autem Carme suspicari, Cirim patris amore incesto exarsisse.

241. Procedit sententia ad vss. 249. *Quod si alio quovis animo jactaris amore;* nam te amore aliquo

Tam rudis, ut nullo possim cognoscere signo;
Si concessus amor noto te macerat igne :
Per tibi Dictynnæ præsentia numina juro,
Prima deum quæ te mihi dulcem donat alumnam,
Omnia me potius digna atque indigna laborum
Millia visuram, quam te tam tristibus istis
Sordibus, et scoria patiar tabescere tali. »

utrumque usitatum poetis. *nostri* vett. edd. cum Aldina agnoscunt : quod accipiendum : Venus non tam ignara mei, a me non tam aliena est : h. ego amoris non tam rudis sum. Consueverat enim illa cum Jove ex eoque Britomartin pepererat ; sed Junt. *nostra*. dedit, idque Scaliger probat : non ita aversa mea Venere de amore judico : οὐχ οὕτως ἰμὶ ἀπειραφρόδιτος. Capio. Durius tamen hoc : mea Venus non est tam rudis, h. e. ego in amore non tam rudis sum. — 244. *concessus* vett. edd. cum Aldina tuentur ; *confessus* ed. Junt. et aliæ : quod arripit Scaliger, ut sit amor, qui in confesso est, et quidem, ut recte Taubmann. explicat, abjecto omni pudore. Id per se bene dici nemo dubitet : Petron. 127 *Idæo quales fudit de vertice flores Terra parens, quum se confesso junxit amori Jupiter.* Enimvero non inhonesto amori operam et studium suum pollicetur nutrix : sed honesto et licito. Induxit viros doctos in fraudem τὸ *sin :* quod h. l. vulgo legebatur. At requiritur, quod in Aldd. habetur, *Si concessus*, quod interpretatur illud superius : *alio quovis amore :* scil. excepto illo incesto patris. Etiam Barthius Scaligerum refellit Advers. IV, 23. — 246. Vett. edd., etiam Aldd., cum ms. Basil. *P. d. quæ dulce mihi te donat al.*, hinc Junt. *P. d. dulcem mihi quæ te d.*, de Tortis : *P. d. quæ dulce mihi te d.* In promtu est : *Prima decus quæ dulce mihi te d. a.* Videtur et Heins. sic conjecisse ; sicque Jo. Schrader. Quod nunc vulgo legitur, videtur a Pithœo profectum. *quæ, prima deum*, h. quæ dea magna, potens inter ceteras deas, *donat* pro donavit. Æn. IX, 266 *Cratera antiquum quem dat Sidonia Dido.* — 247. *digna atque indigna laturam* vett. edd. cum ms. Basil., corrupte. Emendatum dedit jam Aldina, ut dicat, se potius omnia *millia laborum esse visuram*, experturam (Propert. *At tibi curarum millia quanta dabit!*) cf. inf. 521, *digna atque indigna* (cf. Æn. IX, 595), quam ut eam misero amore contabescere sinat. — 249. *scoria patiar tabescere tali.* Recte Scaliger negat Virgilium sordida verba ex plebis fece huc infarsisse. Heins. ingeniose : *te tam tristibus ægram Sordibus et cura.* Idem tentabat : *Filia, laturam*, vel *passuram :* nam in Basil. ms. *milio laturam.* Certo *scoria*, de metalli sordibus proprie dicta, an de morbi vel luctus squalore ab aliis dicta sit, ignoramus. Tum *scoria* ex σκωρία vel σκωρία primam haberet longam. Possit quidem huic vitio ita occurri, ut dissyllaba vox *scorja* fiat ; sed ipsa vox serioris grammatici et forte monachi, qui de scoria scabiei, qua vexabatur, cogitabat, manum redolet. Multo fœdius vocabulum substituebat Reinesius Epist. ad Daumium Append. p. 332 *forica*, h. latrina. Barthius *carie*, Scaliger legebat : *scabre tabescere tali :* a scabres, antiquata voce. Sed, si antiquata inferenda sunt, possit alius *squale*

jactari bene intelligo ; *Si*, inquam, *concessus amor noto te macerat igne :* sequitur apodosis : *Per tibi Dictynnæ numina juro.*

245. Dictynnam nunc de ipsa Diana poeta videtur accipere. cf. Exc. ad v. 220 f. ubi de hoc nomine fusius agitur.

Hæc loquitur; mollique ut se velavit amictu,
Frigidulam injecta circumdat veste puellam,
Quæ prius in tenui steterat succincta corona.
Dulcia deinde genis rorantibus oscula figens,
Persequitur miseræ caussas exquirere tabis;
Nec tamen ante ullas patitur sibi reddere voces,
Marmoreum tremebunda pedem quam rettulit intra.
Illa autem, « Quid nunc me, inquit, nutricula, torques?
Quid tantum properas nostros novisse furores?
Non ego consueto mortalibus uror amore,
Nec mihi notorum deflectunt lumina voltus,

conjicere, a squales, h. e. squalor. De veritate tamen scripturæ ita non magis constat. Vetus edit. apud Loensem l. c. habebat *cilia*, ms. Helmst. *et sconia*, quod ad *scoriam* alludit. Nec tamen eo deveniendum erat poetæ, ut calca tali voce uteretur; poterat enim scribere: *tali tabescere peste, tali liquescere tabe.* Vir doctus Misc. Obss. IV, p. 323 tentabat *cura* vel *senio; cura* quoque Heins. et Jo. Schrader. Ex his vero corruptela ista enasci vix potuit. Verum omnino totus locus inde a 241 a seriore manu venit. — 250. Vir doctus in Misc. Obss. Vol. IV, p. 323 tentabat: *ut se avelavit*, vel *molli ut se develavit*: nam nutricem detractum suis humeris tegmen puellæ injecisse. Recte. Annon vero sic nutrix ipsa erat velata? Ergo: ut illa erat veste amicta, puellam circumdat ea. Si quid mutandum, legam saltem *velarat*. Sed *velavit* defendi potest, quod præsenti tempore utitur, *circumdat*. Si *circumdabat* fuisset, necessario *velaverat* requirebatur. — 251. *intacta veste* Ascens. legerat. — 252. *Quæ prius in tenui steterat succincta corona.* Equidem totum versum sublatum velim tanquam assutum inepti hominis interpretamentum. *Coronam* ex στεφάνη pro strophio dictam esse posse putabat Scaliger; mox *cincta in strophio*, non satis latinum esse videns, *crocotam* ex ingenio substituit: Est sane ea muliebris vestis, sed palla pretiosa et opipara, qua in publico, quoties prodirent, usæ sunt puellæ, vix in thalamo, quum e lecto surgerent. Manet deinde vel sic illa scabrities: *in tenui succincta crocota;* etsi jungi posse video: stabat in tenui crocota, succincta. Defendit tamen Scaligeri acumen Ruhnken. ad Vellei. pag. 347. Contaren. Var. Lect. 8 distinguit: *Quæ prius in tenui steterat, succincta corona*, h. strophio, *in tenui veste.* Sed parum hoc rem expedit. *prius ut* edd. vett. ante Aldinam. — 254. *Prosequitur* Aldina. Alterum hemistichium, *caussas exquirere talis*, iterum inquinatum: sive enim *caussas tales*, seu cum Barthio *miseræ talis* jungas, utrumque inficetum est. Haud dubie fuit *tabis:* et sic video virum doctum in Misc. Obss. Vol. IV, p. 325 dudum conjecisse; sicque Heins. Repetitur tamen *tabis* nimis ex propinquo vs. 249. Mox *Marmoreum pedem* cf. Ge. IV, 523. — 257. *Quid me inquit* Aldd. Heins. em. *Quid io! me, inquit.* Ovid. *Quid, io, freta longa perrrat.*

250. Utque ipsa scilicet Carme, amicta erat molli veste. Nota forma dicendi, pro quoniam, quandoquidem.

256. Interrogat eam simulque intra cubiculum reducit: cf. 222.

260. *Notorum vultus*, non noti, amici, *deflectunt lumina.* Ait se

Nec genitor cordi est: ultro namque odimus omnis.
Nil amat hic animus, nutrix, quod oportet amari,
In quo falsa tamen lateat pietatis imago:
Sed media ex acie, mediis ex hostibus. Heu heu,
Quid dicam? quove ipse malum hoc exordiar ore?
Dicam equidem; quoniam quid tu tibi dicere, nutrix
Non sinis; extremum hoc munus morientis habeto.
Ille, vides, nostris qui mœnibus adsidet hostis,
Quem pater ipse deum sceptri donavit honore,
Cui Parcæ tribuere nec ullo volnere lædi:
Dicendum est, frustra circumvehor omnia verbis,
Ille mea, ille idem oppugnat præcordia Minos.
Quod te per divum crebros obtestor amores,

263. *In quo.* Melius *Nil* repeteretur: *Nil, quo falsa tamen.* — 266. *quoniam quid tu tibi dicere, nutrix, non sinis.* Non intelligo quid sibi velit. Nescio an alii intellexerint. Ed. Junt. *quid me.* Edd. vett. cum ms. Basil. *quid non.* An fuit: *Dicam equidem: quanquam, o, quid me non dicere, nutrix, non sinis;* ut *non dicere* sit, silere, silentio tegere: eaque adeo iterum, quæ orsa est dicere, interrumpat. — 267. *extremum hoc munus morientis habeto* petitum ex Ecl. VIII, 60 et fidem facit utrumque versum 266 et 267 Scholastici commentum esse habendum. — 270. *Cui P. et tribuunt nullo quo vuln.* vet. edd. ante Aldinam, et ms. Basil., nisi quod pro *quo* est *quod.* Mox in eadem deest *est.* De sensu vid. Not. Sed versus vix a primo carminis auctore profectus. — 273. *Quod per te divum* elegantius. Monuit

non amicorum amore tangi, sed, quod vix credibile, hostium, ut Scaliger bene explicat. *Deflectunt lumina*, oculos nostros, ea, quæ admiramur, aut quorum amore et cupiditate incendimur, ut ab intuitu male nobis temperemus, atque eadem discedentes respiciamus. Mox *ultro* significatione accipiunt illa, qua pro *ultra*, *insuper*, positum habetur; immo vero, multo magis; ut Æneid. XII, 3 et toties. (Alio sensu tamen illic explicatur.)

263. *In quo falsa tamen* etc. Puta, si patrem amaret: inquo lateat, etsi falsa, imago tamen pietatis: h. e. amoris in consanguineos, qui prætexi possit.

269. *Quem pater ipse deum sceptri donavit honore;* vel quatenus omnes reges διογενεῖς sunt, a Jove regnum habent; vel quod Minos a Jove genus ducit. Sed alterum 270 *Cui Parcæ tribuere nec ullo vulnere lædi*, obscurum est; fabulam reconditam continere videri potest. Minoem tamen vulnerari nequiisse, non aliunde constat. Sed expeditur locus, si cogites te in auctore versari, qui a proprietate verborum sæpe recedit. Haud dubie immortalem fore Minoem, inter deos aliquando recipiendum heroem, declarare vult. Aliis hujus loci partibus non deest elegantia sua.

Perque tuum memoris haustum mihi pectus alumnæ,
Ut me, si servare potes, ne perdere malis.
Sin autem optatæ spes est incisa salutis,
Ne mihi, quam merui, invideas, nutricula, mortem.
Nam nisi te nobis malus, o malus, optima Carme,
Ante hunc conspectum casusve deusve tulisset;
Aut ferro hoc, aperit ferrum quod veste latebat,
Purpureum patris demsissem vertice crinem,
Aut mihi præsenti peperissem volnere letum. »
Vix hæc ediderat, quum clade exterrita tristi
Intonsos multo deturpat pulvere crinis,
Et graviter questu Carme conplorat anili:
« O mihi nunc iterum crudelis reddite Minos,

quoque vir doctus Misc. Obss. Vol. IV, pag. 325. — 274. *memori mihi alumnæ* cum hiatu legendum esse, jam Scaliger monuit. Licebat tamen scribere: *Haustum perque tuum memori mihi.* Quod Heinsius comparat ex Ovid. Ep. V, 45 *Et flesti et nostros vidisti flentis ocellos*, diversum est. Possum enim bene dicere: *mei flentis oculos.* Idem in schedis conj. *in teneris h.* Mox *nec perdere* ms. Basil., et *Nec* 277. — 278. *Nam nisi* bene; at vett., etiam Aldinæ, *Nam si.* — 279. *Ante expectatum* legi malit Scaliger, ut Ge. III, 348, aut *Ante hunc conspectum* eo sensu accipi: quod non necesse est; nam: *Ante hunc conspectum*, obtutum, ante oculos meos, h. mihi obtulisset, meis oculis objecisset. Drakenborch. ad Silium II, 31 non magis Scaligeri acumen probat, idem tamen malit: *Ante in conspectum*; idque præstat haud dubie. *casusve deusve* vid. ad Cul. 192. — 281. Heins. *patrio*; cf. sup. 185. — 283. *tristis* ms. Basil. Ed. Ven. 1484. Eadem vs. sequ. *multo deturpat vultnere. multo turpavit pulvere* ms. Basil. — 284. *Intonsos crines.* Vix recte de vetula. *Incomtos* melius Heins. — 286. Scaliger jungebat: *crudelis reddite*, o mihi nunc iterum effecte crudelis. Mox non verum putabat hoc, et emendabat; *mihi nunc iterum crudeliter addite Minos:* ut sit dictum ad illud exemplum 4 *Teucris addita Juno* Æn. VI, 90, ubi vid. Not. Verum in ea notione vocis adverbium apponi vix solet. Turbavit viros doctos male instituta verborum structura. Debebant jungere: *O crudelis Minos, nunc iterum mihi reddite.* Interpunctionem etiam in sqq. 288. 289 emendavi. Nam: *Et propter eun-*

275. Laudarunt viri docti ad h. l. illud ex Medea Ovidii: *Servare potui: perdere an possim, rogas?* ex hocque versu Ciris auctorem profecisse crediderunt. Antiquiorem auctoritatem Aristophanis Nub. 1179 Νῦν οὖν ὅπως σώσῃς μ', ἐπεὶ κἀπώλεσας commemorat Burmann. Sec. ad Anthol. T. I, p. 149; verum neque ex hoc, neque ex illo versum hunc fluxisse arbitror. Est sententia, quæ se sponte ingenio poetæ in tali rerum articulo offerre debuit.

280. *Aperit ferrum quod veste latebat.* Æn. VI, 406 *aperit ramum qui veste latebat.*

286 sqq. Respicit fata filiæ Bri-

O iterum nostræ Minos inimice senectæ,
Semper et, aut olim nata, o te propter eundem,
Aut amor insanæ luctum portavit alumnæ.
Tene ego tam longe capta atque avecta nequivi,
Tam grave servitium, tam duros passa labores,
Effugere, ut sistam exitium crudele meorum?
Jam jam nec nobis ea, quæ senioribus, ullum
Copia vivendi vitæ genus. Ut quid ego amens
Te erepta, o Britomarti, meæ spes una salutis,

dem te semper aut olim nata, aut nunc amor insanæ alumnæ, luctum portavit mihi, h. apportavit, attulit. Miro modo interpolat hæc Scaliger: *Semper et ante olim natæ te propter eundem, Ah amor insanæ luctum portabat alumnæ.* Idem *portare luctum* comparat cum Græco κήδος προξενεῖν. In vett. edd. ante Juntinam *natæ o te* vel, ut Aldina, *natæ te p.*, quod non deterius sed multo comtius dixerim; ut sensus sit: *Et semper amor portavit luctum propter te eundem aut olim natæ aut nunc alumnæ, τῇ παιδί.* Lenius quoque esset: *Semper enim.* Jo. Schrader conj. *Semper ut aut olim natæ.... portaret alumnæ.* Nec hoc male. — 287. *O nimium nostræ* ms. Basil., recte. — 292. *ut sistam:* ut finis tandem sit calamitatum, quas ex te experiuntur meæ et filia et nutritia. Emendatio hæc est, a Pithœo profecta, sed bona. Scaliger ex vett. edd. lectione, quæ erat *obsistam* (ut et ms. Basil.): alicubi etiam, *absistam*, exsculpsit *qui obsers tam;* magis ingeniose Heins. inde elicit: *o siste exitium.* — 293. 294. Versus mali commatis, quibus liberandum carmen est. *Jam jam nec nobis ea, quæ senioribus, ullum Copia vivendi genus.* Lectio hæc nobis primum in Juntina visa: probata eadem Scaligero, etsi satis impedita: ut tamen sententia saltem aliqua erui possit: *Jam nobis ne ea quidem, quæ tamen senibus* esse, contingere, solet, *Copia est vivendi genus vitæ*, si non quod volumus, tamen *ullum.* Scaliger bene: πᾶς βίος ἀξιωτὸς ἄμυν. Edd. vett. cum ms. Basil. *Vivendi copiam vivit genus;* inde Aldinæ *Vivendi cupiam vivit genus.* Heins. tentat: *Jamjam nec nobis ævi* (vel ævo) *senioribus ullum Vivendi optatur, divi! genus.* Mox *Ut quid ego;* leg. *At* vel *Ah*, vel *Ecquid;* nam *Ut quid* pro quare, barbarum puto. In marg. ed. Scot. *Aut.* — 295. In edd. ant. et ms. Basil. *Te erepto britomarte est spes vana sepulcri.* Sed, ut nunc legitur, est emendatum in Aldina; at in Juntina: *Te erepta, Britomartis, spes est vana sepulcri.* Scaliger idem in aliis repertum probabat: *mei spes una sepulcri.* Loensis l. c. *spes est ulla sepulcri.* ms. Helmst. *mei spes una sepulcri.* Ita saltem legam: *Te erepta, o Britomarti, mihi spes una sepulcri est:* te erepta nihil amplius est, quod in votis habeam aut sperare possim, quam sepulcrum. *meæ*

tomartis, cujus amore Minos exarserat, quem illa fugiens a Dictynnæo promontorio in mare se præcipitare maluerat. Vide Excursum jam citatum, ad v. 220. — 288. Et semper propter te eundem aut olim nata, Britomartis, (te fugiendo) aut (nunc) amor alumnæ Scyllæ luctum mihi attulit.

290. *Capta atque tam longe avecta.* Ex Creta igitur Carme captiva abducta Megara pervenisse putanda. Nec tamen hic Minoem se effugisse videt. — 293. 294. Jam

Te, Britomarti, diem potui producere vitæ?
Atque utinam celeri ne tantum grata Dianæ
Venatus esses virgo sectata virorum,
Cnossia neu Partho contendens spicula cornu
Dictæas ageres ad gramina nota capellas:
Nunquam, tam obnixe fugiens Minois amores,
Præceps aereis specula de montibus isses:

spes una senectæ non male conj. Heinrichs. — 296. *Te Britomarte* vett. edd. — 297. Legebatur *Cereri; cur Cereri?* quodnam ejus studium vel contubernium esse poterat, cui puella se addiceret? Ferrem, si Palladem memoraret. In promtu est, *celeri* legere; sicque in Aldina et inde in ed. de Tortis expressum et ex ms. Helmst. notatum video, ut fuisse arbitrer: *Atque utinam celeri ne tantum grata Dianæ* etc., utinam ne esses sectáta venatus, Dianæ celeri tantum grata. Ita et Jo. Schrader. Emendatt. p. 61. nisi quod *non tantum*. Parrhasium in Quæsitis per epistol. 30 (p. 50 Steph.) *Venri* legisse video: ita *Venatus virorum* nimis lepide subjiciuntur. Video tamen et Heinsium hoc amplecti. — 298. *Venatus.... virorum:* esse ergo debent, quibus viri studere solent. Immo leg. *Venatus virgo se tata ferarum*. Hoc et Jo. Schrader. l. c. Porro ed. Ven. 1484 *sa rata*. — 299. *Gnosia neupharto* eadem vetus editio: *neufarto* ms. Helms. *neupactio* vet. ed. apud Loensem l. c., et Junt. *naupacto:* idque Domitius interpretatur cum Ascensio. *naupliæo cornu* Jul. Sabinus legerat. *neu Partho* emendatum jam in Aldina. — 300. *puellas* in fine habet Aldina perperam, etsi de puellarum choreis velis accipere. Etenim laborat totus locus luxatione, unde nec membra sibi respondent; estque is adeo, nisi versus 299 omnino a mala manu illatus est, sic restituendus:

Atque utinam celeri ne tantum grata Dianæ,
Cnossia neu Partho contendens spicula cornu,
Venatus esses virgo sectata ferarum!
Dictæas ageres ad gramina nota capellas:
Nunquam etc.

Si pascendis gregibus illa vacasset, non in conspectum Minois venantis ventura fuisset. — 301. *fugeres* cum Basil. ms. vett. edd. ante Aldinam; eædem *Minoos* — 302. Vett. omnes: *aeriis specula de montibus*, nisi quod in ed. de Tortis *specula* non comparet, et in vet. ed. apud Loensem *Nec specula aeriis præceps de*. Forte *specula* substitutum, cum olim montis nomen fuisset: *aeriis Dictæ de montibus*, Callimachi exemplo, in Dian. 198 sq., ubi vid. Spanhem., etsi is a Strabone propterea reprehensus fuit lib. X, p. 733. 734. Scaliger, probante Heinsio, corrigebat: *aerii specula de montis abisses:* ut Ecl. VIII, 59 *Præceps aerii specula de montis in altum Deferat;* alia emendatio suppeteret ex carmine, quod noster poeta perpetuo ante oculos habere solet, Catull. LXIII, 244 *Præcipitem sese sco-*

nec in senio quidem mihi vita tolerabilis relinquitur! Sed verba sunt scabra.

297. Britomartis venatrix a Minoe conspecta, et, ut ejus insidias fugeret, præceps in mare delata. cf. Var. Lect. et Exc. ad v. 220, ubi et de vss. 303 sqq. in quibus illa nomina *Aphææ* nymphæ et *Dictynnæ* accepisse narratur.

Unde alii fugisse ferunt, et numina Aphææ
Virginis adsignant: alii, quo notior esses,
Dictynnam dixere tuo de nomine Lunam.
Sint hæc vera velim: mihi certe, gnata, peristi.
Nunquam ego te summo volitantem in vertice montis
Hyrcanos inter comites agmenque ferarum
Conspiciam, nec te redeuntem amplexa tenebo.
Verum hæc tum nobis gravia atque indigna fuere;
Tum, mea alumna, tui quum spes integra maneret;
Et vox ista meas nondum violaverat aures.

pulorum e vertice ejecit. — 303. 304. Si sequentia ab ipso poeta profecta sunt: alieno utique loco sunt interposita. In lamentis matris quis talia expectet! Legebatur: *et numina Phocæ Virginis assignant.* Sic Aldina dederat. Vett. edd. *Phoræ, Photæ.* Mirum *Phocæ* nomen relictum, quum manifesta sit corruptela et a viris doctis Paullo Leopardo Emendatt. X, 24 et jam ante eum, ut video, a Jano Parrhasio, Quæsit. per epist. 30 dudum deprehensa et emendata. Delatam in mare Britomartin, Æginetæ narrabant, piscatorum retia, casu excepisse, sicque eam servatam in insulam Æginam deportatam, ubi sub deæ *Aphææ* nomine culta est. Nomen et ipsum cum fabula consentit, *ἀπὸ τοῦ ἀφίνεσθαι.* conf. Pausan. II, 30 et inf. Excurs. ad v. 220, et est *numina Aphææ* in ms. Basil. Sed cetera verba incertæ sunt lectionis. Leopardus l. c. legit: *et numen Aphææ Virginis Æginæ est.* Scaliger *et nomen Aphææ Virginis assignant.* Non video cur non retineamus, quod proximum est: *et numina Aphææ Virginis assignant.* Nam facta illa dea. vid. Pausan. l. c. — 304. *quo notior esset* vett. edd. nonnullæ. — 305. F. *Dictynnam dixere, tuo de nomine, Luna.* — 306. *perisset* vett. edd. ante Aldinam cum ms. Basil. — 307. *in* abest Ald. *volitantem:* illustrat Mitscherl. noster in Lection. p. 111. — 308. *Hyrcanos inter comites.* Canes esse volunt, satis notos ex auctoribus venaticæ rei, sed quis canes *comites* dixerit? Lego: *Hyrcanos interque canes agmenque ferarum.* Heins. *Hyrcanas* cum Basil. ms. amplectitur, scil. Nymphas. At illas quis tandem in Creta quærat! — 310. 311. 312. Non bene sententia procedit. Videtur ea esse debere: Verum hæc, etsi per se gravia et indigna, tolerabilia tamen visa sunt tum, quum te alumnam nacta sum, nec dum hæc quæ modo audivi, ex te audiveram. Ita verba esse deberent: *Verum hæc tum nobis gravia, at toleranda, fuerunt, tum mea alumna, quum.* Conjectent alii suo quisque more ac lubitu alia. — 311. *mea luna* ed. Junt., corrupte. *manebat* malit Heins. — 312. Versus aliunde interpositus.

305. Alii Lunam tuo de nomine Dictynnam appellavere: id quod ponit tacite, Dictynnæ nomen Britomarti fuisse inditum. At illa fuit Dictynna dicta a Dianæ nomine; quæ h. l. eadem cum Luna esse editur. Diversitas utique narrationis in hoc fuit, quod alii Dictynnam interpretabantur Dianam, alii Dianæ nympham. cf. sup. ad v. 223.

310. *Indigna*, intolerabilia, ut sæpe alias. Evenerunt hæc acerba filiæ fata tum, quum te alumnam haberem. *fuere*, evenerunt. Sed oratio scabra, et vix sana v. V. L. Mox 312 *vox ista* de amore Nisi,

Tene etiam Fortuna mihi crudelis ademit?
Tene, o sola meæ vivendi caussa senectæ?
Sæpe tuo dulci nequidquam capta sopore,
Quum premeret natura, mori me velle negavi,
Ut tibi Corycio glomerarem flammea luto.
Quo nunc me, infelix, aut quæ me numina servant?
An nescis, qua lege patris de vertice summo
Edita candentis prætexat purpura canos?
Quæ tenui patriæ spes sit suspensa capillo?
Si nescis, aliquam possum sperare salutem,
Inscia quandoquidem scelus es conata nefandum.
Sin est, quod metuo; per me, mea alumna, tuumque
Expertum multis miseræ mihi rebus amorem,
Per me, et sacra precor per numina Ilithyiæ,

315. *sopore* sane friget. Nisi accipias ut in Nota factum. Heinsius conjiciebat, *lepore*. — 316. *Quum premeret mors dura*, vel *Quum premerent jam fata* conj. Jo. Schrader. — 317. *flammea* conj. Heinsius. — 318. *fata reservant* ms. Helmst. *ad quæ me n. servant* conj. vir doctus Jortin. Misc. Obss. Vol. IV, p. 326, perperam; quis deus et quo, h. ad quæ fata, servat me? Heinsius, *heu quæ me*. At Jo. Schrader. *Quo nunc te i. aut quæ te n.* — 320. *Indita* ms. Basil., et *prætexit*. *Addita* Heinsius et h. l. — 321. *Quæ t. p. spes*. Aldina est lectio. Scaliger malit: *Quam tenui p. s.* Heinsius; *Quam tenuis* cum cod. Basil., sedis sensus alienus foret ab h. l. In vett. edd. *Quæ tenues*, vel *tenui, patrio pressit s. c.* Heins. quoque tentat: *Quanta tui patrio*. — 324. *per me, mea*. Scaliger mavult: *te per mea a.* — Saltem debebat scribere: *per te, mea a.*, ex more obtestationum. Alius vir doctus in Misc. Obss. Vol. IV, 327 corrigit: *Per, te, meum, alumna, tuumque*. — 326. *Per me et sacra precor per numina Ilithyiæ*. Deficit nos in hoc

et 314 *vivendi caussa meæ senectæ*, mihi seni.

315.... 317. Sæpe Scylla infante in sinu dormiente, quum ipsa dolore animi victa vita se privare vellet, mortem distulisse se ait, ut antea viro nuptam eam videret. *capta*, delectata: an, et ipsa ad somnum invitata, sed nequicquam? *quum premeret natura*, senectus moleste gravaret. De *flammeo*, veste, seu velo ac tegmine, quo novæ nuptæ nubebantur, eoque flavi coloris, nota sunt omnia. *lutum*, herba, cujus succo inficiuntur vestes. v. ad Virgil. Ecl. IV, 44; *croceo luto*; et ad Tibull. I, 8, 52. *Corycium*, a Coryco Ciliciæ monte, croco, cui similis luteus color est, celebrato. Sed *glomerare* mire dictum est pro texere: proprie est colligere fila, quæ pro stamine texturæ sint.

318. *infelix*] διὰ μίσου, ut Scaliger monuit, sine regimine? δαιμονίη. Quæ numina, et quo, nunc me servant? Mox 320 *Edita*, nata, et 325 *Expertum* passive.

Ne tantum in facinus tam molli mente sequaris.
Non ego te incepto, fieri quod non pote, conor
Flectere amore, neque est cum dis contendere nostrum :
Sed patris incolumi potius te nubere regno,
Atque aliquos tamen esse velis tibi, alumna, Penates.
Hoc unum, exitio docta atque experta, monebo.
Quod si non alia poteris ratione parentem
Flectere : (sed poteris; quid enim non unica possis?)
Tunc potius tamen ipsa, pio cum jure licebit,

versu antiqua manus. Vett. edd. *Perdere sæva precor per flumina sacra Ilithyiæ*, vel *Elythiæ*, ut et cod. Basil. Mutatum primum in Aldina sec. *Per te sacra precor per flumina Ilithyiæ*. Etiam Julius Sabinus similem depravationem interpretatur : « timeo, ne caussa mea velis perdere tuum amorem expertum in multis « rebus. Elathia (Elatia) civitas est cum flumine ejusdem nominis in Phocide ce- « leberrima. » Scaliger legit : *Per te sacra precor ;* ut sit : *te per s.* Hoc jam in Aldina expressum modo monui. Pergit corrigere Scaliger : *per lumina I.* τὰ τὰν φωσφόρον, ut Ilithyia, Lucina, Diana, Luna, sit eadem dea, per cujus lumen mulier obtestatur. Altera ejus conjectura deterior : *Per te sacra precor per luminis Ilithyiæ*, nova voce procusa. *Flumina Ilithyiæ* Taubmannus fœdo acumine exponit. Ferrem saltem, si lavationem infantis recens natæ commemorasset. Heins. varie tentat : *per flumina Ilissea :* quia ad Ilissum sacra Cereris celebrata : vid. Periegetes, Avienus et Priscianus ; vel *per numina Itonea*, aut aliud Palladis epitheton ; vel *per te sæva precor per flumina sancta Cytherææ*. Salmas. ad Solin. p. 121 C. *per flumina Lethæa* emendat, a fluvio Cretæ Lethæo : quod præferam ceteris hariolationibus. Sed totum omnino versum augmentum esse scholastici, sententiam variantis, suspicor. Saltem *numina Ilithyiæ* legendum. — 327. *Nec* vett. edd. ante Ald., et : *tam molli mente ;* hoc præfert Scaliger, et recte puto ; etiam Heins. e ms. Basil., etsi *tum nulla mente* et ipsum habet, quo defendas : ut sit stulta, amens. Pro *sequaris* præstaret *feraris ;* quod et Heinsio in mentem venit. — 328. 329. *Non ego te incepto, fieri quod non pote, conor Flectere, amor :* scabrities et his verbis inest. Non amorem, sed puellam, alloquitur anus ; hanc non conatur flectere, deflectere, avertere, revocare ab incepto. An fuit : *incepto flectere amore ; nec est cum dis. c. n.* Saltem distinguam.... *conor Flectere* (*Amor ! neque sit cum dis contendere nostrum*). Sensit eandem mecum verborum molestiam vir doctus in Misc. Obss. Vol. IV, p. 327, qui, *amor*, accipiebat, pro mi amor, amata puella ! quod alius vir doctus latine fieri non posse monuit. Sed video nunc illud, quod conjeceram, legi in ms. Basil. et jam extare in Ald. 1534, adeoque recepi. — 331. *Utque* emendabat Loensis Epiphyll. VIII, 27. Tum alius vir doctus Misc. Obss. Vol. IV, p. 327 *velim* malebat ; nec aliter sententia rite procedit : *Sed velim te nubere incolumi patris regno, Atque aliquos tamen esse tibi Penates*, h. aliquos saltem ; non nullos. — 332. *exilio* conj. viri docti Misc. Obss. ibidem ; quod unice verum. Nam Carme ipsa exulabat a patria. — 333. *Non aliqua* vel *ulla* Jo. Schrader. Emendatt. pag. 62. — 335. *ista* vir doctus

334. *quid enim non unica possis?* quum unica sis filia. — 335. *pio cum jure licebit*, si parens negaverit nuptias cum Minoe ineundas.

Quum facti caussam tempusque doloris habebis,
Tunc potius conata tua atque incepta referto.
Meque, deosque tibi comites, mea alumna, futuros
Polliceor: nihil est, quod texas ordine, longum.»
His ubi sollicitos animi relevaverat æstus
Vocibus, et blanda pectus spe vicerat ægrum:
Paullatim tremebunda genis obducere vestem
Virginis, et placidam tenebris captare quietem,
Inverso bibulum restinguens lumen olivo,
Incipit, ad crebros insani pectoris ictus
Ferre manum, adsiduis mulcens præcordia palmis.
Noctem illam sic mæsta super morientis alumnæ

Misc. Obss. l. c. bene corrigebat. *tuo cum jure* legebat Loensis l. c. Heins. quoque: *Nunc potius* hic et 337, et *dum jure licebit, Dum f.* — 336. *facti caussam*, scil. negatis tibi precibus. *fracti.... doloris;* bene Heinsius vel *tanti.* — 337. *incerta* ms. Basil. et vett. edd., etiam Ald., at 1534 *incepta.* — 339. *quod exstat in o.* Ed. Ven. 1484, aliæ: *quod texat in ordine:* sic et ms. Basil. Quod nunc legitur dedit Aldina. vid. Not. — 340. *Hic ubi*, et, *relevaverit* vett. edd. *Hoc tibi.... velaverat* ms. Basil. — 341. *viscerat* Ed. Ven. 1484. *vinxerat* Aldinæ pr. et sec. *vicerat* Junt. *luserat* Aldina tert. *spem clauserat* ms. Basil., quod eo alludit. *foverat* conj. Dorvill. et Jo. Schrader. — 343. *et placidam tenebris captare quietem.* Hoc facit puella, ut captet quietem, capiat somnum; at nunc anus puellam ori obducta veste ad somnum componit. An *aptare* hic latet? Sed *coptare* esto: arcessere, parare, per tenebras, quas obducit, extincta lucerna, *olivo inverso*, ut obruatur oleo affuso ellychnium: proprie vas invertitur. Ad superstitionem trahit rem Scaliger, nimis subtiliter. *placitam* conj. Heins. — 344. *restringens* vett. edd. ante Aldinam et Ascens., ex more *Inverso* esse ab invergendo patet. — 345. Vinculum in his versibus orationi deesse unusquisque videat. Scaliger vett. edd. *Incipit et* habere ait, et hinc refingit: *Incipit: et crebros insani pectoris ictus Ferre manu:* ut *ferre manu* sit sustinere, ἀνέχειν χειρί. Non placet acumen. Malo distinguere: *Paullatim tremebunda.... Incipit: ad crebros insani pectoris ictus Fertque manum, assiduis mulcens præcordia palmis.* Manu mammæ imposita subsultus pectoris observat. — 346. *mulcans* Pricæus ad Apulei. pag. 221, perperam. — 347.

— *tempus doloris*, quum tempus dolendi habebis justum, adeoque erit, quod doleas, negatis a patre nuptiis. — *referto*: iterum consilium hoc extremum resecandi capilli patrii revoca, repete. — 338. *Meque deosque tibi comites.* Comparat Scaliger Græca: ὡς ἐμοῦ σὺν θεοὶς συλλαφθείσης σοι, οὕτω ποιοῦ. — 339. *nihil est quod texas ordine longum*: non res est, quæ non nisi longo tempore et multo apparatu perfici possit: sed res est brevi tempore expedienda. Verum recte Julius Sabinus in sententiam mutavit: nihil est longum, quod ipsa natura ordine texuit; et sic nunc interpunxi.

Frigidulos cubito subnixa pependit ocellos.
Postera lux ubi læta diem mortalibus almum,
Et gelido veniens mani quatiebat ab OEta;
Quem pavidæ alternis fugitant optantque puellæ:
Hesperium vitant, optant ardescere Solem:
Præceptis paret virgo nutricis, et omnis

morientis, defendi forte potest. Heinsius tamen tentat varie: *rorantis, mœrentis, marcentis*. Mox *cubitis* ms. Basil. — 349. Corrupti, et interpolati misere versus. Ad verba *Postera lux ubi læta diem mortalibus almum* deest vox *Extulit* vel *Extulerat*. Heins. conj. *lux elata, oblata;* saltem deb. *evecta.... Ut g.* — 350. *veniente mane* male vett. edd. cum ms. Basil. *Et gelida veniente mihi* Ald. *Egelido* esse legendum Scaliger monuit: ut sit verborum junctura hæc: *ubi postera lux læta, veniens mane egelido ab OEta quatiebat diem almum*. Tenue tamen et vix poeta dignum *Egelido mane* vel *mani*. Gronov. ad Sen. Herc. fur. 132 *E pelago veniens summa q.* At Heins. *Egelida veniens jamjam q.*, aut *Occiduo v.* Jo. Schrader. *Et gelido Eous veniens q.* Bene se habet sol veniens ab OEta; de qua OEta, et ortu ex ea vid. ad Ecl. VIII, 30; in Culic. 202. Heins. laudat Turneb. Adv. XXVIII, 21. Sen. Herc. fur. (132. 133) et Silii *Vixdum clara dies summa lustrabat in OEta Herculei monumenta rogi* (lib. VI, 452). At *quatere diem* quomodo dictum sit, non satis capio. Si de Solis equis ageretur, ii possent *cursu quati*, ut Ge. III, 132, et Cul. 209 *Jam quatit.... equos Nox;* et Auson. Ep. IV *Jam succedentes quatiebat Luna juvencos*. Videtur dictum pro simplici, movere, proferre. Qui argutari vult, etiam tremulum lumen significari dicat. Occurrit quoque Cul. 42 *quatiebat lumina Sol*. Malim tamen vel sic *diem.... spargebat ab OEta*. Wakef. ad Lucret. IV, 406. « me hic magnas turbas movere ait de nihilo » Clementer vero! Velim tamen docuisset vir doctus, quam bene dicatur *dies quatere lucem*. Aurora, Phœbus, *spargit lucem*, non *quatit*. Quatitur fax; at *dies* non habet *facem*. Ita vidi sexcenties alto supercilio criticos nostros objurgare ea, in quibus ipsi misere hallucinabantur. Quanto melius erat, modeste monere! Quæ sequuntur v. 351. 352 ornamenta sunt, in quibus poetæ judicium desidero: nisi laciniæ sunt e margine assutæ. De Hespero acute dici poterat, et, si bene memini, dictum est a vetere poeta (est is Callimachus fragm. LII αὐτὸν μὲν φιλέουσ', αὐτὸν δὲ τε πορφύρεαι, ut h. l. *Quem p.*): *Quem pavidæ alternis fugiunt optantque puellæ:* respectu sponsarum ad sponsum deducendarum: quo Catulli illud spectat: *Hespere, qui cœlo fertur crudelior ignis?* Hunc versum forte adscripserat aliquis, quum OEta injecisset recordationem hemistichii: *procedit Vesper ab OEta*. Accessit alter versus: *Hesperium vitant, optant ardescere solem. Hesperium* (sidus) pro Hespero, *vitant* pro metuunt: *ardescere*, f. *tardescere*. Nam novæ nuptæ metuunt vesperam ingruentem: non auroram. Heins. *Hesperon evitant, optant ardescere Eoum*. Alterum hoc idem jam conjecerat Bentleius ad Callimachi fragm. laudatum: in quo Ἑσπέριον φιλέουσιν, ἀτὰρ ςυγέουσιν ἑῷον. Enimvero in Callimacho bene se hoc habet de juvenibus seu sponsis. At h. l. puellas, si in amplexibus sponsorum habentur, quomodo putabimus optare diem illucescentem? Est igitur alienum a loco totum

349 — 351. Descriptio orientis diei; quæ an cum judicio ornata sit, v. Var. Lect. Solem *quatere lumina* dixerat auctor Culicis v. 42. Paullo ante *frigidulos oculos* ex Catullo mutuatus est LXIII, 131.

Undique conquirit nubendi sedula caussas.
Tentantur patriæ submissis vocibus aures,
Laudanturque bonæ pacis bona; multus ineptæ
Virginis insolito sermo novus errat in ore.
Nunc tremere instantis belli certamina dicit,
Communemque timere deum; nunc regis amicos;
Namque ipso verita est orbari mæsta parente,
Cum Jove communis qui quondam habuere nepotes;
Nunc etiam conficta dolo mendacia turpi
Invenit, et divum terret formidine civis;
Nunc alia ex aliis, nec desunt, omina quærit.
Quin etiam castos ausa est conrumpere vates:
Ut, quum cæsa pio cecidisset victima ferro,

hoc e Callimacho. — 356. 357. *Laudantur pacisque bonæ bona* ms. Basil. *inepto Virginis insolitæ* vett. edd., etiam Aldd.; primus emendavit Pithœus. Aliæ edd. *inepte*. — 359. *Communem deum* v. Not. Laudat Heins. Eleg. ad Messalam *Communem belli nec meminisse deum*. Ita tamen *belli* noster omittere non debuit. Greene: *Affinem.... deum* legit, Jovem scil. Cujus tamen respectu ita dici possit, non video. — Porro, *regis amicis* vett. edd. et Aldd. cum ms. Basil. *amicos* a Pithœo profectum: puto ut sit, eos illa timere dicit. Sed totus locus 359. 360. 361. est pannus assutus. — 360. *Namque ipso verita est orbari mœsta parente. Μίμησις ὑφαντική* est Scaligero; mihi videbatur esse monachi ineptus lusus ex margine, una cum sequente versu: *Cum Jove communes qui quondam habuere nepotes*. Sugillabat, suspicor, lepidum caput Jovem, tanquam qui cum eorum filiabus consuevisset: ita enim communes cum Jove nepotes ex filiabus suscipere poterant: hactenus v. 361 *Cum Jove*, aliunde petitus et insertus esse potuit. Ita adscriptus esse potuit ex alio poeta ad v. 134 *pater atque avus idem Jupiter*. In Ald. 1517 *Namque ipsi verita est: orbum flet mœsta parentem:* nec aliter ms. Helmstad., nisi quod *orbum fit* magis corrupte legitur. Heinsius inde refingebat: *Namque ipso verita est coram fari ista parente;* ingeniose. Putabat idem post hunc desiderari versum. Tam parum venerat in mentem, hæc carmina esse interpolata sexcentis locis! — 362. *confi:ta* Aldina eadem dedit. *confecta* edd. vett., suo more. *conferta* Ascens. *conserta* Loensis l. c. — 364. *Nunc alia ex aliis, nec desunt omnia, quærit* aliarum edd. est lectio, quæ suas argutias habet. Sed ea, quæ subjiciuntur, *omina* postulant, quæ Aldina habet, et Scaliger reduxit. In fine versus *quærunt* vett. edd., male, cum ms. Basil. — 366. 367. Aldina lectio est, quam

359. *Communem deum*: belli fortunam. Alias dicimus Martem communem. Laudat Taubm. illud Annibalis, Liv. lib. XXX, 30: *tum tuas vires, tum vim fortunæ Martemque belli communem propone animo*. Sed et inf. in Catalect. XI, 50, *Communem belli nec timuisse deum*. De hoc versu conferatur docta Burmanni nota, Anthol. Lat. Tom. I, pag. 299. De toto loco corrupto. v. V. L.

Essent, qui generum Minoa auctoribus extis
Jungere, et ancipites suaderent tollere pugnas.
At nutrix patula conponens sulfura testa,
Narcissum, casiamque, herbas incendit olentis;
Terque novena ligat triplici diversa colore
Fila; « ter in gremium mecum, inquit, despue virgo,
Despue ter, virgo : numero deus impare gaudet. »
Inde Jovi geminat magno Stygialia sacra,
Sacra nec Idæis senibus, nec cognita Graiis;

habemus. *Et quum cæsa.... Ut sint, qui g. M.* vett. edd. cum ms. Basil. Mox *auctoribus extis*, ut Æn. X, 67 *fatis auctoribus*. — 370. *herbas contundit olentis* ms. Basil., ex Ecl. II. puto. — 372. *circum, inquit*, vett. edd. ante Aldinam alt. cum ms. Basil. — 374 In ant. edd. mire interpolatus erat versus : *Hinc magno generata Jovi frigidula sacra.* In Ald. alt. et hinc in aliis : *Inde Jovi geminat magno frigidula sacra.* Hæc in *Stygialia sacra* mutavit Scaliger, feliciter utique : ut sint magica : Æn. IV, 638 *Sacra Jovi Stygio quæ rite incepta paravi*, atque hæc emendatio in vulgarem lectionem transiit, servata editionis Aldinæ lectione in ceteris. Hoc ipsum tamen hemistichium aliter refinxerat Scaliger : *Hinc magico venerata Jovi St. sacra :* dura verborum junctura, ut venerari sacra dicatur anus. Alterum tamen tollere et servare malim *magico Jovi*, nam *magnus Jupiter* vix locum habet in his sacris. De sagarum nominibus reconditis, ut ipsiplices, auriplices, simulatrices, fictrices, veratrices vel potius veteratrices dicantur, docte ad hunc locum Scaliger agit. *geminat sacra*, instaurat, iterat. Editio vet. Leopardi apud Loensem l. e. legebat (ex correctione utique viri docti) *Junoni Stygiæ facit inde Hecatia sacra.* Barth. Advers. XXIII, 21 monstrum emendationis affert : *Hinc magico venerata Jovi Phrygia indole sacra.* Heins. tentabat *fert stridula sacra* : mox tamen ipse abjicit. Jo. Schrader. conj. *Inde Jovi injeminat magico Stygia edere sacra.* — 375. Scaliger, omnes, inquit, antiquitus excusi : *Idæis avibus*, quod vetus editio apud Loensem, ex nostris antiquis edd. nulla præterquam Norimberg. agnoscit : ceteræ, etiam Aldina sec., *Idæis senibus.* Multa inde molitur Scaliger, ut interpretetur aves has Idæas; mox favente Ald. tert. emendat : *Idæis anibus;* ut ms. Helmst. quoque legit; ms. Basil. *avibus.* Nos a senibus non

369 sqq. Locus, qui sequitur de magicis sacris, ab anu factis, antiquis acceptior et suavior, quam nobis esse debuit; nec male tamen a poeta est tractatus, etsi aliorum poetarum exemplo, nec forte satis accommodate ad h. l., quum ea non ad amorem instillandum, sed ad Nisi parentis animum flectendum, et, ut filiæ cum hoste Minoe nuptias probaret, impellendum valere debeant. — Vs. 370. *Narcissum, casiamque, herbas incendit olentes;* compositus ad illum Ecl. II, 11, *Altia serpillumque herbas contundit olentes.* — Vs. 371. *Terque novena ligat triplici diversa colore Fila.* Novem fila triplicis coloris nectit ter, seu nodo facto, seu inter se implicita. Sumtum ex Ecl. VIII, 73 *Terna tibi hæc primum triplici diversa colore Licia circumdo.* Inde etiam vs. sq. repetit : *numero deus impare gaudet.*

Pergit, Amyclæo spargens altaria thallo,
Regis Iolciacis animum defigere votis.
Verum, ubi nulla movet stabilem fallacia Nisum,
Nec possunt homines, nec possunt flectere divi:
Tanta est in parvo fiducia crine cavendi:
Rursus ad inceptum sociam se adjungit alumnæ,
Purpureumque parat rursus tondere capillum,
Cum longo quod jam captat succurrere amori:

recedemus: erroris librarii caussa manifesta est. Quos autem *Idæos* hos *senes* dicemus esse? Jul. Sabinus Idam Troadis vel Phrygiæ, et hinc sacra Cybeles, infest; Taubmannus Cretenses interpretatur. Ita quomodo *Græci* opponi possunt? Artes magicas, modo inter Thessalos, modo inter Colchos celebratas exhibent poetæ; legamus itaque: *Sacra nec Æœis senibus nec cognita Graiis.* Æa et hinc Ææa de Colchide frequens poetis, senes Graii de Thessalis. Nunc justa comparatio. Heins. conj. *Æœis anibus* vel *Edonis*, tum *nec c. Threis.* (Thressis!) At non de furore Bacchico, sed de sacris magicis hic agitur. — 378. *stabulis fallacia* vett. edd. constanter habere affirmat idque præfert Scaliger: quod iterum de nostris verum non est. Una Juntina eam lectionem exhibet; et Domitius et Ascensius eam interpretantur; vix tamen eam probandam arbitror. *Nisum stabilem* bene dixit a sententia animi firma, in qua ille perstabat. — 380. *in patrio* Heins., quod alienum. Niso enim est fiducia in suo crine. *fiducia cavendi* est forte paullo insolentius dictum, potest tamen ferri: ut putet facile se sibi cavere posse a malis, quæ metuebant aut ominabantur alii. Vir doctus Misc. Obss. Vol. IV, pag. 329 varie sed frustra tentat. Nodell. p. 82 *Tanta est in parvi fiducia* stirpe *capilli* conjicit. Præstat forte *caventi* Niso: si modo caveat, ne crinis fatalis sibi eripiatur. Nisi fuerit: *crine; paventi Rursus.... puellæ.* Sed totus versus suspectus mihi est. — 381. *sociam se jungit* Aldina. *sociæ* conj. Heins., vix bene. — 382. *rursus* otiose repetitur: saltem *ferro.* — 383. 384. 385. Turbata et luxata sunt omnia. Nec

Tum 376. 377 *Amyclæus thallus*, θαλλὸς, ramus, termes olivæ esse videri potest, quo aram aqua adspergit: nam Æn. VI, 230 in lustratione: *Sparsens rore levi et ramo felicis olivæ.* Itaque olivarum proventum in Laconica fuisse ex h. l. patet; quod Scaliger partim ex studio palæstræ, partim ex Statio, qui *Eurotam oliviferum* appellavit, firmari posse putabat. Verum palæstræ studium non statim olivæ culturam infert; et in Statio lectio est ambigua: Theb. IV, 227; nam alii *oloriferum Eurotam* habent, quod verius esse arbitror; nam idem Eurotas arundinosus, δονακότροφος, Theogn. 783, quales amnes amant olores; tum *olivifer* ad idem palæstræ studium inter Laconas referendum erat. Nec vero ad hæc confugere necesse erat. De myrto accipiendum esse thallum Amyclæum, ex carmine Catulli patet, quod toties expressum in Ciri. Nam v. 89 *Quales Eurotæ progignunt litora myrtus.* Alioqui lauros ad Eurotam memoravit ipse Maro Ecl. VI, 83. *Iolciaca vota*, sunt devotiones Thessalicæ.

383. 384. 385. Sententia esse debet: partim ut alumnæ amori

Non minus illa tamen revehi, quod mœnia crescant,
Gaudeat : et cineri patria est jucunda sepulto.
Ergo metu capiti Scylla est inimica paterno.
Tum coma Sidonio florens succiditur ostro :
Tum capitur Megara, et divum responsa probantur :
Tum suspensa novo ritu de navibus altis,

mirum : adhæserant, puto, versus in margine alicujus codicis a sciolo scholastico male alliti. Scaliger in antiquata verba proclivis sic comprehendebat sententiam : *Tum longo quod jam captet succurrere amori, Non minus illa tamen.* Ut *quod* sit pro, quamvis. Lenior forte medicina : *Tam longo quod jam captat succurrere amori.* Versus tamen vel sic enervis, etsi facile erat meliorem substituere. In Juntina editur : *Quum longo quoniam*, Ferrem, si daret codex : *Quum, longo quamquam captat* (f. *cupit ah*) *succurrere amori, Non minus illa tamen.... Gaudeat;* ut jungatur : *Quum gaudeat.* — 384. *Non minus illa tamen revehi, quod mœnia crescant, Gaudeat;* fœde corrupta. Pro *revehi* in vett. edd., etiam Ald., *rauci*, et *crescat* ms. Basil. et Helmstad., adscripto *cernat.* In *crescant* nomen Cretæ latere facile assequare : Carme ad Cretam, in qua nata, saltem educata, erat, sibi reditum dari non sine gaudio agnoscebat. Scaliger refinxit : *Non minus illa tamen revehi quoque mœnia Cretes Gaudet.* Sed dura sunt *mœnia Cretes.* Malim : *Non minus illa tamen revehi se ad mœnia Grossi Gaudeat.* Heins. *revehique ad mœnia Cretæ.* Jo. Schrader. *mœnia Gressa.* — 385. *et cineri patriæ est jucunda sepulto.* Vett. edd. *patriæ et*, vel *cineris patriæ est.* Vetus edit. apud Loensem l. c. *Gaudere et cineris patriæ lœta esse sepulcro*, quæ interpolationem manifeste produnt. Scaligeri correctione ne ipsi quidem monachi veteres scabriorem proferre potuissent. *Gaudet : at ei cinis est patriæ jucunda sepultæ :* ut esset : huic placet ruina patriæ suæ. Utrique causa est, quod gaudeant : illi, quod iterum in Cretam reverti sperat : huic vero, quod de casu patriæ certa sit. Hoc vero Scylla non gaudebat. Itaque nec Heins. bene : *et cinis est patriæ jucunda sepultæ.* Barthium sensum verum tenuisse video, qui tamen legere maluit : *Gaudeat : et cineri patria est jucunda sepulcro*, h. anui illi jucundum est in patria sua cineri suo invenire sepulcrum. Sed veram lectionem invenire in promtu est, eamque mox in Aldina dudum vulgatam vidi : *et cineri patria est jucunda sepulto.* Ita et ms. Helmst. legebat. Etiam cineri sepulto patria humus grata est. Si non vivere liret in patria, saltem, in ea humari ut contingat, in votis habemus. — 386. *Ergo metu capiti Scylla est inimica paterno.* Iterum inepti monachi acumen ex margine illatum, sed valde obtusum. *Metus* saltem disertius erat exponendus. Barthius non male emendat : *Ergo tum capiti.* Puto tamen interpolatorem scripsisse : *Ergo iterum c.* Hoc idem Heins. conjicit. — 387. Per tres versus diversa narrationis capita jejune satis per *Tum* junguntur. Saltem tertio : *At suspensa.* Omnino hic erat carminis locus, qui disertissime tractari debebat. cf. Ovid. Met. VIII, 81 sq. Pro *succiditur* vett. edd. ante Aldinam male *succingitur;* in qua et *Tunc.*

succurrat, partim quod in patriam sic se redituram, et saltem tumulum in solo patrio habituram esse videt.

387 sqq. Potiora narrationis capita tantum verbo attingit : vide ad principium hujus carminis.

389. Mira Minois crudelitas, quod puellam navi alligat; cf. v. 416. 417; non adjicitur, an in

Per mare cæruleum trahitur Niseia virgo.
Conplures illam Nymphæ mirantur in undis;
Miratur pater Oceanus, et candida Tethys,
Et cupidas secum rapiens Galatea sorores;
Illa etiam, junctis magnum quæ piscibus æquor
Et glauco bipedum curru metitur equorum,
Leucothee, parvusque dea cum matre Palæmon.
Illi etiam, alternas sortiti vivere luces,
Cara Jovis soboles, magnum Jovis incrementum,
Tyndaridæ niveos mirantur virginis artus.

390. *Niseia virgo.* Sic scribendum: Νισηΐς, Νισηΐα. non *Neseia*: cf. Heins. ad Ep. Sabini I, 33. — 391. *illam.* Heins. conj. *Scyllam.* Mox male vulgatum *Thetis.* — 394. F. *Illam etiam*, scil. miratur. Sicque ms. Basil. *junctis quæ piscibus. pristibus* haud dubie Heinsius et hic emendaret. Et ecce in schedis emendat. — 396. *Leucothoe* male scriptum perpetuo librariorum lapsu in antiquioribus. Aldina et sequiores edd. *Leuothea* recte. cf. Munker. et Staver. ad Hygin. f. 2, quosque illi laudant. Vitium itaque in ed. Heinsii et Burmanni relictum correxi. — 397. F. *Illam etiam.* Et sic jam Heins., moxque *et niveos. alternas* male vett. edd. ante Aldinam. Nota fabula de Dioscuris, summa arte tractata a Pindaro Nem. X. cf. supra Æn. VI, 121 *Si fratrem Pollux alterna morte redemit.* Per prolepsin Dioscuros in hac ætate memorari et, quia navigantibus adsunt, nunc memorari, facile intelligis. — 398. Versus ex Eclog. IV, 49 ab alia manu illatus.

prora, ubi parasemum erat: in quo forte fabulæ potest origo ac caussa latere: quum puella efficta esset, quæ suspensa per mare trahi videri posset; Tzetza ad Lycophr. 648 κρεμασθεῖσα τῆς πρώρας τῆς ἐκείνου νηὸς etc. In diversa abit Apollodor. III, 14, 8 Minos τὴν κόμην τῆς πρύμνης τῶν ποδῶν ἐκδήσας, ὑποβρύχιον ἐκείνος. Etiam alios fabulam sic exponere, notavit Scaliger. Propert. III, 17, 26 *Pendet Cretæa tracta puella rate:* ubi cf. Intpp. Potuit et hoc subesse poetæ, qui primus finxit, animo, quod Scylla ob tantum facinus digna erat, cui *tellus pontusque negetur*, ut verbis Nasonis utar. Alii poetæ fabulam aliter tractavere: Navi ejectam in mare a Minoe, ad Scyllæum Argolidis promontorium delatam mortuam acceperat Pausan. II, 34, p. 192. At dolore furentem, quum se a Minoe relinqui videret, in mare se præcipitasse, et puppi abeuntis navis inhæsisse narrat Ovidius Metamorphos. libro VIII, 142 sq., ubi similes querelas Scyllæ comparent studiosi cum loco, qui sequitur, non male elaborato a poeta: et in quo ille cum Catulli Carmine LXIII, 130 sqq. certasse videtur.

391. *Complures illam Nymphæ mirantur.* Frequentatum poetis phantasma: ut in Argonautarum historia. Proxime tamen Catullum respexisse videtur LXIII, 14. 15. In vss. 394. 395. 396. disertus locus de Ino et Melicerta.

Has adeo voces, atque hæc lamenta per auras
Fluctibus in mediis questu volvebat inani,
Ad cælum infelix ardentia lumina tollens,
Lumina : nam teneras arcebant vincula palmas.
« Supprimite o paullum turbati flamina venti,
Dum queror; et divos, quamquam nil testibus illis
Profeci, extrema moriens tamen adloquor hora.
Vos ego, vos adeo, venti, testabor, et auræ,
Vos, matutina si qui de gente venitis,
Cernitis : illa ego sum cognato sanguine vobis
Scylla, quod, ah, salva liceat te dicere, Procne;
Illa ego sum Nisi pollentis filia quondam :
Certatim ex omni petiit quam Græcia regno,
Qua curvus terras amplectitur Hellespontus;
Illa ego sum, Minos, sacrato fœdere conjunx
Dicta tibi : tamen hæc, et si non adcipis, audis.

402. 403. Ex Æn. II, 405. 406. *lumina tollens.* Aldina *tendens.* — 404. *turbato* ed. Ven. 1484. *turbata o* Ald. pr. Junt. et Norimb. Omninoque hæc erat vetus et vera lectio. *turbati f.* Aldina. *turbati o. f.* alia vetus editio Barthio laudata. *turbata flumina* ms. Helmst. *Venti turbati* sunt simpl. turbidi, concitati. — 405. 406. Ex Ecl. VIII, 19. 20. — 408. *Vos matutina si qui de gente venitis,* ut aves sint, in quas cognatione junctæ Procne et Philomela fuerant mutatæ : conf. sup. 199 sqq. Ita legitur ex Scaligeri emendatione. Vulgata lectio erat : *Vos Numantina :* sic jam vett. edd., etiam Ald., at Ven. de Tortis cum aliis : *Vos o Mantina :* promtum est in *Mantinea* hoc mutare, quod et Scaliger arripuit, sed mox iterum dimisit. Sane Arcadum ea urbs ut totam Peloponnesum designaret, satis esset insolens. Nec tamen altera Scaligeri lectio habet, in quo acquiescere possis. Doctius nomen latere, et quidem stirpis vel gentis Philomelæ et Procnes, non dubito. Itaque refingo : *Vos, Pandionia si qui de gente venitis,* per aerem volantes occurritis. — 409. *Spernitis?* conj. Greene. — 410. *quod o salva* vett. edd., etiam Aldina. *salva liceat te dicere* jam eadem Aldina dedit : aliæ edd. *liceat tibi.* Scaliger frustra refinxit : *liceat mihi.* Versus insititius. — 414. *Scylla ego sum* ms. Basil. *Minus* Loensis l. c. — 415. *tamen hæc, etsi non accipis, audis.* Igitur acci-

404—458. Lamenta hæc Scyllæ non sunt a poeta tenuioris ingenii profecta; desideres modo severius judicium in dilectu rerum et sententiarum.

414. 415. *Illa ego sum, Minos, sacrato fœdere conjux Dicta tibi.* Aut exciderunt multa, aut non satis præstruxit narrationem poeta. Intelligendum scilicet est, dato capillo Scyllam fidem a Minoe matrimonii jungendi accepisse. Ad pactionem eandem sunt *fœdera* referenda vs. 422. Ceterum cum

Vinctane tam magni transabo gurgitis undas?
Vincta tot assiduas pendebo ex ordine luces?
Non equidem me alio possum contendere dignam
Supplicio: quod sic patriam carosque Penates
Hostibus inmitique addixi ignara tyranno.
Verum esto: hæc, Minos, illos scelerata putavi,
Si nostra ante aliquis nudasset fœdera casus,
Facturos, quorum direptis mœnibus urbis,
O ego crudelis, flamma delubra petivi:
Te vero victore, prius vel sidera cursus
Mutatura suos, quam te mihi talia captæ
Facturum metui: jamjam scelus omnia vincit.
Ten' ego plus patrio dilexi perdita regno?
Ten' ego? nec mirum, vultu decepta puella
Ut vidi, ut perii! ut me malus abstulit error!

pere esse debet admittere, probare. Sed usu probatum, ut sit auribus accipere, audire. Scaliger ex antiquis edd. reponit *audi*: tamen hæc audi, quamquam tibi non placent. Verum et hoc non minus jejunum. Heins. *etsi non adspicis, audis.* Totum versum a male manu insertum arbitror, vitio priori versui semel illato, ut *Illa ego sum Minos* legeretur. Scriptum scilicet fuerat: *Illa ego Minois sacrato fundere conjunx Vinctane jam magni tranabo gurgitis undas?* — 417. *Victa* vett. edd. ante Aldinam, ex more. *assidua* etiam Ven. Norimb. — 418. Noli refingere: *Non equidem me non possum contendere dignam Supplicio*: Non possum contendere, me non dignam esse supplicio; merui vero. Sententia enim sic instructa: Non equidem possum contendere, dignam me alio supplicio, scil. quam hoc; immo vero, fateor, me dignam supplicio hoc: sed hoc ab iis, quos læseram, non a te, inferri mihi debebat. — 419. *quod sic* Aldina primum dedit. Aliæ *quamquam*, male. Basil. *quam quod*. Heins. *quia nam*. — 420. *ingrata* vel *ignava* conj. Heins. *gnara* emendat Scaliger. Sed et alterum habet locum: *ignara* enim futuri, quum longe aliter acceptum iri a Minoe beneficium putaret. — 421. *Verum esto: Hæc, Minos* jam emendatum in eadem Aldina. Aliæ vett. *Verum est hoc*, vel *Verum est hæc* cum ms. Basil. Jo. Schrader. Emendatt. p. 63 *Verum isthæc, Minos, illos scelerata putavi.... Facturos.* non male! — 423. *direptæ m. urbis* em. Heins. — 426. *Maturata* ed. Fabric. — 427. *Jamjam scelus omnia vincit.* Languet τὸ *jamjam*. Sceleri epitheton addi poterat: sive puellæ sive Minois scelus intelligas. Barthius interpretatione sic juvat sententiam: *omnia*, etiam fidem datam. Heins. refingit: *Jamjam scelera omnia vincis*, vel *quamquam scelera omnia vici*. — 429. *nec mirum*. Heins. f. *nimirum*. — 430. Ex Ecl. VIII, 41 temere, ut puto, huc

his Scyllæ querelis cf. eas, quas Ovid. Met. VIII, 108 sqq. ejus ore profert, ut intelligas, in hoc ingenii lusum, in nostro poeta dolo-ris acerbitatem ex naturæ veritate.

418. Non equidem aliud quid merui quam tale supplicium. — 421. *illos s.... Facturos, quorum:*

Non equidem ex isto speravi corpore posse
Tale malum nasci : forma, vel sidere fallor.
Non me deliciis conmovit regia dives,
Coralio fragili, ac electro lacrimoso;
Me non florentes æquali corpore Nymphæ;
Non metus incensam potuit retinere deorum.
Omnia vicit amor : quid enim non vinceret ille?
Non mihi jam pingui sudabunt tempora myrrha,
Pronuba nec castos adcendet pinus odores,
Nec Libys Assyrio sternetur lectulus ostro.

illatus. — 432. *forma, vel sidere fallor :* vel specie, vel fato. Putida oratio: forte *forma, proh sidera! fallor.* In Misc. Obss. Vol. IV, p. 330 virum doctum tentasse video : *formæ vel sidere falli :* ut *formæ sidus* forma siderea sit. Ms. Helmst. *forma vel sidera falle.* — 434. *Coralio fragili ac electro lacrimoso:* ita refinxit versum Scaliger (nec indocte, modo *atque* maluisset), quum in Aldina esset *et.* Nec aliter ms. Helmst. Versus procusus eo modo, quo Æn. VIII, 402. *quod fieri ferro liquidove potest electro.* Etsi nunc *electrum* succinum est, olim in summo pretio habitum. Vulgg. *et lacrimoso movit electro*, ex interpolatione, et tamen cum vitio versus. Nec aliter ms. Basil. In Plantin. et aliis versus sic constitutus est : *Non me.... dives, Dives coralio fragili et lacrimoso electro.* Loensis sic refingebat : *C. et fragili aut monuit lacrimoso electro.* conf. Voss. de Analogia III, 36. — 435. *Non me fl.* melius vet. edit. apud Loensem. — 437. *Omnia vincit amor.* Sic sup. Eclog. X, 69. Hic vero dandum erat : *Omnia vicit amor*; et hoc ipsum e ms. Helmst. notatum video. Procedit enim sententia sic : Nihil abduxit ac deterruit me a scelere : non paterna domus deliciis et puellis comitibus affluens, non deorum metus. — 438. *Non mihi jam* ms. Basil. vett. edd. et ipsa Aldina, melius quam *Nec.... sudabunt.* Sane Ge. II, 118 *Quid tibi odorato referam sudantia ligno Balsamaque et b.* et alibi : sed alio sensu. In simili loco cum Tibullo nostro (lib. III, 4, 28) præferam *stillare : nec mihi jam pingui stillabunt tempora myrrha.* — 439. *spinus* Leopardus malebat apud Loensem Epiphyll. VIII, 27, f. inani acumine. *odores* jam Ven. 1484. Norimb. et aliæ; at Aldina protulit *honores*, quod et Heins. præfert. Nihil vulgatius hac varietate in libb. conf. Burmann. Anthol. pag. 37. Elegans autem versus de tædis, quæ novæ nuptæ præferuntur. — 440. *Non*

Megarenses, si rescivissent proditionis consilia! Mox 431 *speravi* pro metui, putavi, ut sæpe : conf. Æn. I, 543. IV, 419. non in animum venit, tantum scelus a viro tam formoso proficisci posse; forma ego misera decepta sum.

433. *Non me commovit :* ut absterrerer a prodenda patria. Loquitur enim de Nisi patris regia, et de bonis, quibus illa adhuc usa erat. — 435. *æquali corpore*, ætate, æquales, ὁμήλικες κόραι, ut Scaliger illustrat.

438.... 440. Ad nuptiarum sollennia referendum, quibus se nunc privatam conqueritur; sponsa perungitur : tædæ lucent : purpureus torus sternitur : h. e. vestis purpurea in citrino lecto. Nam *Libys*,

Magna queror; nec et illa quidem communis alumna
Omnibus injecta tellus tumulabit arena.
Mene inter comites, ancillarumque catervas
Mene alias inter, famularum munere fungi,
Conjugis atque tuæ, quæcumque erit illa, beatæ
Non licuit gravidos penso devolvere fusos?
At belli saltem captivam lege necasses.
Jam fessæ tandem fugiunt de corpore vires,
Et caput inflexa lentum cervice recumbit;

Libys Aldd. cum ms. Basil. — 441. *Vana queror* conj. Heins. *nec et illa quidem* inde ab Aldina legitur. Antiquiores : *nec ut illa quidem*. Excidit puto *me : magna queror : me ne illa quidem communis.... tumulabit*, h. e. quod vero maximum est, de quo queri possim : me ne tellus quidem tumulabit, *illa communis alumnis omnibus;* aut ita legendum cum Scaligero, aut *nec me illa quidem communis alumnam tellus tumulabit;* quod malim, quodque Heins. quoque amplectitur, et ad Gronov. ad Tacit. ablegat; nondum enim idonea auctoritas ulla allata est, qua *alumnum* active pro altore et nutritore dictum esse constet. Longa est ea de re disputatio in Thes. Gesner. Quod omnium codicum auctoritas in h. l. *alumna* tueri dicitur, perperam pronuntiant viri docti. Quot enim habemus codices Ciris? Male etiam Barth. provocat ad sup. 274 *haustum mihi pectus alumnæ*. Est enim : *mihi alumnæ*. In Basil. ms. erat *ne ut illa quidem*. Unde Heins. tentat : *mene* (voluit *me ne*) *illa quidem.... alumnam*. — 443. *inter comites*. Sic vett. quoque edd. At Ald. et inde Veneta de Tortis : *inter matres*, minus tamen accommodate. *inter matres ancillarique marinas* ms. Helmst. — 444. *Mœnalias* vett. edd. et codd., etiam Basil. constanter, ut etiam Scaliger eo devenerit, ut ita legendum putaret : nam et Arcadiam, inquit, et reliquam Peloponnesum bello vicerat. Hoc unde habeat, nescio : illud tamen video, fraudem fecisse obscuriorem ductum librarii *Nenalias* pro *Men' alias :* quod recte inde ab Ald. sec. legitur, modo interpungatur, ut fecimus. Poeta tamen bono digniora suggerit Heinsius : *Men' viles inter;* vel *Mene colos inter*. Porro : *famulari* vel *famulatus munere*. — 445. *quæcunque erit illa beata* edd. vett. ante Aldinam. Sicque Julius Sabinus legerat, idque præferam, cum Heinsio. — 448. *fesso de corpore* haud dubie : e Catullo l. c. 189 *Nec prius a fesso secedent corpore vires*. Et sic quoque Jo. Schrader. Emendatt. p. 64. — 449. 450. Potest et interpungi : *Et caput.... cervice recumbit Marmorea :*

Libycus, *lectus*, ut *Libycum pecten* sup. 179, eburneum vel lotinum vel citreum. Ante oculos autem habuit poeta Catull. LXIII, 43. 48. 49.

442. Comparat Scaliger Catull. Epithal. Thetid. 153 *neque injecta tumulabor mortua terra :* et cum sqq. verss. ibidem versus 158 sqq. Scilicet quum se etiam tumulo privari dixisset, addit Scylla, debuisse saltem tanquam captivam in Cretam abduci et in servitio conjugis Minois haberi. Mene non licuit famularum munere fungi? et fusos penso gravidos conjugis tuæ devolvere! Imago servitutis poetis frequentata : et Catullo eodem loco in Ariadnes querelis 160 sqq. cf. Mitscherl. Lectiones in Catull. pag. 107.

Spelæum, multoque cruentas hospite cautes.
Jamque adeo tutum longe Piræea cernit,
Et notas secum, heu frustra, respectat Athenas.
Jam procul e fluctu Minoia respicit arva,
Florentisque videt jam Cycladas, hinc Strophadasque;

ipsa antri testudine et camera accipienda? — 468. Male excusum in Heinsio et Burm. *Pireeia*. Quis nescit esse Πειραιεία. Et *Piræea* jam Aldina et aliæ vett. edd. At Junt. cum aliis male *Pyrreum*. *tutum* bene Scaliger ὀχυρὸν, ἰρυμνὸν, interpretatur. Heinsius tamen tentat: *tuta heu longe Pireia*, provocans ad Statium, XII Theb. 626. Respexit puto v. 616 *et trepidis stabilem Piræea nautis;* quæ ipsa emendationem infringunt. — 469. *secum:* etsi exponi potest, v. Notam; parum tamen commode positum: nam *respectat* Athenas *oculis*, non animo *reputat secum*. F. *sæpe*, ut et Heinsius, qui etiam *ecce* conj. — 470. *Jam procul e fluctu Minoia respicit arva*. Vide, quam faciles et liberales interdum sint Interpp. Cretam interpretantur *Minoia arva*. At eam quomodo *respicere* nunc potuit Scylla? Ferrem, si *Niseia* essent *arva*. Sed *respicit* esto prospicit; aut corrigamus potius *prospicit:* Athenis relictis qui ultra pergit, aliquot, puto, dierum cursum emetiri debet, antequam Cretam prospiciat. Potuisset tamen poeta haud dubie hæc subjicere, modo non additum esset: *Florentesque videt jam Cycladas hinc Strophadasque, Hinc sinus, hinc statio contra patet Hermionea*. Ergo agitur adhuc de navigatione, quæ in Sinu Saronico fit: inde vero Cretam vix aliquis prospiciat. Itaque aut versum ex seqq. forte post 477 retractum et perperam h. l. insertum, aut a mala manu, ut variaret superiorem versum, in margine appictum, aut *Minoia arva* corrupta esse necesse est; etsi varietas nulla occurrit, nisi quod ms. Helmst. *Jam procul et fluctus alia Minos adspicit arva:* et, *effluxus* ms. Basil. Prospici in eo sinu poterat navi inde a Megaris ultra Athenas provectæ ante omnes alias terras Ægina et Salamis insulæ, hæc quidem retro, illa ex adverso posita. Dicas adeo potuisse scribi: *Jam procul e fluctu Salaminia prospicit arva*, aut: *e fluctu Æacideia prospicit arva*. Prius ad literarum ductum propius accedit, sed ad navigationis progressum minus est accommodatum; malimque adeo Argolidis litus respici putare: quod pluribus modis declarari potuisset; v. c. *Pittheia prospicit arva*, h. Trœzenem. Unum adhuc est, quo *Minoia arva* tueri aliquis possit, ut ad Minoam insulam, ante portum Megarorum Niseam positam, referat: conferatur Strab. IX, 600 B. — 471. *Florentesque videt jam Cycladas, hinc Strophadasque*. Scaliger: *hinc Cycladas hinc Strophadasque*. Syllabam mora et cæsura productam sexcenties interpolarunt grammatici. Sed in Aldina sec. et tert. et hinc in Veneta de Tortis mira est lectio: *Cyclndas: hinc Venus illi. Hinc sinus;* eandem ms. Helmst. habebat, nec aliter legerat Julius Sabinus, qui de Cytheris insula interpretatur: nimis remota ab his plagis. An et hic insulæ nomen latet? Inter hæc mirum est præteriisse, cum alios, tum me ipsum: *Strophades*, quæ in Ionio mari sitæ inter Cycladas nec poni nec nunc prospici poterant. Cogitavit de hoc acutissimus Jo. Schrader. Emendatt. pag. 66, idemque emendat *hinc Sporadasque:* uti Æn. III, 125 *Sparsasque per æquor Cycladas*. Legitur quoque illud jam in

tum, sinu Saronico relicto cursum tenet in medio Cycladum versus Cretam. Similes navigationes locorumque enumerationes sunt inprimis in Ovidii Metamorph. et Statii Achill. II pr. — 469. *secum respectat*, h. respiciendo apud animum suum cogitat. Barthius jam

Hinc sinus, hinc statio contra patet Hermionea.
Linquitur ante alias longe gratissima Delos
Nereidum matri et Neptuno Ægæo.
Prospicit incinctam spumanti litore Cythnon,
Marmoreamque Paron, viridemque adlapsa Donusam,

edd. Basil. Interea pro sensu meo contendam quovis pignore, duo hos versus 470, 471 *Jam procul.... Florentesque*, a mala manu venisse. — 472. *Hinc sinus, hinc statio contra patet Hermionea.* Sustuli fœdum Heins. et Burmann. editionum vitium, *Hermiona*. Vett. edd. *Hermiones*. At Ald. 1518 *Hermionia*. Heins. tentat *sinus statio.... Hermionæi:* non bene. Sinum Saronicum evectis et Cycladas petentibus ab altera parte ille ipse sinus, a dextra litus Argolicum, in eoque Hermione prospicitur: Ἑρμιόνη et poetis Ἑρμιόνεια, scil. χώρα, πόλις vid. Pausan. II, 34, p. 191. Strabo VIII, p. 573 A. Inter fragm. Callimachi: Εἰς Ἀσίνην Ἀλυκόν τε καὶ ἀμφιλιτ Ἑρμιονίην. Est quidem et in hoc ipso litore sinus Hermionius, quem tamen non puto a poeta significari, quum *contra* addat: *Hinc sinus, hinc contra*. Vicissim equidem de *sinu* dubito: et suspicor fuisse scriptum: *Sunion hinc, statio contra patet Hermionea.* — 473. 474. Versus adumbrati ex Æn. III, 73, 74, ubi vide. — 473. *Cinthum* vett. edd. *Citrum* Jul. Sabinus. *spumanti gurgite* Jo. Schrader. conj., et *Prospicit hinc cinctam.* — 476. *viridemque adlapsa Donysam.* Scriptum simili more erat Æn. III, 125: nec extat auctor satis gravis, unde tuto scriptura constitui posset. Nunc tamen non multum absum, quin librorum in Æneide et apud Plin. Tacitumque lectionem, *Donusa* pro vero nomine habeam. Nam, si a Dionyso ductum esset, Διονυσία esse debebat: quod etiam inflexum illud videas apud Steph. Byz. in Δονυσία (apud Eustath. ad Dionys. Perieg. 530 Νουσία corrupte legitur: exscripsit autem ille Stephanum) ut sit pro Διονυσία, quod ineptum est; sed et ipsum argumento esse potest, verum nomen Δονυσα fuisse ἀπὸ τοῦ δονεῖν, propter terræ forte motus, ut Vossius conjicit ad Melam II, 7, 104. Apud Melam tamen constantem librorum lectionem, *Dionysia*, retinendam arbitror; potuit enim inter tot alias obscuriores Sporadas etiam

comparavit ex Ge. I, 389, de cornice: *et sola in sicca secum spatiatur arena*, et ex Claudiano Epith. Pall. 47, *quid medio tecum modularis in æstu?* Scaliger *notas secum* per archaismum dictum volebat pro *sibi*. Elegans autem τὸ *respectat*, ut et alibi *respicere, aspectare*, ut Ge. III, 228. De reliquis vid. Var. Lect. — 471. *Florentes Cycladas*, propter silvas longe conspicuas navigantibus. Sic Ovidius inter Cycladas *florentem Cythnon* Met. VII, 464, et noster poeta paullo post *viridem Donusam* dixit; quod etiam Æn. III, 125, memoraverat, etsi ibi Serv. ad marmor viride respici ait. — 476. *Marmoream Paron*, a marmorum fodinis, etiam Ovidius dixit Met. VII, 465, loco, quo eum ante oculos habuisse h. l. suspicor. *viridem Donusam*, jam Æn. III, 125, vidimus. Interea laboris hujus tædium levare liceat alia observatione. In loco Æn. III, 125, Æneas a Delo evectus iter faciens per Cycladas relinquit Naxum, Donusam, Olearon etc. Hoc loco prospicit Scylla Cythnum, Paron, Donusam. Situs adeo hujus insulæ ex his ipsis aliqua ratione æstimari potest; quandoquidem accu-

Æginamque simul, sementiferamque Seriphum.

Dionysia esse, ut adeo facile alterius nomen in alterum transiret. — 477. *Æginamque simul sementiferamque Seriphum.* Quum Seriphus a Strabone lib. X, p. 747 A. petrosa fuisse prodatur; Scaliger *serpentiferam* emendat, ὀφιόεσσαν. Simpliciter ita poeta insulam asperam et saxosam bene appellare potuit. Sed Scaliger hoc respectu fabulæ factum vult. Sane Persei cum Medusæ capite ad hanc insulam accessus, conversis in saxa incolis, celebratissima est fabula (vid. vel Pindar. Pyth. XII); enimvero de anguibus Medusæ in hac insula enatis nihil narratum accepimus. Potest vero insula esse saxosa, et tamen habere agrum fertilem, adeoque *sementifera* dici. Accedit, quod Ovidius Met. VII, 464 *planam Seriphon* dicit, quæ lectio nullo modo est sollicitanda. Quidni enim diversa ratione et respectu ejusdem rei diversa esse possint epitheta? Jul. Sabinus in suo libro *amomiferamque* Seriphum legisse videtur, explicat enim amomum h. l., nisi ad v. 512 deturbanda est nota. Ms. Helmst. *salutiferamque Seriphum* legit: quod quo ducat, non assequor. Sed in priore parte versus interpretes non hæsisse miror. Ab Ægina longissime aberat Minois navis, quum Seriphum jam in oculis haberet. Haud dubie verius insulæ nomen sub corruptela latet; sed et vox, *simul*, quæ sequitur, otiosa et inutilis. Puto poetam scripsisse: *Et Diam et Siphnon, s.* Dia, Naxos, in proximo esse debuit. Gyaros nimis remota est, quam ut ea in Ægina latere possit: etsi eo alluderet Ovid. Met. V, 250, ubi Minerva Thebas petitura *Seriphum deserit, a dextra Cythno Gyaroque relictis.* Alia est insula, obscurior illa quidem, propiore tamen lectionis vestigio: *Ægila* vel *Ægilia* inter Cretam et Peloponnesum auctore Stephano in Αἰγιλία: quod enim ibi legitur Αἰγιάλεια, jam emendatum est a viris doctis Αἰγίλεια, seu, quod malim, Αἰγιλία, nam dicitur sic Αἴγιλος, seu potius Αἴγιλα. Et sic quoque Dionys. Perieg. 499 Αἴγιλά τ' ἠδὲ Κύθηρα. Male enim Αἴγυλα ibi scribitur. Etiam Mela II, 7, 90 *At interius* (in alto Ægæi maris) *Melos, Olearos, Ægilia*, ubi cf. Vossius, qui nunc *Serigottum* seu Cytheram minorem vocari docet. Plin. IV, f. 19 *Ægila* (hanc scripturam e libb. tuetur Harduin.) *autem XV m. p. a Cythera, eademque a Cretæ Phalasurna oppido XXV M. P.* Succurrebat ab initio hæc *Ægilia* substituenda Æginæ; mox etiam vidi *Ægylam* (invito metro, ut e Dionysio intelligitur) pro vera lectione h. l. venditari a Luca Holstenio ad Steph. Byz. pag. 102. Sed, hanc a locorum situ penitus esse alienam, facile sui quemque oculi possunt docere: nec facile ea cum Paro ac Seripho jungi potuit. Recitatur tandem alia a Plinio post Eubœam lib. IV, s. 22 *Extra eam in Myrtoo multæ* (insulæ), *sed maxime illustres Glauconnesos et Ægilia; et a promontorio Geræsto.... Cyclades.* Atque de hac Herodotus accipiendus erat, non de illa, lib. VI, 107, ubi insulam Styreorum Αἰγίλειαν memorat, in quam Eretrienses mancipia deduxerant. Styra Eubœæ fuisse satis vel ex Iliad. β, 539 constat. Hujus Ægiliæ situm etsi pro certo definire non ausim ratior ratio non suppetit. Corruptelam itaque in Stephano Byz. in Δονουσία (quam antiquam satis esse Eustathii alter ille locus ad Perieg. 530, declarat) etiam hæc arguunt: Δονουσία, νῆσος μικρὰ Ῥόδου. Enimvero nimis longe ab ea abesse debuit, si Maro non turpiter errasse dicendus est. Sin Rhodiis eam paruisse dicere volebat, νῆσος τῶν Ῥοδίων dicturus fuisset; et quorsum hoc potissimum notandum veniebat in hac insula? Immo νῆσος μικρὰ Σποράδων, vel, ut alias amat Stephanus (v. c. in Γύαρος), νῆσος, μία τῶν Σποράδων. Quod ibid. subjicitur, in eam insulam a Baccho ex Naxo Ariadnen traductam, vi-

Fertur, et incertis jactatur ad omnia ventis :
Cymba velut, magnas sequitur quum parvula classis,
Afer et hiberno bacchatur in æquore turbo.
Donec tale decus formæ vexavit, et ægros
Non tulit, et miseros mutavit virginis artus,
Cæruleo pollens conjunx Neptunia regno.

(inter Atticam et Eubœam collocatam eam video a Dorvillio), tamen ille nimium recedit ab his Cycladibus, inter quas nunc navigatio apud poetam nostrum fit. — 478. *ad omnia :* otiosum versus fulcrum : cui similia vidimus in Culice et Ciri alia. Poterat succurri per epitheton : *pendula.* — 480. *Afer ut* em. Heins. — 481. *Donec tale decus formæ vexavit, et ægros Non tulit, et.* Sensu hæc carent. Latere in *vexavit et* antiquum *vexarier* in promtu est animadvertere, multo magis si audias *vexaverit* vett. edd. ante Ald. exhibere : porro eædem *ægram* et *ac misero.* Scaliger refinxit : *Donec tale decus formæ vexavit, et ægram Non tulit :* nullo ad sensum fructu. Melius Barthius : *Donec, tale decus formæ, vexarier ægram Non tulit et :* ut sint apposita : *ægram, tale decus formæ.* Sane nec sic scabritie versus caret : ferri tamen potest, multo forte magis, *si tale decus formæ*, per exclamationem et in medio posita accipias. Nam et supra mirati sunt dii marini puellæ formam vss. 391 sqq., ut sit scribendum : *Donec (tale decus formæ!) vexarier ægram Non tulit et.* Nisi ipsa Amphitrite *ægra Non tulit.* Quum hæc satis probabiliter videri possint dicta : ecce visum objicitur novum et dignum conjectore apud Jul. Sabinum, ubi Seriphon et Dionysam memoravit, porro legitur. « *Ægos* « pro *Ægæo* mari ponitur, quod etiam Valer. Flaccus usurpavit : *Et quanto fre-* « *mitu se sustulit Ægos!* » Nota hæc vix alio, quam ad hunc versum spectare potest, legitque adeo in suo libro Sabinus pro *ægros, ægos*, quod pro *Ægæo* mari dictum vult. Hoc quidem perperam. Nam *Ægæum* mare mythice non per *Ægon*, sed per gigantem *Ægæonem* repræsentatur; sed idem *Ægæon* etiam *Ægan* effertur, *Αἰγαίων, Αἰγάων, Αἰγὰν*, ut Titan ex Titæon, a Titæa, matre. Ita etiam meliores libri ap. Valer. Flacc. loco laudato, qui est lib. I, 629, exhibent *Ægan*, ubi v. Voss. Nec tamen quicquam prodest ad sensum, si legere velis et in nostro : *Ægan*, nisi disjunxeris hoc modo *Donec tale decus formæ vexarier Ægan Non tulit, et miseros mutavit virginis artus Cæruleo pollens conjunx Neptunia regno.* Ita *Ægon* cum Amphitrite junxere operas. Heins. *vexarier æque*, vel *ægræ*, vel *ægrum*, vel *ultra.* Ultimum hoc esset simplicissimum ex ipsa re natum; modo scriptura addiceret.

ciniam non minus arguit. Plinius IV, s. 23, Donusam inter Telon et Pathmon memorat, etsi ibi *acervatim ponere* se Sporadas ait. A Cellario alieno loco, infra Icariam, collocata est Donusa.

479. 480. *Cymba velut, magnas sequitur quum parvula classis, Afer et hiberno bacchatur in æquore turbo.* Comparatur alligata navi Scylla cum minore navigio navi alligato. Ut sit : velut cymba parvula, quum sequitur magnas classes, et quum turbo Afer bacchatur in æquore; h. dum interea Africus procellas movet. Eandem comparationem Statius I Silv. 4. 120 sqq. adhibuit; ut jam alii notarunt. Paullo ante, in v. 478, *ad omnia* debet esse ad omnem motum, impulsum, venti.

Sed tamen externam squamis vestire puellam,
Infidosque inter teneram conmittere piscis
Non statuit: nimium est avidum pecus Amphitrites.
Aereis potius sublimem sustulit alis,
Esset ut in terris facti de nomine Ciris,
Ciris Amyclæo formosior ansere Ledæ.
Ac velut in niveo teneræ quum primitus ovo
Effigies animantis et internodia membris
Inperfecta novo fluitant concreta calore;
Sic liquido Scyllæ circumfusum æquore corpus
Semiferi incertis etiam nunc partibus artus
Undique mutabant, atque undique mutabantur.

— 484. *et rigidis squamis vestire puellam* Basil. ms., haud dubie melius. — 485. *pisces.* Requiruntur *pristes* forte et h. l.; hoc est belluæ. — 486. *Niniumque avidie regno Amphitrites* ms. Basil., quod refingere videtur Heins. *Nimiumque infidæ regno Amphitrites.* Non satis vim perspicio. Vulgata eo spectat, quod mutata in piscem Scylla belluarum voracitate peritura fuisset. — 489. *Amyclææ.... Ledæ* requiritur. Sic et Heins. Anser pro olore; ut et alibi apud poetas. — 490. *Hic velut* edd. vett., etiam Aldina cum Basil. ms. *tener est cum primitus* Aldina. *teneræ cum protinus* Ven. 1484, Junt. Norimb. (cum Ald. tert. et Basil. ms.) et al., et puto *protenus* poetam magis decere. — 491. *Effigies animantur* vett. edd. præter Aldinam, in qua est *Effigies animantis*, melius, puto, etsi alteram præferat Scaliger cum Heinsio. Certe non placet: *teneras effigies in ovo animari.* Contra præclare: *teneræ effigies animantis fluitant in ovo:* h. adumbrata pulli forma in liquore natat. — 492. *colore* Ven. 1484. Etiam color vitelli mutatur; sicque *novo* accommodatius est. At *calor* ex incubatione est. *novus* erit continuatus, succedens de novo. — 493. *liquidum* ms. Basil. — 495. 496. *atque undique mutabatur*

484. 485. 486. Noluit mutare in piscem, nam ita a belluis et pristibus devorata fuisset, qui minoribus piscibus insidiantur. *externam puellam*, in externa corporis superficie. *teneram committere inter pisces:* pro, piscibus, seu relinquere inter belluas marinas; insolenter dictum; scil. metuens, ne ab iis devoraretur. *pecus Amphitrites:* antiqua poetarum formula. Notum est Nævii, quod et Taubmann. laudat, *Lascivum Nerei simum pecus.* add. Lucret. II, 342. 343, et inprimis notum illud Horatii: *Omne quum Proteus pecus egit altos visere montes.* Mox 488 *in terris*, inter homines appellatur Ciris ἀπὸ τοῦ κείρειν, detonsa patris coma.

490 sqq. Totus locus de metamorphosi hac, et inprimis comparatio inchoatæ mutationis Scyllæ in alitem cum vitello ovi in pullum abeunte, ex elegantissimis est; et miror, eam Nasoni, ingeniosissimo homini, non in mentem venisse. — 491. 492. *internodia fluitant membris* pro vulgari: internodia membrorum fluitant. — 493. *liquido circumfusum æquore corpus:* nescio, an arguter: sed malim non

Oris honos primum, et multis optata labella,
Et patulæ frontis species, concrescere in unum
Cœpere, et gracili mentum producere rostro.
Tum, qua se medium capitis discrimen agebat,
Ecce repente, velut patrios imitatus honores,
Purpuream concussit apex in vertice cristam.
At mollis varios intexens pluma colores
Marmoreum volucri vestivit tegmine corpus,
Lentaque perpetuas fuderunt brachia pennas.
Inde alias partis, minioque infecta rubenti
Crura, nova macies obduxit squalida pelli,
Et pedibus teneris ungues confixit acutos.
Et tamen hoc demum miseræ succurrere pacto

Oris honos : primum multis legunt et interpungunt vett. edd., minus bene. Quod habemus, Aldinæ debetur. Heins. tentat *motabant* vel *nutabant*. In ms. Basil. abest *et*. — 497. *patulæ frontis species :* ergo *species frontis* pro fronte, et h. l. pro ore omnino. *Speciem* per decorem spectabilem Ascensius interpretatur. *Spatia frontis* tamen proprietas sermonis hic requirebat, vel *spatium*, quod et Heinsio in mentem venit. — 500. *imitatur* Ascens. Junt. ms. Basil. ; hic et *parvos*. — 501. *Puniceam* Aldina ; præfert Heins., quia 511 sequitur *Purpureas*. — 502. *mollis* Ald. eadem : reliquæ *membris*, cum Basil. ms., puto melius : ut sit : *pluma intexens membris varios colores*. — 503. *Mansurum* vett. edd. ; et sic ms. Basil., unde Heins. f. *insutum* vel *indutum*. *Marmoreum* Aldina restituit. — 505. *In varias partes* Heins. apud Jo. Schrader., f. ut jungantur cum anteced. — 506. Expressum erat in Ald. tert. Heins. et Burm. edd. *nova macies obduxit squalida pellis*, nullo cum sensu, et manifesto sphalmate. Vett. edd. etiam Aldina pr. et sec. cum Pithœana, legebant vitiose : *novamque aciem obduxit squalida pellis*. Loensis refingebat : *Crura novamque aciem illico duxit squalida pelli*. Quod nunc legitur, verissima est emendatio jam in Pithœi margine apposita, mox a Scaligero probata. Ita *macies obduxit* crura nova pelle, *et confixit ungues pedibus*, h. fixit junctim cute agglutinata ; non ut digitis disjunctis olim pedes erant. Ut *tabulas configi* inter se Cato dixit. Alias malim *infixit*, vel *affixit*, quod ms. Helmst. habebat cum ms. Basil. Porro *Crura nova macie subduxit* citat Salmas. ad Solin. p. 287. At *obductus cortex* et similia ap. Ovid. et al. — 508. *Attamen* legit Loensis. Qui hic sequuntur ad vs. 513 sex versus iterum ex meo judicio mali

tam exemtum vinculis et mari natans, quam potius, ut pullus in ovo liquore ambitur, sic humore seu nebula inclusum corpus, dum mutabatur, significari.

500. 503. 504. *Ecce repente, velut patrios*, etc. Est adeo Ciris avis cum crista purpurea, ad imitationem cincinni seu capilli purpurei patrii, quem Scyllare sciderat. *volucre tegmen* est plumeum, et *perpetuæ pennæ*, quæ totas alas, olim brachia, obducunt ; et 507, *confixit ungues*, commisit, continua cute.

Vix fuerat placida Neptuni conjuge dignum.
Nunquam illam posthac oculi videre suorum
Purpureas flavo retinentem vertice vittas;
Non thalamus Tyrio fragrans adcepit amomo,
Nullæ illam sedes. Quid jam cum sedibus illi?
Quæ simul ut sese cano de gurgite velox
Cum sonitu ad cælum stridentibus extulit alis,
Et multum late dispersit in æquore rorem;
Infelix virgo nequidquam a morte recepta
Incultum solis in rupibus exigit ævum,
Rupibus, et scopulis, et litoribus desertis.
Nec tamen hoc iterum pœna sine: namque deum rex,
Omnia qui imperio terrarum millia versat,

versificatoris sunt in margine alicujus libri adscripti et perperam recepti. Tulerit quidem Amphitrite opem puellæ: sed vix dignum dea, ut ei succurreret hoc pacto; non enim puellam posthac propinqui nuptam viro viderunt. Sententia insipida et puerilis, verba partim ex trivio et parum propria. Suus cujusque sensus rem, puto, declarat. — 511. *salvo* Ven. 1484, Junt. Ascens. *retinentem* facile erat cum meliore permutare. Sed adumbravit is, qui adscripsit, versum Catulli LXIII, 63 Ariadnæ Theseum fugientem prospicit, *Non flavo retinens subtilem vertice mitram*. At ibi aliter res se habet. — 512. Hæc jam persequutus erat sup. vs. 438. Pro *Tyrio*, *Syrio* arbitror, ex poetarum more fuisse. — 513. *Nullæ illum sedes* ed. Scalig. Mox *Quid enim jam sedibus illis* communis edd., etiam Aldinarum, est lectio: ut substituatur: *opus est*. Quis primus mutarit, ut in Heins. et Burm. legitur, ignoro. Heins. in schedis malit: *Quid enim cum sedibus illi?* Totus tamen versus non minus inficetus est quam ante erat. — 516. *in æquora* melius ms. Helmst. *lato* em. Heins., perperam. Gr. IV, 430 *Ibat; enim* (Proteum) *vasti circum gens humida ponti Exsultans rorem late dispersit aquarum*. — 517. *a morte recepta* conj. vir doctus Misc. Obss. Vol. IV, p. 332, atqui hoc idem jam in Ald. tert., unde *a* recepi. — 519. *Rupibus*. In hoc vero versu manifesta est inepti versificatoris manus. — 520. *Nec tamen hoc ipsum* vet. edit. ap. Loensem. — 521. *Omnia qui imperio terrarum millia versat*. Etiam hic versus a monacho excusus putandus. Pie quidem, sed non latine, dictum: *deum versare imperio omnia millia terrarum*, h. e. animantium per terras; nam de infinitis terrarum

514 sqq. Elegans locus et sensibus rem subjiciens graphice, *Et multum late dispersit in æquore rorem*, ut solent aves madefactas alas concutere. *nequicquam recepta*, servata, a *morte*. Præstat, puto, hoc, quam ut mortem receperit, subierit; id quod factum non mutatur enim in avem. — 518. *ævum incultum;* vitam asperam et horridam.

520. Nunc Jupiter, indignatus, filia scelerata in avem mutata y parentem interea miserum apud inferos degere, revocavit eum in vitam, et pariter avem fecit; sed Ciri infestam, tanquam ad pœnam a filia exigendam.

Conmotus talem ad superos volitare puellam,
Quum pater extinctus cæca sub nocte lateret,
Illi pro pietate sua (nam sæpe tepenti
Sanguine taurorum supplex resperserat aras;
Sæpe deum largo decorarat munere sedes;)
Reddidit optatam mutato corpore vitam,
Fecit et in terris Haliæetus ales ut esset.
Quippe aquilis semper gaudet deus ille coruscus.
Huic vero miseræ, quoniam damnata deorum
Judicio gnatique et conjugis ante fuisset,
Infesti adposuitque odium crudele parentis.
Namque, ut in ætherio signorum munere præstans,

orbibus nemo illa ætate cogitavit; et tamen in promtu erat versum refingere: *Qui maris imperio et terras ac sidera versat.* Heins. conj. *Omnia qui imperio rerum mortalia versat.* In schedis Wolfii pro *millia* substituebatur *munia:* nescio quo sensu. — 524. 525. Variant edd. vett. primum in *tepenti:* quod omnes Aldinæ exhibent. At Ven. 1484 *videmus:* quod et ms. Helmst. cum ms. Basil. habebat; ceteræ vett. *nitentum;* latere in utroque *bidentum* sagaciter odoratur Scaliger; sed docere debebat *bidentem taurum* usquam veteribus dictum. Præferam *nitentum:* ut sæpe victima, v. c. Æn. III, 20. Heins. legit *litantum.* Ovid. *victima nulla litat.* Martial. X, 73 *Victima cæsa litat.* Et remittit ad Salmas. ad Solin. Enimvero de vi vocis nemo dubitet. — 525. Vett. edd. *respexerat*, et *auras.* — 528. *Helicone sales ut esset* ms. Helmst. — 529. Hic versus iterum ab interpolatore insitus videtur. Jovem *deum coruscum* vix bonus poeta dicat. Alii, ut Ascens. et Junt., *coruscis.* Sed *aquilas coruscas* nemo noverit, nisi esse dicas, quæ fulmen coruscans unguibus portant. Ita et Heins. accipit. — 530. 531. 532. Vix hæc satis sana: certe, caussa adjecta qualis sit, non satis licet assequi: infestum facit Scyllæ patrem haliæetum Jupiter, *quoniam damnata deorum judicio natique et conjugis ante fuisset.* An Minos idem Jovis natus et Scyllæ conjux? Scaliger quidem natum Apollinem vel Minoem, conjugem Junonem interpretatur. Putabam scribendum esse: *Judicio, patrisque et conjugis*, scil. Nisi et Minois: et versu antec. *quum jam* vel *quamvis.* In edd. nullum auxilium. *Indicio* vett., ut Ald. pr., *jam nata* pro *damnata* vett. edd. et Ald. pr. cum ms. Helmst. Tum 532 *apposuit* sine copula haud dubie legendum: *Huic vero miseræ.... Infesti apposuit odium crudele parentis. Apponere*, ut *addere*, in Virgilio vidimus. conf. ad Æn. VI. 90. Scaliger malebat *opposuit:* quod non probandum. — 533. *Jamque utinam ætherio* Ven. 1484 cum ms. Basil. *Jam veluti ætherio* Junt. et al. *Namque ut in ætherio* Aldinæ debemus. *signorum munus* obscure dictum: accipio pro spectaculo. Jo. Schrader. emend. *lumine:* ut in Catull. 66. 59 *in vario lumine cæli. præstant* vitium edd. nonnullarum e vulgo. Scorpius dicitur *præstans* inter cetera sidera, non male, si Antarem in eo cogites.

530. 1. 2. Quoniam damnata fuerat ob crimen *judicio deorum* et ipsius *Minois*, *gnati*, h. e. nati deorum, et quidem *Jovis*, et *conjugis*, pro amato a Scylla, ad pœnam ab ea expetendam additus est pater infestus haliæetus factus.

533 sqq. Arguta etiam hæc est

Unum quem duplici stellarum sidere vidi,
Scorpius alternis clarum fugat Oriona :
Sic inter sese tristis Haliæetus iras,
Et Ciris, memori servant ad sæcula fato.
Quacumque illa levem fugiens secat æthera pennis,
Ecce inimicus atrox magno stridore per auras
Insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras,
Illa levem fugiens raptim secat æthera pennis.

534. *quam duplici* Ven. antiqua, et in fine *viri* : vitiose. Est sane scabra hujus versus oratio, etsi sententia expedita : nam, ut ad Ge. I, 33 vidimus, in sphæra veterum libræ locum unus Scorpius occupabat. Hygin. Astron. II, 26 *Scorpius propter magnitudinem membrorum in duo signa dividitur, quorum unius effigiem nostri Libram dixerunt.* Est igitur *Scorpius, quem unum vidi duplici sidere stellarum :* habentem, occupantem situm binorum signorum : *sidus stellarum* pro sidere simpliciter. Suspicabar *stellatum duplici sidere*, h. ornatum stellis duorum siderum. Sicque vidi mox expressum in ed. Junt. — 535. Legebatur in Heinsianis *fugit*, prave : vid. Not. ad h. v. Legendum est, quod jam Aldina habet, *fugat :* nam Orione occidente oritur Scorpius. Edd. vett. *clarum* (Norimb. *clarium*) *fugiant Orionem.* Junt. *clarum fugit Orionem ;* eadem vitiose *alterius ;* unde *Artemius* inscite Loensis comminiscebatur. Sed emendate jam editum ab Asulano in Aldina nostra *alternis clarum fugat Oriona. fugat Orionem* ms. Basil. — 536. Male edd. vett. *Haliætus in iras.* Est ἁλιαίητος. Forte etiam *Haliæetos* maluit poeta scribere, ut docti poetæ solent. Mox *memori fato*, fere ut Æn. I *memorem Junonis iram* dixit, passive. *servans* ms. Basil. — 538. *fugiens in æthera* ms. Basil. Forte *init æthera* ait Heins., vel *fugiens nat in æthere.* Perperam et sine caussa in vitio pessimi libri hærens. — 539. Versus seqq. extant Ge. I, 406 sqq. — 541. *rapidis secat æthera pennis* malebat Drakenb. ad Silium II, 513. Ita quoque in nonnullis libris scriptum in Ge. I, 409, nec tamen poetæ semper ad eandem formulam retrahendi sunt.

comparatio. Mutuo se persequuntur fugiuntque ciris et haliæetus aves ; quemadmodum duo sidera Scorpius et Orion ortu et occasu se fugere sequique videntur. Quoties enim Orion occidit, altera ex parte Scorpius exoritur, ut ex sphæræ tractatione discere quisque potest : idque etiam Aratus docet vss. 304. 306. 309. Versa res a priscis hominibus in fabulam, ut Orioni Scorpium immissum narrarent : cf. Hygin. Astron. II, 26, *Itaque constitutum, ut, quum Scorpius oriatur, Orion occidat ;* et lib. III, 33, *hunc* (Orionem) *spectantem da occasum et occidentem exorta Scorpionis posteriori parte.* Paullo diversa ratione ductum vidimus poeticum phantasma ab situ et ea specie, quam in sphæra cælesti duo sidera oculis objiciunt : quo modo Pleias *tristior aquosi Piscis sidus* fugere dicta Georgicorum libro IV, 233, quod mihi illo loco molestiam facere non debebat : est enim res satis frequens. Iterum alio modo de Ursa Aratus effinxit illud : Ἡ τ' αὐτοῦ στρέφεται καὶ ῥ' Ὠρίωνα δοκεύει : nam eadem tantum linea ex adverso moventur, et Ursa, et Orion.

EXCURSUS

De Carme, Britomarti, Aphæa et Dictynna.

220. *Ogygii Phœnicis filia Carme.* 295. *o Britomarti, meæ spes una salutis* sqq. Non obscurum nomen in priscis Cretensium, et hinc Æginetarum et Megarensium, fabulis nomen *Carmes.* v. Pausan. II, 30. Diodor. V, 76, ibique Wessel., Antonin. Lib. Metam. c. 40. *Phœnicis* filia h. l. editur, uti quoque ab Antonino Lib. Metam. c. 40 Cassiepiæ, Arabii f., et Phœnicis, Agenoris f., nisi quod ibi in Phœnicia nata proditur; nunc, quum *Ogygius* Phœnix appelletur; ad Bœotiam vel Atticam illud nomen Phœnicem retrahit, qui cum Cadmo venire potuit. At Eubuli, ex Carmanore prognati, filiam Cretenses tradebant ap. Pausan. l. c. Diodor. V, 76. Carme a Jove oppressa *Britomartin* partu edidit, quæ et ipsa a Minoe tentata narratur se in mare præcipitasse. Qua de re locus classicus Callimachi in Dian. 189 sqq., ubi v. Intpp. et Meurs. in Creta IV, 3. Hanc fabulam in seqq. poeta vs. 286 ad 309 exponit, ut Britomartin, venatricem et in Dianæ contubernio habitam, dum Minoem fugit, narret in mare præcipitem datam, secundum alios *Aphæam*, secundum alios *Dictynnam*, esse appellatam. *Numina* enim *Aphææ virginis* haud dubie vs. 303 legendum. Sub hoc nomine apud Æginetas Nympha habuit templum, et ad eam Pindarus (ὕμν.) hymnum scripserat in Æginetarum gratiam: Pausan. II, 30. cf. Antonin. l. c. Hesich. in Ἀφαία et ibi VV. DD., item ad vocem Βριτόμαρτις, de cujus nominis etymo v. Etymol. M. Videtur vetus Hecates adeoque Dianæ nomen fuisse Βριτώ. Dictynnæ nomen, vulgo, etsi invito Strabone X, p. 733. C., ad retia (δίκτυα) trahi solitum, quibus excepta Nympha servata est (v. Diodor. l. c.), Cretensibus fuit domesticum, ut Pausan. l. c. docet (1); acceptum tamen a Samiis, Herodoto auctore lib. III, 59. Fuit certe Dictynnæ fanum in terra Cydoniate Cretæ, ubi et Dictynnæus mons et promontorium. Idem nomen alii, ut Eurip. Hippol. 146. 1130, ubi conf. Schol., Aristoph. Ran. 1402, ubi Schol., de Diana interpretati sunt, sed reprehensi a Diodoro V, 76, ubi tollenda est ante ἀφ' ἧς et post Ἄρτεμιν parenthesis: nam ad Ἄρτεμιν spectant ea, quæ sequuntur. Sequitur tamen istos auctor noster vss. 245. 304. 305. et Ἀρτέμιδος Δικτύννης fanum fuit in Laconica: Pausan. III, 24, p. 273. Ἄρτεμις Δικτυννατία Anticyræ culta Pausan. X, 36, p. 890. 891. In numo Cydoniatarum et in altero Lacedæmonio eam deprehendit V. C. Neumann. Num. ined. p. 240. Factum autem hoc et alias, ut modo

(1) Vidi nuper hæc docte iterum pertractata esse in *Mémoires de l'Institut national*, To. I, p. 170 seq. ad Marmor Massiliæ repertum, in quo Θεᾶ Δικτυν. Δῆμος Μασσ legitur, pro, Θεᾷ Δικτύν. Δῆμος Μασσιλιητῶν.

deorum nomina transirent ad heroes, inprimis deorum liberos : ita Aristæus Ζεὺς et Ἀπόλλων Ἀγρεὺς et Νόμιος ap. Pindar. Pyth. IX, 110 sq., quem respicit Diod. IV, 81; modo heroum nomina adjicerentur diis : sic Pythæus Apollo a Pythæo filio apud Hermionenses. Pausan. II. 35. Laudari vidi Dictynnam, tanquam Catonis alicujus carmen. Sed ea *Diana* fuit, Valerii Catonis amica. v. Sueton. Gramm. XI, ubi Cinnæ versus : *Sæcula permaneat nostri Diana Catonis.* Ceterum Carme, bello capta et longe avecta, ut ex v. 290 intelligitur, in Nisi potestatem venerat et ab hoc Scyllæ filiæ nutrix data fuerat.

P. VIRGILII MARONIS

CATALECTA.

PROOEMIUM

IN CATALECTA.

MARONEM *Catalecta*, h. e. in numerum relata, conscripta, collecta carmina, κατάλεκτα ἔπη, vel *Catalecton*, scil. libellum, scripsisse, pervulgata res est, eaque credita non modo librariorum fide, qui Virgilii nomini plura adscripsere temere, quoniam ad calcem codicum Virgilii poematia, modo hæc, modo illa, prout spatium, quod vacabat, caperet, appicta videbant; verum et Grammaticorum auctoritate, Pseudodonati in Vita Virgilii §. 28, et Pseudoservii ad Æn. I pr. Nam, neutrum locum ab antiquo aliquo Grammatico profectum esse, multa manifeste produnt; et, quam levis hominum fides sit, etiam hoc arguit, quod alia poematia Virgilio tribuunt, quæ ejus non esse liquido constat. Nam priore loco: *Poeticam puer auspicatus, in Balistam — Deinde Catalecton et Moretum, et Priapeia, et Epigrammata, et Diras, et Culicem, quum esset annorum quindecim.* Altero autem: *Scripsit autem septem sive octo libros hos: Cirinam, Ætnam, Culicem, Priapeia, Catalecton, Epigrammata, Copam, Diras.* Est tamen antiquior, eaque gravior, auctoritas Ausonii in Technopægnio: *Dic quid significent catalecta Maronis?* Ergo jam sæculo IV tales Catalecton libelli extitere; (v. sup. Procem. in Culicem) et *Epigramma Virgilii* (quod inf. Epigr. II est) memoratum jam est Quinctiliano, Instit. Or. VIII, 3, 27, 28. Etsi ergo nomen serius accessit, antiqua tamen fama non-

nulla saltem carmina brevia habita fuisse Virgiliana credere licet. An vero ex his, quæ hic Virgilio tribui solent, carmen ullum sit vere ab Virgilio profectum, valde dubito : pignore tantum non contendere paratus, saltem iambos a liberali ingenio et indole honesta, quæ in Marone fuit, proficisci haud potuisse : v. inf. ad Carmen VIII. Odio omnium ingenuorum et bonorum dignus est poeta, qui ad famam aliorum virulentis dictis laniandam sese componit. Non Musarum aut Phœbi, sed Erinnyum, afflatu talia carmina scribuntur.

In libris scriptis et prelo expressis antiquioribus, subjiciuntur ea plerumque Priapeis (1), ideoque in aliis, in quibus post Cirin aut alio loco collocantur, adhæsere in fronte nonnulla ex Priapeis. Porro omnia hæc poematia in iisdem vetustioribus continua scriptura, tanquam unicum carmen exarantur, et quidem fœdis vitiis contaminatissima.

Quum Carmina hæc suis jam locis Anthologiæ Latinæ Burmanni Secundi inserta essent, nolui actum agere et variam lectionem, seu potius corruptelas adscribere. Itaque ea tantum commemoravi, quæ a viro doctissimo plerumque posthabita videbam, ut sententiam versuum accuratiore interpretatione constituerem : etsi hoc majorem plerumque difficultatem habet, quam ex librariorum stuporibus ariolando aliquid exsculpere, quod non prorsus absurdum sit. Atque hæc una res tolerabilem mihi operam reddere potuit, quam in hac operis parte posui; nam in his probris virulentis, criminibus, maledictis, quidnam sit, quod bonam mentem ingenui hominis delectare possit, equidem haud video; videant illi, quibus natura hoc dedit, ut ex aliorum probris ipsi crescere sibi videantur.

(1) De edd. v. Harles. Notit. script. Lat. To. II p. 276. sq. cf. sup. Procem. in Culicem.

P. VIRGILII MARONIS

CATALECTA.

I.

AD TUCCAM.

Delia, Tucca, tibi venit; sed sæpe videre
Non licet: occulitur limine clausa viri.
Delia sæpe tibi, non venit adhuc mihi: namque
Si occulitur, longe est, tangere quod nequeas.
Venerit aut tibi; sed jam jam mihi nuntius iste
Quid prodest? illi dicito, quæ rediit.

I. *Delia, Tucca, tibi venit.* Extat Anthol. Lat. lib. III, 250, editum jam ante in vet. Poet. Catalect. p. 153 (ad calc. Petron. ed. Patisson.) et a Scaligero. Nec alia fides, vel auctoritas est, qua Virgilio tribuitur. *Delia* ex Scaligeri emendatione receptum est, quum legatur *de qua, T.* Idem Scaliger Epigramma hoc salsissimum et argutissimum appellat, et interpretationem subjicit, in qua tamen argutias illas vix expisceris; ut nec omnino inter meliorum censum carmen referam. Fugit nos caussa et occasio; quam equidem suspicor fuisse hanc: Est servus aliquis, vel libertus, aut alius puellæ perductor, qui eam venire nuntiat. Illa tamen surgit quidem, et exire domo tentat, sed clausæ a marito fores exire vetant. Apud Tibullum I, 9, 43, *Sæpe insperanti venit tibi munere nostro* (puella tua) *Et latuit clausas post adoperta fores;* ubi tamen latet puella pone fores per lusum. Nil igitur juvat amatorem, quod sibi dictum accipit, illam venire. Suspicatur tamen illum ipsum hominem, forte ex conlibertis puellæ interea illius amore potitum: vade ergo, subjicit, et nuntia marito, eam rediisse. Ita excidisse videtur acumen in extremo versu: *cui rediit.* « *Delia, Tucca, tibi venit.* » (sunt perductoris verba: cui respondet Tucca): *sed sæpe videre Non licet;* (forte fuit: *Delia nocte tibi veniet, sed, Tucca, videre Non licet*) *occulitur limine clausa viri. Delia sæpe tibi,* (venit; nuntius sæpe eam venisse; a te nuntiatur venisse) *non venit adhuc mihi;* (nondum eam teneo amplexu)

II.

IN C. ANNIUM CIMBRUM RHETOREM.

Corinthiorum amator iste verborum,
Iste iste rhetor! Namque quatenus totus
Thucydides tyrannus Atticæ febris,

namque Si occulitur: longe est, tangere quod nequeas. Venerit illa tibi. (Fac nuntiari a te, eam venisse.) *Sed jam mihi nuntius iste Quid prodest? illi dicito, cui rediit:* h. ei, cui ejus reditus jucunditatem attulit; ei, qui eam tenuit. — In *sæpe* corruptela latet, forte nominis, aut compellatio, forte repetitio vocis *Tucca: sed, Tucca, videre non licet.* Mox *Venerit at* emendabat Burmannus Sec., præstat: *venerit illa tibi:* quod paullo ante posui. In fine *illi, cui rediit, ad quem rediit,* dicito eam venisse ei, in cujus amplexus illa venit. In Cephalæ Anthologia Misc. Lips. Vol. IX, pag. 476, epigramma est similis coloris: Αὔριον ἀθρήσω σε· τὸ δ' οὔποτε γίνεται ἡμῖν — Ὄψομαι ἑσπερίη σε (ut pro) ἑσπερίην emendatum est a Toupio Cur. noviss. in Suid. p. 12). Legitur illud nunc in Analectis To. III, p. 111. Jacobs To. III, p. 81. Similis color passim est in aliis poematibus, ut Anal. III, p. 158, Incert. XXXV. cf. To. II. Stratonis XLIII, p. 369. Nil tamen inde profeci ad carmen nostrum melius expediendum.

II.

Celebre inter eruditos viros epigramma, a Quinctiliano servatum Inst. Or. VIII, 3, 28, qui expresse Virgilii esse ait; et inter *Maronis catalecta* illud refert Ausonius in Monosyllab. (Idyll. XII Technopægnion: Grammaticomastix vers. 5.... 7). Lepor, qui ei inest, magna ex parte ad nostros sensus periit; nec sine longa disputatione accurata crisis aut interpretatio institui potest. Fecit otium nobis hac in re Burmannus Secundus, qui hoc carmen Anthol. Lat. Tom. I, lib. II, 242, exhibuit commentariis et suis et aliorum instructum: super aliis ad Interpretes Quinctiliani et Ausonii, tum ad Sam. Petit. Miscell. III, 9, remittit. Ut paucis defungamur: Scriptum est epigramma in C. Annium Cimbrum Rhetorem, qui fratrem veneno sustulerat: idem malus Rhetor, qui aut, quod in Gallia natus et in Britannia forte artem professus erat, verba barbaro more et solœco pronuntiabat, aut insolentia et barbara verba tanquam glossas affectabat: (Quinctilianus tamen de vetustorum verborum affectatione agit eo loco, quo versus hos commemorat: ut omnis adhuc hujus carminis interpretatio parum tuta mihi esse videatur). Dicit igitur poeta, his ipsis vel barbare pronuntiatis, vel exoticis et barbaris verbis eum, tanquam veneno, fratrem necasse. De lectione, admodum in multis incerta, videndi sunt iidem viri docti: addam Jo. Schraderi conj. *Evandriorum* pro *Corinthiorum.* Ut tamen aliquid apponam, quod

Tau Gallicum spinæ ipsemet male illisit,
Ista omnia, ista verba miscuit fratri.

III.

IN NOCTUINUM.

Socer, beate nec tibi, nec alteri,
Generque Noctuine, putidum caput,
Tuone nunc puella talis, heu tuo

lectorem in sententia assequenda juvare possit, hæc addam. *Corinthia verba* (nam hæc tenenda cum Burmanno statuo, donec verum repertum fuerit; natæ sunt forte corruptelæ ex vitiosa scriptura *Chorynthiorum*), sunt mollia, fracta, calamistrata; a luxu Corinthiorum; at h. l. cum respectu venenorum Medeæ. Alioqui vix multum inesset salis. *Thucydides tyrannus Atticæ febris* esset, qui dominatur in frigore illo Atticismi affectati. Sed melior lectio: *Thucydides Britannus*. Versus quartus qui, ut legitur, palo transfixum, quod supplicii genus, declarat, debet nomina exhibere, vel barbara, vel affectate aut barbare enuntiata. Amplectenda itaque hactenus aut Scaligeri lectio: *Taur Gallicum, min ipsum et al, ei illisit:* in eodem mortario venena illa satis notu: taurinum sanguinem, minium et allium, trivit, ut fratri misceret; ridicule igitur decurtabat ille, quoties declamabat, verba, *taur*, pro tauro, *min* pro minio, *al* pro allio; aut Petiti emendatio, qui Græca substituit: *Tau Gallicum* (h. Gallorum ille pessimus), *μὶν, ἰξὸν et ἀλ' ei intrivit:* ut hæc e glossis obscuris petita sint vocabula, quæ ille pro stellulis suis declamationibus græce habitis inserere solebat. Est autem *ἰξὸς* ex Thuriorum glossa, *κισσὸς*, hedera, *ἀλ* pro *ἀλς*, Cypriis pro vino dicta: *μὶν* pro *αὐτὸν* (hoc omnium minime probabiliter), ut adeo vino hedera nigra misto inebriatum sustulerit fratrem Cimber. Sed, ut paullo ante diximus, antiquata verba latere arbitramur, ejusmodi forte, quæ propius ad sonum medicaminum accedebant.

III.

Vid. Anthol. Lat. T. I, lib. II, ep. 244. Quo jure hi et sequentes Iambi Virgilio tribuantur, non dicam; nisi forte pro firmamento hoc est, quod Marius Victorinus Virgilium in quodam epigrammate iambico ter *Thalassio* repetisse narrat: id autem factum extr. carm. versu. Tribuuntur ei in antiquis Catalectorum editionibus. Catullo tamen Fruterius, Calvo, idque magis sagaciter, Vossius tribuit. vid. Burmann. l. c. Ceterum fugit nos etiam hujus epigrammatis caussa et occasio, adeoque etiam ejus lepos et acumen. Nisi forte hoc fuit: Noctuinus ducit Atilii filiam, hominis vinolenti, qui bona sua omnia consumserat, quemque gener secum habiturus erat: cum exitio

Stupore, pressa rus abibit? Hei mihi!
Ut ille versus usquequaque pertinet:
Gener socerque, perdidistis omnia.

IV.

IN EUNDEM.

Superbe Noctuine, putidum caput,
Datur tibi puella, quam petis, datur;
Datur, superbe Noctuine, quam petis.
Sed, o superbe Noctuine, non vides
Duas habere filias Atilium,
Duas, et hanc, et alteram, tibi dari.
Adeste nunc, adeste, ducit, ut decet,
Superbus, ecce, Noctuinus herneam.
Thalassio! Thalassio! Thalassio!

V.

IN LUCIUM.

Jacere me, quod alta non possim, putas,

adeo et suo et novæ nuptæ. Certe in Noctuinum et ipsum, putidum caput, odiosum hominem, videtur aliquid inclementius dicere velle.

4. *pressa*; oppressa, coacta, *rus abibit*, in rus abducetur, forte quod maritus soceri vinolentia ære alieno obrutus in urbe durare nequit.

5. *ille versus*; ex noto epigr. Catulli XXVII in Cæsarem, sed alio sensu: nunc uterque bona sua abligurivisse dicuntur.

IV.

Conjungit hoc cum antecedente Fruterius; vix bene. Collocandum quoque existimo ante superius carmen.

5. Lusus videtur in hoc latere: quod *hernea*, vel *hirnea*, quæ vasis potorii genus est, pro ipso patre vinolento ponitur, et genero pro altera conjuge et filia Atilii assignatur. Nam, ne ipsam conjugem bibacem fuisse credamus, vetat superius epigramma. *Herniam* autem legere ac herniosum socerum intelligere si velis, acumen frustra quæras.

V.

Catullo potius quam Virgilio dignum carmen, Archilochi metro et felle exaratum, et genuinum licentiæ iambicæ exemplum, in Lucium quemdam cinædum, qui

Ut ante, vectari freta;
Nec ferre durum frigus, aut æstum pati,
Neque arma victoris sequi.
Valent, valent mihi ira et antiquus furor,
Et lingua, qua adsim tibi;
Et prostitutæ turpe contubernium
Sororis. O quid me incitas?
Quid, impudice, et improbande Cæsari?
Sed furta dicantur tua,
Et heluato sera patrimonio
In fratre parsimonia;
Vel acta puero cum viris convivia,
Udæque per somnum nates;
Et inscio repente clamatum super,
Thalassio, Thalassio.
Quid palluisti, femina? an joci dolent?
An facta cognoscis tua?
Non me vocabis pulchra per Cotyttia
Ad feriatos fascinos:

eum opprobrio lacessiverat, quod attenuato per Venerem et libidinem corpore fractisque viribus militare amplius non posset (hoc enim est, *jacere*) poeta. Hoc amolitur a se poeta, recriminando pueritiæ impudicitiam, moxque abligurito patrimonio egestatem ac sordes. Extat in Anthol. Lat. lib. II, epigr. 246, ad quam lectores remittimus, qui lautiores dapes desiderant: nos in cœna admodum nauseosa, apponemus tantum, quod satis sit, ne *fame genuini crepent;* nam ingenuæ menti talia se probare nequeunt.

2. *vectari freta;* ut ire, currere mare, pro per mare.

6. *qua adsim tibi.* Versui fulcrum deest. Optime Oudendorpius: *qua jam adsim tibi. Adesse*, cum notione infesti et hostilis animi; ut alias *addi, apponi.* Conf. ad Cirin 532.

7. Novam versus orditur sententiam: experitur scilicet nunc poeta, quid furor et lingua maledica valeat. Itaque *Ei* cum Scriverio, vel *Hei*, legendum.

10. *Si* legendum cum eodem. *Quid? si furta dicentur tua?*

15. Impurus homo muliebria passus tanquam pro nupta habitus, cui sollenne illud acclamaretur. Hinc idem mox appellatus *femina.*

19. Noles me pergere et exprobrare fœda adolescentiæ flagitia. Hoc extulit: *non me vocabis.... nec videbo te movere.... et vocare: ne-*

Nec dein movere lumbos in crocotulam
Prensis videbo altaribus;
Flavum prope Thybrim et olentis nauticum
Vocare: ubi adpulsæ rates
Stant in vadis cœno retentæ sordido,
Macraque luctantes aqua.
Neque in culinam, et uncta compitalia,
Dapesque duces sordidas:
Quibus repletus ut salivosis aquis,
Obesam ad uxorem redis,
Et æstuantes docte solvis pantices,

que (27) *duces* me *in culinam*. in quibus propudium illud olim versatum erat. In sacris Cotyttiis (erant ea ex initiis a Thracibus acceptis. v. Strabo X, p. 721 B., qui classicus locus) Veneri ab impudicis hominibus habitis pompa fascinos gestatos esse, probabile fit: ergo *feriatus* pro, *festus*, dictum videtur.

21. 22. Scaliger præclare emendavit: *alaribus*, ut πτερύγια sint alæ vestis crocotæ, quas ille muliebriter vestitus et muliebriter saltans, adducit, ne saltantem impediant. *in crocotula* porro lenior est medicina, quam ea, quam Scaliger adhibet toto versu transposito: *Movere lumbos nec dein, crocotulæ Prensis videbo alaribus?*

24. Legendum cum Oudendorpio, Burmanno quoque suadente, *Flavum prope et Thybrim te olentes nauticum vocare?* ut *olentes nauticum* sint nautæ, quos impurissimus homo præstolatur, ubi appulerint, ut eorum libidini serviat, (*probe* est vitium edit. Scalig. pro, *prope*).

27. Exprobrat famem et egestatem, qua coactus adit *culinas*, h. loca in suburbiis, in quibus inopum funera et epulæ funebres habebantur: tum *compita*, in quibus Laribus compitalibus et quidem ipso compitalium die necesse est apponi solitas fuisse epulas, quas pauperes mox auferre solebant. Rem tamen aliunde declaratam nondum vidi. Factum itaque idem quod in cœna Hecates. v. 28 *duces* dedit Burmann. pro *ducis*. nec duces me in culinas? h. e. non ego videbo te adeuntem.

29. *Salivosum* Scaliger ait esse quicquid gustum reficit: recte, sed quid porro *salivatis aquis* facimus? Nisi corruptela in *aquis* latet, ut forte: *ut salivosis apris*, salivam moventibus, scriptum fuerit: accipias *aquam salivosam* de ipsa saliva. Repletus iis epulis ut (quomodo!) redis saliva etiamnum ex recordatione affluente! Verum totum locum parum expedio, nec expedire refert.

31. *pantices* de fartis seu farciminibus accipiunt Scaliger et hinc alii; nec male, quum *æstuantes* appellentur: ut farcimina distenta rumpi videantur. Proprie pantices sunt intestina, quibus ad edulia

Os usque lambis saviis.
Nunc læde, nunc lacesse, si quidquam vales!
Et nomen adscribo tuum.
Cinæde Luci, an te reliquerunt opes?
Fameque genuini crepant?
Videbo habentem præter ignavos nihil
Fratres et iratum Jovem,
Scissumque ventrem, et herniosi patrui
Pedes inedia turgidos.

VI.

AD VENEREM.

Si mihi susceptum fuerit decurrere munus,
O Paphon, o sedes quæ colis Idalias,
Troius Æneas Romana per oppida digno
Jam tandem ut tecum carmine vectus eat:
Non ego ture modo, aut picta tua templa tabella
Ornabo, et puris serta feram manibus:

farta uti solent. Sed quid: *docte solvis?* Toup. ad Suid. in σιφνιάζειν To. III, p. 134. Opp. vol. II, pag. 168. ad obscenitatem refert nescio quam; nec intelligo quid tunc sit, *solvis pantices?* an de *obesa uxore?*

32. Legendum haud dubie, cum Burmanno secundum Colvium ad Apulei. *Olusque lambis suaviis*, h. labiis.

35. Pro *an* fuisse suspicor *en*, et sine interrogatione lego.

37. Videbo te habere nihil præter fratres ignavos — et patruum. — 39. *scissum ventrem*, podicem, ἐπ' αἰσχρῷ de cinædo. — 40. γονυπαχὶς Hesiodi Scut. 265. 266. Conf. Ovid. Met. VIII, 807. 808, pedibus ex atrophia tumentibus.

VI.

Dulcissimum poemation: quod hic collocatum non infra referemus ad calcem Carminum in Virgilium. Est votum pro suscepto Æneidis opere Veneri nuncupatum, seu, ut Scaliger ex conjectura ponit, suspensum pro templo Veneris Surrentinæ. Extat in Anthol. Lat. lib. I, ep. 63 cum copiosa virorum doctorum illustratione: quam adeat qui volet.

1. Si mihi contigerit Æneidem absolvere: non modo ture et tabula votiva et sertis pietatem testatam faciam, verum sacro sollenni facto et statua Cupidinis posita. — 2. 4. Splendida rei species: invecta Venus cum Ænea, tanquam dea curru, per Italiam tanquam triumpho, ob Æneidem absolutam.

5. *pacta* ediderat Heinsius loco citato, quoniam *picta* redit v. 10.

Corniger hos aries humilis, et maxima taurus
Victima sacratos tinguet honore focos:
Marmoreusque tibi, dea, versicoloribus alis,
In morem picta stabit Amor pharetra.
Adsis, o Cytherea! tuus te Cæsar Olympo,
Et Surrentini litoris ora, vocat.

VII.

RELICTIS ALIIS STUDIIS PHILOSOPHIAM EPICUREAM AMPLECTITUR.

Ite hinc, inanes rhetorum manipli,
Inflata rore non Achaico turba,

7. *hos humiles focos* jungendum, et cum Heinsio legendum *sacrato*. Nisi cum Burmanno emendare placet: *Corniger haud aries humilis, sed maxima taurus Victima*: quæ præfero.

9. 10. Habemus igitur et hic marmoreum signum coloribus additis, non tam in *alis versicoloribus*, quæ poetice forte eo epitheto ornari poterant, sed in *picta pharetra*. Noli itaque mirari Dianam marmoream cothurnis puniceis Eclog. VII, 31. 32, nec ægre ferre, me de Maronis judicio et gustu sculpturæ ac picturæ dubitasse ad lib. VIII Æn.

11. 12. *tuus te Cæsar Olympo.... vocat*: non, puto, Julius Cæsar, Divus: ut is cælo receptus Veneri supplicet: sanctorum more, qui in cælo degunt. Sed Cæsar Augustus ipse invocat Venerem in Olympo degentem. Quatenus autem *Surrentini litoris ora* pro Æneide vota faciat, illustratum a viris doctis videre vellem. Villam Virgilium non longe a Nola in agro Campano habuisse, alio loco (in Donati Vita Virgilii s. 24) vidimus; litus igitur illud ad Craterem seu Sinum Campanum per promontorium Surrentinum, ad quod ea ora protenditur, declaravit. Potuit quoque in litore Surrentino Veneris fanum esse; et habebat forte in eadem ora prædium is, qui carmen hoc scripsit; facit enim ultimum hoc distichum, quum Cæsar ipse et ora Campaniæ pro Æneide feliciter absolvenda vota facere dicuntur, ut potius *ab amico aliquo Maronis*, quam ab ipso poeta, profectum illud judicem.

VII.

Sæpius editi et hi scazontes extant in Anthol. Lat. Tom. I, lib. II, ep. 243, ubi vid. Burm. Comparandum est ex parte initium Ciris.

1. Curtior in fine versus est syllaba, et jam suppletus a viris doctis, — *manipli ite*: vel *ite hinc*.

2. *Ros Achaicus*, ut *Cecropius ros*, de eloquentia; seu rorem, quo cicadæ pascuntur, seu, quod malim, mel Atticum respici dixeris. *Achaicus* omnino pro Græco,

Et vos, Sile, Albuti, Arquitique, Varroque,
Scholasticorum natio madens pingui;
Ite hinc, inanis cymbalon juventutis;
Tuque, o mearum cura, Sexte, curarum,
Vale, Sabine; jam valete formosi.
Nos ad beatos vela mittimus portus,

et Græcanica eloquentia. *turbâ* in fine dudum emendatum pro *verba* a viris doctis et recte receptum est a Burmanno; turba rhetorum *inflata rore*, nequiter, ut alias, repleta, satiata, turgens, ubi de cibo vel potu agitur; turba rhetorum falso eloquentiam Atticam jactantium.

3. Versus varie tentatus. vid. Burmann. l. c. Vossiana emendatio: *Et vos, Ælique Tarquitique Varroque*, scriptura revocata ad nota nomina se commendans, metro repugnat in *Æli*, ut bene monuit Jo. Schrader. præf. Emendat. p. XXXIV. Si de priore syllaba in *Stilo* constaret, haberet hoc locum. Nec vero hi quoque versus de rhetoribus accipi possunt: quis enim Varronem inter rhetores relatum audivit? nec scholastici h. l. declamatores esse possunt: sed grammaticos memorare nunc videtur, homines in sermonis ratione et antiquitate illustranda occupatos. Ex eo genere Varro fuit, ejusque præceptor L. Ælius Stilo (v. Gell. I, 18. XVI, 8), Varro autem senex Virgilii juventam attigit: mortuus enim est U. C. 726, quo Virgilius a. XLIII agebat. L. Tarquitius libro de Disciplina Etrusca et Ostentario claruit. Videtur idem verba ejus disciplinæ explicuisse aut alias Grammaticæ partes attigisse.

4. Si Virgilii esset hoc vere poemation, antiquissima forte hæc esset vocis, *Scholasticorum*, auctoritas. *madens pingui*. Dictum τὸ *pingue*, pro adipe, omento, adeoque de stupore ingenii, *madere* autem pro obductum esse, adeoque, perfusum, imbutum. Ut sit: et vos o grammatici acumen falso jactantes.

5. Notum est nomen Apioni grammatico a Tiberio Cæsare inditum, quum eum *cymbalum mundi* appellaret, quod ad juvenum aures loquaciter et inaniter strepperet. Itaque *inanis juventutis* vix bene legitur; sed aut *inane cymbalon*, aut cum Burmanno, *Ite hinc, inanes*, corrigendum. Ait igitur omnino, se rhetores et grammaticos valere jubere.

6. Heinsius castigavit feliciter: *Tuque, o mearum cura, Sexte, Musarum*. Jo. Schrader. *chartarum*. Quis hic Sext. Sabinus fuerit, nunc ignoratur.

7. *formosi*. Si verum esset, in puerorum amorem proniorem fuisse Maronem: lectio non abhorrens foret Burmann. conj. *famosi, fumosi*.

8. *Nos ad beatos vela mittimus portus*. Non ut Athenas naviget: sed ut ad philosophiam se conferre dicat, quæ sapienti pro portu est et securitatem tranquillitatemque affert. Audivit autem Maro Syronem Romæ. v. Phocæ carmen v. 63

Magni petentes docta dicta Syronis,
Vitamque ab omni vindicabimus cura.
Ite hinc, Camenæ; vos quoque limite sævæ, *
Dulces Camenæ; nam fatebimur verum,
Dulces fuistis. Et tamen meas chartas
Revisitote; sed pudenter, et raro.

VIII.

DE SABINO PARODIA CATULLIANA.

Sabinus ille, quem videtis, hospites,

inter Carmina in Virgilium. Est autem *vela mittere* h. l. quod sollennius tendere, pandere. Ex νῆα στέλλειν, πέμπειν, dictum *mittere navem*, et nunc *vela*, putabimus? Sane et Ovid. ex P. IV, 14, 9 *In medias Syrtes, mediam mea vela Charybdin Mittite: præsenti dum careamus humo.*

9. *Scironis.* Immo vero *Syronis.* vid. infra Tom. ubi Vita Virg. s. 79.

11. *Corruptus versus. Varias tentatas medelas vide ap. Burmann. l. c., quarum nulla satisfacit. Antiqua scriptura : *Ite hinc Camœnæ vos limite sene* vel *limite seve*, vel *sævæ*, et expletum *nam nos quoque*, vel *vos quoque*. Latet, suspicor, exquisitius Musarum epitheton, et in *seve*, *divæ*. Ita ad ductum literarum foret; *Ite hinc Camenæ, voce mellita divæ; Dulces Camenæ.*

VIII.

Exhibet et hoc post Scalig. et alios Anthol. Lat. T. I, lib. II, epigr. 130 *De Sabino.* Immo vero in *P. Ventidium Bassum*, hominem vel ex Cicerone notum, infimo loco natum, et ad summum dignitatis et fortunæ fastigium evectum: nam Picens, genere humili, puer cum matre captiva ante Pompeii Strabonis triumphantis currum ductus erat; quum adolevisset, quæstum sibi ægre paravit, ac sordide invenit *comparandis mulis ac vehiculis, quæ magistratibus, qui sortiti provincias forent, prœbenda publice conduxisset; in isto quæstu notus esse cœpit C. Cæsari et cum eo profectus est in Gallias :* huic quum commeatus aliarumque necessitatum bellicarum curam egisset et pro eo, quem nos *bellicæ rei commissarium* (novimus hoc hominum genus provinciis exitiosum) appellare solemus, fuisset, mox in amicitiam Cæsaris, inde in amplissimum ordinem pervenit, tribunus pleb., prætor, tandem pontifex, consul quoque a. U. c. 711 creatus est. Idem Syriam regendam accepit et de Parthis primus omnium triumphavit. Narrat hæc et alia Gell. XV, 4. adde Plin. VII, sect. 44. Bellis civilibus quum ad Antonii partes transiisset, multorum sale fuit perfrictus. Celebratum in eum est epigramma : *Concurrite omnes augures, aruspi-*

Ait fuisse mulio celerrimus;
Neque ullius volantis impetum cisî
Nequisse præterire: sive Mantuam
Opus foret volare, sive Brixiam.
Neque hoc negat Tryphonis æmuli domus
Negare nobilem, insulamve Cæruli:
Ubi iste, post Sabinus, ante Quinctio

ces: Portentum inusitatum conflatum est recens: Nam mulos qui fricabat, Consul factus est.

Virulentum hoc alterum in eum hominem epigramma an a Marone profectum sit, graviorem auctorem, quam eum, qui Catalecta collegit, non habemus. Mihi quidem res est prorsus improbabilis, hominem ad generosos sensus et epicam gravitatem assurgentem, ingenio tam liberali, moribus candidis et ingenua indole a natura instructum, tantam infamiam aliis inurere, et, conspurcando alios probris, sui ipsius vitæ integritatem et humanitatem suspectam facere: qua si quis vel leviter imbutam habet mentem, abhorret ab ista truculentia et atrocitate. Improbos odit optimus quisque; non exercet in eos carnificinam. Epigramma Catulli in Phaselum (epigr. IV), quod comparent studiosi necesse est, parodia expressum esse, obvia res est. Interpretes, acumen horum iamborum in singulis versibus illustrare contenti, de summa carminis nil monuerunt. Scilicet solebant Consules pro æde Castoris sedere; ita *sedens pro æde Castoris* Antonius Phil. III, 11; nec mirum, quum in eadem æde sæpe Senatus haberetur: Verr. I, 49 extr. At ante eandem ædem multæ erant statuæ: vide v. c. Cic. Phil. VI, 5. Fingit igitur apud animum poeta, Ventidium, et quidem Consulem, ut ex vss. 23. 24. 25 intelligas, in sella curuli pro Castoris æde sedentem, tanquam statuam esse dedicatam titulo hoc apposito. Quod Sabinum appellat, potest cum aliis de caussis factum esse, tam quod Picentes Sabinis vicini sunt.

2. *Ait fuisse:* tanquam pro titulo statuæ hæc sunt perscripta.

3. *Neque ullius volantis impetum cisî Nequisse præterire:* nullius, licet celerrimi cisii, cursum potuisse præterire vel superare cisium mulionis hujus. *Cisium* genus vehiculi levioris binis rotis instructi: vid. Burm. ad h. l. *neque nequisse* pro non potuisse, ut interdum sit. Græco more.

6. 7. Legendum cum Is. Vossio: *Et hoc nec aut Tryphonis æmuli domum Negare* (scil. ait) *nobilem, insulamve Cæruli.* Tryphon et Cærulus muliones: alter hic custos insularius, h. insulæ, *συνοικίας* in aliqua urbe et ædificiorum locandorum curam habens.

8 sqq. Submulionem eum ante fuisse ait Quinctii alicujus. Heins. conj. *equitio:* quod alienum ab h. l. est; non de equorum armentis, sed de mulis rhedariis hic agitur. Pro *forcipe*, quod erat, *forfice* est repositum: qua mularum juba in

Bidente dicit adtondisse forfice
Comata colla, nequa sordidum, jugo
Premente, dura volnus ederet juba.
Cremona frigida, et lutosa Gallia,
Tibi hæc fuisse, et esse, cognitissima
Ait Sabinus; ultima ex origine
Tua stetisse dicit in voragine,
Tua in palude deposuisse sarcinas,
Et inde tot per orbitosa millia
Jugum tulisse: læva, sive dextera,
Strigare mulas, sive utrimque cœperat.
Neque ulla vota semitalibus deis
Sibi esse facta, propter hoc novissimum,

cervice attondetur, ne jugi attritu illa exulceretur; at *forcipe* prehenditur ferrum. In *attondisse* media metro repugnat: igitur legendum *attodisse*. Mox vers. 11 pro *dura*, *adusta* Heins. conj.; nec hoc magis accommodate; non enim juba, sed collum aduritur attritu jubæ.

13. 14. *Tibi hæc fuisse et esse cognitissima, Ait Sabinus, ultima ex origine.* Ita distinguunt alii. Altera ratio firmatur exemplo Catulli, quod sequutus est v. 14. 15. ut sit, inde a natalibus, a puero h. l. Sunt autem illa appellandi casu dicta: *Tibi, o Cremona* etc.

16. *deposuisse*, aut contrahenda est media, aut leg. *deposisse* ex *deposivisse*. Tum *tua in palude*, paludosis locis.

17 seqq. Vulgo: *Jugum tulisse: læva sive dextera. Stringere mulas, sive utrumque cœperat.* Quomodo alii, etiam qui emendarunt, intellexerint locum, dicere non habeo. Sententia videtur esse hæc: quoties altera vel utraque mula defecerat, demtum iis jugum per multa millia mulionem portasse ex humeris suis. Acerbitas igitur et in hoc, quod mulas male curatas eum egisse narrat. *Strigare* pro *stringere*, quod editur, esse legendum, manifestum est, idque Scaliger docuit, et dudum in vett. edd., ut Ven. 1486, expressum vidimus. Accipiendum tamen hic non tam pro interquiescere, sed omnino præ macie vel inedia deficere viribus, ut rhedæ ducendæ impares bigæ sint. Nunc autem nec minus manifestum est, etiam reliqua sic constituenda esse: *læva, sive dextera Strigare mula, sive utraque cœperat.* Quod media in *utraque* producitur, aliis, etsi seriorum poetarum, exemplis idem edoctos non male habebit. Si cui tamen intolerabile hoc videatur, leget *utrinque*, vel cum viro docto apud Burm. *sive utræque cœperant.*

20. 21. 22. Tam feliciter omnia mulioni cessisse ait, ut ne vota quidem diis vialibus, ἐποδίοις, unquam suscipere necesse haberet, nec ullum susciperet, præter hoc

Paterna lora, proximumque pectinem.
Sed hæc prius fuere; nunc eburnea
Sedetque sede, seque dedicat tibi,
Gemelle Castor, et Gemelle Castoris.

IX.

AD VARIUM.

Scilicet hoc sine fraude, Vari dulcissime, dicam:
Dispeream, nisi me perdidit iste putus.
Sin autem præcepta vetant me dicere: sane,
Non dicam. Sed me perdidit iste puer.

X.

AD VILLAM SYRONIS.

Villula, quæ Syronis eras, et pauper agelle,
Verum illi domino tu quoque divitiæ:
Me tibi, et hos una mecum, et quos semper amavi,
Si quid de patria tristius audiero,

novissimum, quo, arte mulionica deposita, ejus artis instrumenta, habenas et pectinem, ex more dedicavit. Sole clarius, leg. *præter hoc n.*, tum arridet Heinsii conj. *buxeumque pectinem*: inprimis quum *eburnea* sequantur. Nunc *proximum* int. juxta lora suspensum, eodem pariete.

23. *eburnea sede*; curuli.

25. Igitur Dioscuris fingitur dedicata statua: Consul Ventidius sedens pro æde Castoris.

IX.

Vide Anthologiam Latinam lib. III, CCXLVIII. Edidit primus Scaliger.

2. *putus* vel *pusus*, pro puero, unde *pusio*; prima syllaba longa; qua ex re, quod *putus* in metri rationem peccat, tota carminis in pusionem argutia pendet: sic quoque Burmann. judicabat.

3. *Sin autem*. Miror neminem malnisse: *Sin artis præcepta*.

X.

1. *Scironis*. Immo vero *Syronis*, Epicurei philosophi, de quo modo Epigr. VII vidimus. Inter belli civilis calamitates et metus, consanguineos suos, inque his patrem, in Syronis villa, tanquam in tuto loco, aut perfugio, collocasse videtur. Suspicari utique licet, quod Scaliger facit, scriptum carmen, quum ex agro Mantuano assignato militibus Romam discederet. Extat quoque in Anthol. Burmann. lib.

Commendo, in primisque patrem. Tu nunc eris illi,
Mantua quod fuerat, quodque Cremona prius.

XI.

AD M. VALERIUM MESSALAM.

Pauca mihi, niveo sed non incognita Phœbo,
Pauca mihi doctæ, dicite, Pegasides.

III, epigr. CCXLIX. In v. 2 *tum quoque* bene emend. Jo. Schrader.

XI.

Vid. Anthol. Lat. lib. II, epigr. CXXII. cf. Harles brev. Notit. p. 254. Messalam victor carmine celebrat, tamquam victorem; 1.... 6. et poetam summum.... 12. recitat carminum ejus argumenta: fuere ea bucolica.... 20. in amicam.... 40. Celebrat laudes bellicas Messalarum.... 54. Sed iis laudibus non parem esse se canendis fatetur. Virgilio attributum est a Pithœo, hinc a Scaligero et aliis. Virgilio tamen non temere adscribendum esse, censebat Burmann. Sec. Dubitavi aliquando (ad lib. IV, 1. Tibull. p. 177 ed. tert. p. 192. Obss.), an omnino a vetere aliquo poeta hoc carmen profectum esset. Sed ad seriora tempora vix retrahi potest tantus orationis cultus. Nunc toto carmine diligentius excusso Augustæi sæculi fetum agnoscere mihi videor etiam in toto ejus colore et habitu. Deprehenditur enim in plerisque his poemasin istius ætatis sermo Romanus ad dignitatem et ornatum verborum numerosque poeticos egregie comparatus: at in tota carminis summa, inque argumento ea, qua par est, copia et lumine orationis explicando et feliciter disponendo, ejusque membris commode jungendis et perpetuo quasi vinculo comprehendendis, porro in dilectu rerum vel sententiarum, quæ carmine feliciter tractari possint, magna cernitur imperitia. Hæc eadem in hac elegia occurrunt, in qua summum orationis cultum et ornatum merito mireris, judicium et subtilitatem in carminis summa ejusque partibus constituendis facile desideres. Licet enim dicas, excidisse videri nonnulla et lacunis carmen hiare: tamen illud, quod vs. 21 de puella cum heroinis comparanda sequitur, jejunum est per se et ad fastidium extremum protractum. Messalæ inscriptum esse carmen ex vs. 40 patet. Verum, an ad M. Valerium Messalam illud scriptum sit, dubitavi aliquando, quod Messalæ istius facta ac bella non attingat ea, quæ ex historia nota sunt. Sed primum non occurrit ex Messalarum stirpe alius, ad quem hæc opportunius referri possint, quæ in carmine memorantur; poeticen autem M. Messalam attigisse et poetas amasse satis constat; tandem omnis difficultas tollitur, si ad Messalam juvenem hæc scripta statuas, quum ille, postquam stipendia variis in bellis meruerat, in Africa inprimis, Hispania et

Victor adest, magni magnum decus ecce triumphi.
Victor, qua terræ, quaque patent maria;
Horrida barbaricæ portans insignia pugnæ,
Magnus ut OEnides, utque superbus Eryx;
Nec minus idcirco nostros expromere cantus
Maximus, et sanctos dignus inire choros.
Hoc itaque insuetis jactor magis, optime, curis:
Quid de te possim scribere, quidve tibi.
Namque, fatebor enim, quæ maxima deterrendi
Debuit, hortandi maxima caussa fuit.
Pauca tua in nostras venerunt carmina chartas,
Carmina cum lingua, tum sale Cecropio.

Lusitania (vss. 41 sqq. 51....54), aut in alterius triumpho inter primos duces laureatos incessisset, aut ipse ex Parthinis triumphasset: quod ei a. U. c. 715 (v. Vita Virgilii p. ann. dig. h. a.) adeoque non nisi viginti vel quod excurrebat annos nato, contigit. Itaque de Aquitanico triumpho, in quem Tibulli I, El. VII scripta est, nullo modo hic cogitari potest. Ab his omnibus, ut solebat, dissensit et in contraria ivit doctiss. Wernsdorf, qui in Poet. Lat. min. To. III iterum hoc carmen retractavit.

1. Quæ pulcher Apollo cognoscere, quibus adesse non refugiat.

3. *magni triumphi.* Dalmatici: ut quidem arbitror. v. paullo ante. *decus triumphi*, is, qui in pompa triumphali omnium maxime conspicuus est. Posset dici de eo, qui secundum triumphatorem maxima rerum gestarum laude inclaruit: sed nullus per hos annos triumphus occurrit, cui Messala interesse potuerit. — 4. *Victor qua t.* simpl. terra marique victor.

6. *OEnides.* Ita N. Heinsius edidit: quum antea legeretur: *Æneides*, *Ænides*. Voss. cod. *Eonides.* Quomodo Diomedes ad triumphalem pompam declarandam aptus sit, non magis intelligo, quam unde *Eryx* huc veniat: quem hoc unum nobilitavit, quod, quum hospites cæstu provocaret, ab Hercule occisus est. Pro OEnide *Alcides* bene substitui posset: quem in simili laude Virgilius nominabat Æn. VI, 802 sqq., sed cum Baccho: *Nec vero Alcides tantum t.*

7. 8. Nec minus idem maximus poeta. Et in hac laude nunc moratur in seqq. Hoc magis itaque insolito more sollicitus sum, quid ipse ad te scribam. Fateor enim hoc, quod me dehortari debebat, si cogitarem, me ad tam magnum poetam scribere, hoc ipsum me multo magis excitare, ut scribam.

13. *Pauca tua in nostras venerunt carmina chartas:* descripta a me sunt. Is enim illo tempore mos erat, ut studiosi carmina, quæ in publicum exibant, in suos pugillares referrent. cf. Burmann. h. l.

14. *Carmina cum lingua tum*

Carmina, quæ Pylium, sæclis adcepta futuris,
  Carmina, quæ Pylium vincere digna senem.
Molliter hic viridi patulæ sub tegmine quercus
  Mœris pastores et Melibœus erant;
Dulcia jactantes alterno carmina versu,
  Qualia Trinacriæ doctus amat juvenis.
Certatim ornabant omnes Heroida divi.
  Certatim divæ munere quæque suo.
Felicem ante alias tanto scriptore puellam!
  Altera non fama dixerit esse prior.
Non illa, Hesperidum ni munere capta fuisset,
  Quæ volucrem cursu vicerat Hippomenem;

sale Cecropio. Quæ sint *carmina sale Cecropio*, facile est ad intelligendum; sed quid sunt *carmina lingua?* Scilicet erit repetendum: *lingua Cecropia.* Ita vero Græca carmina exarat noster poeta? Haud dubie Attica elegantia et Attico lepore imbutos versus declarare vult. Forte sic præstat legere: *Carmina cum lingua, tum sale, Cecropia*, h. quæ sint Attica, Atticis similia, cum oratione, tum lepore.

15. *Pylium* bis otiose repeti, vidit N. Heinsius et emendavit: *Carmina quæ Peliam;* vel *Carmina quæ Phrygium;* alterum hoc merito præfert Burmann., quem vide; ut sit Tithonus vel Priamus. In ms. Helmst. hic versus deerat.

17. Quæ sequuntur usque ad v. 40 tractata esse necesse est in aliquo Messalæ carmine, et quidem bucolici generis. Sed vereor, ut vss. 17.... 20 a poeta nostro, nec potius ab alio viro docto, qui hiatum explere voluerit, profecta sint. Absunt quoque, quod Burmannum non fugit, ab edit. Ald. 1517. *Molliter hic erant* vix latine dictum est. Vs. 20 *Trinacriæ juvenis*, qui non magis dici potest, emendatus est a Broukhusio: *Trinacria juvenis*, Theocritus, ὁ ἐκ Τριναχρίας. cf. Burmann.

21. Post ea, quæ intercidisse videntur, ad amasiam Messalæ, carminibus ejus celebratam, progreditur. Sulpicia illa fuit, Servii filia. v. Tibull. nostrum in Vita et ad lib. IV, El. 2. In fine versus — *omnes heroida divi* legendum esse, manifestum est; non *divæ*. Monitum quoque a viris doctis. vid. Burmann.

24. Erat: *alter non famam dixerit ipse prior.* Varie tentatus versus. Sententia in aprico est; Non aliam puellam fama priorem esse. Proxime ad corruptam lectionem accedit Munkeri emendatio: *Altera non fama dixerit esse prior:* per græcismum. Simplicitate quoque se commendat, quod raro fieri solet, Salmasii conjectura: *Altera nam fama vix erit estque prior;* nisi quod *estve* malim.

25. 26. Atalanta, quæ vicisset

Candida cycneo non edita Tyndaris ovo;
Non supero fulgens Cassiopea polo;
Non defensa diu volucrum certamine equorum,
Optabant Graiæ quam sibi quæque manus;
Sæpe animam generi pro qua pater inpius hausit;
Sæpe rubro Eleis sanguine fluxit humus;
Regia non Semele, non Inachis Acrisione,
Inmitti exspectant fulmine, et imbre, Jovem:
Cujus et ob raptum pulsi liquere Penates
Tarquinii patrios, filius atque pater;
Illo, quo primum dominatus Roma superbos
Mutavit placidis tempore Consulibus.
Multa, neque inmeritis, donavit præmia alumnis;
Præmia Messalis maxima Poplicolis.
Nam quid ego inmensi memorem studia ista laboris?
Horrida quid duræ tempora militiæ?
Castra foro solitos, urbi præponere castra,
Tam procul hoc nato, tam procul hac patria?

et cursu superatura fuisset Hippomenem, nisi pomo aureo in fraudem adducta fuisset.

29.... 32. De Hippodamia, OEnomai filia, qui rex Elidis erat; unde *Eleidem terram* vs. 32 dixit; tandem a Pelope curuli certamine superatus. *defensa* vs. 29 quid sibi velit, non dixerunt viri docti; an quatenus certaminis lex intercedebat, ne proci eam conjugem ferrent; an fuit *detenta?* detinebatur enim certamine, quo minus proci ea potirentur. Mox *Graiæ manus*, juvenes proci. — 31. *generi*, h. l. pro proco; ut sæpe. vid. Burmann.

34. *expectant.* Adversatur hoc orationis decursui. Esse debebat *expectantes*. Nec *expectans* satis accommodatum. Itaque præfero Scaligeri emendationem *expertæ*; ut sit: Semele et Danae, *expertæ*, *Jovem fulmine et imbre immitti* ἐνσκήπτεσθαι, *descendere*, *venire*.

35. *Cujus et ob*, h. et illa non prior fama est, cujus etc. Infrequens Lucretiæ memoria in Romanis poetis, et propterea locus notabilis.

39. Roma multos honores in Messalas contulit.

41. *Jam quid ego*, cum Burmanno legendum; qui comparat Tibull. IV, 1, 82 seq. Transit autem ad gentis Valeriæ virtutes bellicas prædicandas; in ea gente Messalæ haud minimam laudum partem qui ferrent digni erant.

44. Corruptus versus. Variæ medelæ apud Burmann. memorantur. *Tam procul hoc natos* scil. solo, vel *Tam procul hinc* Scaliger, *Tam*

Inmoderata pati nunc frigora, nuncque calores?
  Stertere vel dura posse super silice?
Sæpe trucem adverso perlabi sidere Pontum?
  Sæpe mare audendo vincere, sæpe hiemem?
Sæpe etiam densos inmittere corpus in hostes;
  Communem belli nec timuisse deum?
Nunc celeres Afros, perituraque millia gentis,
  Aurea nunc rapidi flumina adire Tagi?
Nunc aliam ex alia bellando quærere gentem?
  Vincere et Oceani finibus ulterius?
Non nostrum est, inquam, tantas adtingere laudes;
  Quin ausim hoc etiam dicere, vix hominum est.
Ipsa, hæc ipsa ferent rerum monumenta per orbem;
  Ipsa sibi egregium facta decus parient.
Nos ea, quæ tecum finxerunt carmina divi,

procul agnatis Salmasius, *Tam procul a nato*, Francius conjecit; neuter satis commode. In altero membro uterque: *tam procul a patria*. In priore autem ne illud quidem satisfaciat, si *Tam procul a natis* legamus. Forte scriptum fuit: *Tam procul, orbe alio: tam procul a patria. Orbem* ita dici vulgatum est: sic *orbis diversus, ultimus, longinquus* et al.

48. Legebatur: *Sæpe audendo mare*. Cum Burmanno Broukhusianam illam, facilem et obviam, emendationem amplexus sum: *Sæpe mare audendo*. Quum ex uno tantum alterove Codice, qui superest, provenerint hæc carmina, mirum non est, vitia vel manifesta editiones constanter obsidere.

50. *Communem belli deum*. conf. Burmann. et sup. Ciris v. 359.

51. *perituraque millia gentis*. Saltem apposite legendum *p. millia, gentes*. Verum et hoc scabrum est. Sic quidem in Anthol. lib. I, ep. 107 Memnon *Producit gentis millia tetra suæ*. Oudendorp. conj. *perjuræque ultima gentis*. Amplecterer, quo libri ducunt (etiam ms. Helmstad. *perjurem.*), *perjuræ*; sed reliqua parum placent. Excidit, suspicor, nomen gentis: v. c. *perituraque millia, Mauros* vel *Iberos*. Nam in bello inter Cæsarem et Pompeium Messala loca illa adiisse videtur.

55. *Non nostrum est, unquam* bene emendat Burm. *Non nostrum tantas inquam est*, ms. Helmst.

57. *Ipsa, hæc ipsa ferent*, scil. laudes illas; alias una ex emendationibus ibidem allatis amplectenda: seu Salmasii: *Ipsa hæc se ipsa ferent*, seu Heinsii: *Ipsa hunc*, vel *Sese hæc ipsa ferent*, seu Oudendorpii: *Sed te hæc ipsa ferent*. seu: *Ipsa hæc te, ipsa ferent*.

59.... 61. Non una hæc laborant corruptela. Priora transpositione

Cynthius, et Musæ, Bacchus, et Aglaie. 60
Si laudes adspirem, humili sed adire Camena;
Si patrio Graios carmine adire sales
Possumus: optatis plus jam procedimus ipsis.
Hoc satis est, pingui nil mihi cum populo.

XII.

IN POMPEIUM MAGNUM, VEL IN MITHRIDATEM.

Adspice, quem valido subnixum gloria regno

sanare annixus est Burmannus. Equidem v. 60. 61 ejiciam: etsi etiam in 62 insolens est *adire laudes* alterius, assurgere velle ad eas, æmulari. *Graii sales* videntur esse de *Cecropio sale* vs. 14, Attico lepore accipiendi, qui Messalæ versibus latinis inerat. Sed sine libris frustra aliquid certæ et exploratæ opis expectatur. Apponam tantum varietatem lectionis ex Ald. pr. (et aliis vett., ut Ven. 1486). *Si laudem adspirem, humiles sed adire Sirenas.* Varie hoc tentant viri docti apud Burm. Docte, etsi vix vere, refinxit Scaliger: *Si laudem Ascræ humilis, si Doridas heroinas*, h. Hesiodum et *μεγάλας ἰσίας*. *adire* pro attingere In ms. Helmst. legebatur: *Si laudem adspirarem, humilis sed audire cyrenas.* Wernsdorf in Excurs. ad h. v. multum operæ posuit in aliqua loci constituendi ratione exputanda, et legit: *Si laudem adspirante, humili sed adire Camena Possumus.*

XII.

Disertum carmen, apertum planumque, sententiis verbisque gravibus. Anthol. Lat. lib. II, 123, p. 301. Sed, in quem scriptum illud sit, liquido non constat: etsi vix assequi licet, quo modo tantæ rerum conversionis, quæ hoc carmine narratur, auctor obscurus esse possit. Si ea colligas, quæ de magno hoc viro, de fortunæ fastigio dejecto, memorantur: nemo in historia Romana, sive ante, sive post Virgilium occurrit, cui satis ea conveniant. *Pompeius Magnus* statim lectoris animo occurrit: in quo fortunæ vicissitudo et inconstantia etiam a poetis notari solet, v. c. Petron. 123, et multis epigrammatibus in Anthol. Lat. lib. II, 25 sqq., sed in eum parum proprie dici potest illud, quod *e patria pulsus in exilium* est. Dicendum igitur, scriptum esse carmen illo temporis intervallo, quo Pharsalia fugatus Ægyptum petierat, necdum de ejus cæde constabat: alioqui multo magis hæc commemoranda veniebat. Quod *valido subnixus regno*, quod *servitium Romæ* parasse dicitur, non minus male me habent. Alter, in quem facile incidas et Scaliger quoque incidit, *Mithridates* est, Ponti rex, in quem omnia egregie conveniunt, præter illud: *e patria*; debebat enim potius *e regno* pulsus in exilium dici. Debuit ergo Romano more dictum esse *e patria* pro ex regno. De Mi-

Altius et cæli sedibus extulerat,
Terrarum hic bello magnum concusserat orbem;
Hic reges Asiæ fregerat et populos.
Hic grave servitium tibi, jam tibi, Roma, ferebat;
Cetera namque viri cuspide conciderant;
Quum subito in medio rerum certamine præceps
Conruit, e patria pulsus in exilium.
Tale deæ numen; tali mortalia nutu
Fallax momento temporis hora dedit.

XIII.

AD ANTONIUM MUSAM.

Quocumque ire ferunt variæ nos tempora vitæ,
Tangere quas terras, quosque videre homines;
Dispeream, si te fuerit mihi carior alter.
Alter enim quis te dulcior esse potest?

thridate intelligendum esse, nuper iterum pronuntiavit Ruhnken. ad Vellei. II, 18, 3, sed quomodo is *e patria pulsus in exilium* dici possit, non docuit. Argumentum addit e Cic. pro Murena 15 sumtum esse: unde etiam singulorum petenda sit explicatio. Sane ibi breviter exponuntur res Mithridatis regis: sententiarum poetæ vestigia ac semina non video. Ad *Alexandrum magnum* retulit Oudendorpius, ut e Burmann. disco: quod parum commode fieri videtur.

3. *Terrore hic belli* eleganter emendat Ruhnken. l. c. nec tamen necesse. Pro *magnum Magnus* conj. Burmann., ut sit Pompeius. In v. 2 malim: *Altius heu c.*

4. *fregerat, hic populos* Cod. Voss. et ed. Ven. apud Burmann.

5. *Hic grave servitium jamjam tib* Voss. Cod. apud eundem.

9. 10. Distichon viros doctos non videtur moratum esse; equidem non satis expedio. Quid enim est: *dare mortalia?* Forte: *Tale deæ numen: pessum mortalia nutu — dedit:* ut sit, pessum dare solet hora mortalia. Ruhnken. *Hora premit* legebat l. c.

XIII.

Antonii Musæ, medici Augusti, nomen non obscurum est vel ex Sueton. Aug. 59 v. al. apud Burm., qui hoc poematium Anthol. Lat. inseruit lib. II, ep. 124. Nunc ex hoc poematio, quod non alio, quam eo auctore, qui catalecta collegit, Virgilii esse fertur, hoc discimus, fuisse eum poetæ amicissimum, omnibusque ingenii dotibus et artibus politissimum hominem. Hæc etsi admittas, artem tamen medicam in ceteris laudibus

Cui Venus ante alios, divi, divumque sorores,
  Cuncta, neque indigno, Musa, dedere bona;
Cuncta, quibus gaudet Phœbus, chorus ipseque Phœbi;
  Doctior o quis te, Musa, fuisse potest?
O quis te in terris loquitur jucundior uno?
  Clio nam certe candida non loquitur.
Quare illud satis est, si te permittis amari;
  Non, contra ut sit amor mutuus inde mihi.

XIV.

IN OCTAVII MORTEM.

Quis deus, Octavi, te nobis abstulit? an, quæ
  Dicunt, an, nimio pocula dura mero?
Vobis si culpa est bilis: sua quemque sequuntur
  Fata; quod inmeriti crimen habent cyathi?
Scripta quidem tua nos multum mirabimur, et te
  Raptum, et Romanam flebimus historiam.

vix omittere potuisset auctor carminis. Ad rhetorem Musam, qui a Seneca in Controversiis aliquot locis memoratur, cum viro docto referre malim.

7. *Phœbi chorus ipseque* Phœbus; refingebat Scalig. cum aliis.

10. *Clio tam certe* emendavit Casaub.

XIV.

Vid. in Anthol. Lat. lib. II, Ep. 65. Claudit hoc epigramma agmen Catalectorum, quæ Maroni vulgo tribuuntur. Quis hic Octavius sit, ignorari, eo magis mirationem facit, quod scriptis multis inclaruisse et historiam Romanam aggressus esse narratur v. 5. 6. Eum juvenem ante patrem v. 7. 8. inter pocula, quum excanduisset, repente mortuum esse ita, ut de caussa mortis dubitatio esset, a poeta discimus, qui caussam in iracundiam a mero avertere allaborat.

2. *pocula dura* vix bene dicuntur; melius *dira* cum Oudendorpio, vel *ducta* cum Heinsio legas.

3. *Vobis si culpa est bilis.* Laborat caput versus. Cod. Voss. *Vobiscum si est culpabili.* Heins. *Vobis sic culpa est bilis*, vel *Haud necis in culpa est bilis.* In promtu est multa comminisci: *An magis in culpa est bilis?* vel *Fervida an in culpa; An tumida in culpa.* Forte nihil horum; sed: *Non culpa est illis; sua quemque sequuntur fata:* sed quis ullum præstet? Simplicitate ingeniose se commendat Jacobs nostri conj. *Mortis si culpa est bilis;* Animadverss. p. 318.

Sed tu nullus eris. Perversi, dicite, Manes,
Hunc superesse patri quæ fuit invidia?

XV.

P. VIRGILII MARONIS

Fragmenta ex Epistola, quam ad Augustum Cæsarem super Æneide sua scripsit.

Ego vero frequentes a te literas accipio. *Et infra:* De Ænea quidem meo, si, me Hercules, jam dignum auribus haberem tuis, libenter mitterem. Sed tantum inchoata res est; ut pæne vitio mentis tantum opus ingressus mihi videar: quum præsertim, ut scis, alia quoque studia ad id opus, multoque potiora, inpertiar.

P. VIRGILII MARONIS

COPA.

PROOEMIUM

IN COPAM.

SUPERIORA carmina ex Heinsiana et Burmanniana recensione repetivimus. Ex ceteris Virgilio perperam vulgo tributis carminibus, quæ Burmannus Secundus in Anthologia Latina nuper iterum excudenda curavit, et multis eruditionis copiis illustravit, duo adhuc subjungere placet, *Copam* et *Moretum* (1): quorum hoc prorsus ab eo prætermissum, illud interpretationis adhuc luce aliqua egere visum est, dignum certe, quod hic repeteretur, quum ex elegantissimis poematiis sit.

In *anum propolam* scriptum esse carmen vulgo aiunt. Ita vero omnis ejus suavitas sublata, et ad veram interpretationem via præclusa videri debet. Immo vero *invitatio* est *ad compotationem et hilariter exigendum diem in taberna cauponaria;* cujus generis fuere olim plures, ut etiam nunc sunt, extra urbem, ad Tiberim, et ad litus maris. Ad eas tabernas non modo sordida et nautica plebs confluebat: verum erant aliæ, quas lautiores et elegantiores homines adirent.

Quod *Copa* carmen inscriptum est, id a prima ejus voce fluxit. *Copa, caupa, cupa,* mulier est cauponia, ut copiose Scaliger docuit. Nec tamen h. l. eam, quæ cauponam ipsa

(1) Tamen inter Copam et Moretum invenies Hortuli descriptionem Maroni adscriptam, quæ abest ab HEYNII editione; quamvis in antiquissimis optimisque reperiatur. Vide notam ad hunc locum infra, post Copam, pag. 190. N. E. L.

exercet, intelligere necesse est, sed simpliciter mulierem, quæ in caupona vel taberna artem exercet. Est enim h. l. crotalistria, h. e. saltatrix cum crotalis, e gente Syrorum; cujus generis feminæ, tibicinæ, citharistriæ vel fidicinæ, in his tabernis haberi solebant. Notæ illæ *Ambubaiarum* nomine sunt ex Horatio et Suetonio. Nec vero cum Scaligero de vetula cogitandum, quia mitrata esse narratur v. 1, quum etiam puellas et juvenculas mitra, seu fascia ac diademate, interdum cum reticulo, comprehensam et involutam comam habuisse satis constet.

Carmen Virgilio vulgo tribuunt codices, qui minora poemata continent, etiam Grammaticus is, qui Servio in fronte Æneidis suos attexuit pannos, tum gravior ceteris auctor Sosipater Carisius, I Instit. Gramm. pag. 47 Putsch., ubi: *cupo, cuponis,* inquit, *ut fullo, fullonis, quamvis Virgilius librum suum Cupam inscripserit.* Vereor tamen, ne hoc ipsum serioris interpolatoris judicium sit, a re et loco satis alienum. Prisciani ab aliis auctoritatem perperam laudari, Burmannus docuit l. c. Nuper doctiss. vir, Wernsdorf, hoc ipsum carmen repetiit in Poet. minor. T. II ad calcem *Septimii Sereni* fragmentorum, quem hujus ipsius carminis auctorem esse malit. Adeant eum, qui plura ad illustranda verba carminis desiderant.

Ceterum elegi hi non modo orationis Romanæ elegantia, sed etiam toto carminis habitu cultuque, non vulgares sunt, nec contemnendi poetæ lusus. Etsi enim, majore ex parte, earum rerum, quæ ad hilaritatem invitare possunt, enumeratione absolvuntur: res tamen sunt jucundæ, et ad animum sensumque gratæ. Auctumnali autem die institutam compotationem cogitare necesse est. Cf. v. 11.

P. VIRGILII MARONIS

COPA.

COPA Syrisca, caput Graia redimita mitella,
Crispum sub crotalo docta movere latus,
Ebria fumosa saltat lasciva taberna,
Ad cubitum raucos excutiens calamos.

1. *Syrisca.* Scaliger comparat *Syriscum* Martiali et Ausonio dictum, et *Threiscum* Θρῄσκον apud Julium Capitolinum. Alia memorat Salmas. ad e. l. Sed nullum exemplum ex meliore ævo allatum vidi; nisi quod ex Columella succurrit lib. X, 418, ubi ficum *Scissam Libyscam* constanter libri tenent. Attamen et ibi *Libyssam* unice verum judicabat Gesnerus. Nec h. l. aliter legendum arbitror quam: *Copa Syrissa*, ut Threissa, Cilissa et al. Nulla autem alia hujus et seqq. sententia est, quam hæc: omnia in taberna instructa esse ad diem hilariter et suaviter exigendum. Ecce jam saltat crotalistria, et sic porro. *Caupona Syra* e Lucilio apud Priscian. VI, pag. 684 occurrit. *Graia redimita mitella;* fuit ergo Græcanici alicujus ritus ornamentum hoc: genus fasciæ, quo capilli colligerentur. Talem crotalistriam mitratam in monumentis passim videre memini: unum et alterum exemplum est in picturis Herculanensibus. Nec diversi generis sunt tibicinæ, fidicinæ, psaltriæ. Horat. I Epp. 14, 25 *meretrix tibicina, cujus Ad strepitum saltat terræ gravis:* ad villicum. Accommodate dictum *crispum latus movere*, crispare, de molli ac celeri flexu et motu. Quid in Syrorum institutis, religiosis forte, fuerit, quod feminas crotalistrias fingeret, ita ut in Italia quoque quæstum inde facerent, non reperio. Nomen quidem Syrorum late patuit. Potuere quoque Judææ feminæ sub eo nomine comprehendi.

3. *famosa taberna.* In promtu est conjicere *fumosa:* nec parum mihi arridere fateor; sic quoque ms. Helmstad. exhibuisse video. Præfert tamen Burmann. vulgatum: melius enim convenire illud crotalistriæ lascivæ et infami.

4. Crotalistria describitur. *Calami* sunt ipsa crotala, h. virgulæ, alias æreæ, sed nunc ex arundine scissa, quas illa inter saltandum concutit cum manus gesticulatione: qua, dum virgularum, quas medias digitis tenet, pars inferior versus brachia comploditur, *ad cubitum excutere calamos* hoc loco dicitur.

Quid juvat æstivo defessum pulvere abesse,
  Quam potius bibulo decubuisse toro?
Sunt cupæ, calices, cyathi, rosa, tibia, chordæ,
  Et trichila umbriferis frigida arundinibus.
Est et Mænalio quæ garrit dulce sub antro
  Rustica pastoris fistula more sonans.
Est et vappa, cado nuper diffusa picato:
  Est strepitans rauco murmure rivus aquæ.

5. Meo quidem judicio, a quo si quis dissentiat, æquo animo feram, non Copæ verba, quod vulgo credi video, sed poetæ, sunt: ex persona poetæ hujusmodi hortatus ad vitam exhilarandam multo plus suavitatis et auctoritatis habent, quam ex ore meretriculæ; a cujus persona pleraque aliena sunt; poeta pergit in eo, quod orsus est. *æstivo defessum pulvere abesse* dictum pro: *æstivo pulvere*, labore, defatigatum, viribus exhaustum *desidere domi*, nec se conferre in viam ad tabernam. Ad exercitationem campestrem revocat unice Scaliger. Malim a peregrinatione, mercaturæ studio, et similibus petere usum τοῦ *abesse*: fere ut Tibull. I, 1 *Nec semper longæ deditus esse viæ*, ubi ex h. l. ariolari possis: *Nec semper longa fessus abesse via.* Tum, ut nunc interpungitur, intelligendum est: *Quid juvat.... abesse potius quam.* Nisi placet cum Barthio distinguere: *Quid juvat.... abesse? Quam potius,.... toro!* scil. juvat. *bibulum torum* vocat, Scaliger ait, in quo plurimum biberetur. Durum vero hoc. Accipio de cespite, vel gramine aqua irrigato, ut lætum virescat. Poterat alio epitheto ornare: ut *fragilem*, *tenerum*, *siccum* cespitem dicunt alii poetæ: Nunc hoc maluit; nec sane inscite.

7. *Cupæ* vel *Cuppæ* sunt in cella vinaria vasa majora. At lectionis varietas viris doctis emendandi facultatem attulit. Scaliger legit: *Sunt topia et calybæ*: quæ calicum genera sunt. Heinsius autem: *Sunt obba et calices.* Cui accuratius hæc cognoscere libet, ei adeundi sunt Intpp. ad h. l.

8. *Trichila* vel *trichilum* pergula est ex vitibus aliave arbore pedamentis et jugis firmata, implicitis frondibus concamerata vel arcuata ad umbram faciendam, notiore voce *hypampelos* dicta. v. Viros doctos ad h. l. et Columell. X, 378. Similem compotationem sub umbraculo describi in Propert. IV, 8, 35 seqq. notavit Burmannus. Male in *triclinia* inciderunt nonnulli; etsi sic quoque Pompon. Sab. *triclina* pro triclinia. Etiam ms. Helmstad. *triclina umbrosis.*

9. *En et Mænalio* alii, et recte *sonat.*

10. *pastoris more*: immo *in ore.*

11. *defusa* duo codd., variatione perpetua: v. c. Lucret. IV, 88. et id malunt viri docti: nam agitur de vino e cado, majore vase, in minus defuso; non de vino in plura minora vasa diffuso.

12. *Et strepitans* legendum cum al. edd. *strepitans* in *crepitans*, *tre-*

Sunt etiam croceo violæ de flore corollæ;
Sertaque purpurea lutea mista rosa;
Et quæ virgineo libata Achelois ab amne
Lilia vimineis adtulit in calathis.
Sunt et caseoli, quos juncea fiscina siccat.
Sunt autumnali cerea pruna die;
Castaneæque nuces, et suave rubentia mala.
Est hic munda Ceres; est Amor; est Bromius.
Sunt et mora cruenta, et lentis uva racemis:
Est pendens junco cæruleus cucumis:
Est tuguri custos armatus falce saligna;
Sed non et vasto est inguine terribilis.
Huc Calybita veni: fessus jam sudat asellus:

pidans, mutant viri docti, iidem hoc in illud mutaturi, si alterum reperissent: hujusmodi correctiones dudum ex re critica sublatæ et explosæ esse debebant; sunt enim nec magis ingeniosæ quam non fructuosæ.

13. *Sunt et Cecropio junctæ de flore corollæ* tres codd. Unde Burmann. non indocte conjicit: *Corycio junctæ de flore*, vel *Corycioque croco violæ de flore corollæ*. Mox v. 14 *rosam* in auctumno adeoque certi generis, serioris proventus, narrari necesse est.

15. 16. Suavissimum distichon: Cernis nympham calatho afferentem potantibus lilia. Ecl. II, 46 sqq. Nymphæ et Naïades formoso puero flores ferunt; sic h. l. Nympha Achelois, h. fontana, amnicola, ut unam ex Naiadibus significet. *Acheloum* de aqua dici poetis non infrequens. *libata ab amne*, humefacta, viola in ripa florens, quam adeo alluit unda. Miror Heinsii acumen: *libata ab ore* legentis. *virgineum amnem* suaviter dixit purum, pellucidum. Comparat *fontes ingenuos* Lucretii libro I, de rerum Natura, 231 Wakefield. Nec ad Virginem aquam, quæ Romæ fuit, recurram.

17. *scirpea* Leid. et ed. Junt., et *sirpea fiscina* Ald., doctius utique; ut *juncea* pro interpretamento sit.

22. *Et pendens* melius alii; et porro ms. Helmstad. *Et pendet*. Tum *junco* pendet cucumis, quo alligatur stipiti, vel pedatur.

23. *Et tuguri* etiam h. l. alii melius. Sed totum distichon alienum ab h. l. et aliunde illatum: quod ordo sententiarum et loci ratio satis docet.

25. *Huc Alibida veni*. Silenum interpretabantur: qui tamen a loco et re alienus esse videtur, quando quidem hic in vera vita versatur poeta. *Asivida* pro asinivehida ex Plauto huc inferre voluere, Heins. Scalig. et Gesner. de Silenis Tom. IV Commentatt. pag. 45. Turnebi (Adverss. XIII, 22) lectio: *Huc ad liba veni*, facilitate

Parce illi; vestrum delicium est asinus.
Nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadæ:
Nunc etiam in gelida sede lacerta latet.
Si sapis, æstivo recubans te prolue vitro;
Seu vis crystallo ferre novos calices.
Eia age pampinea fessus requiesce sub umbra;
Et gravidum roseo necte caput strophio;
Candida formosæ decerpes ora puellæ.

se commendat; sed parum ad sensum facit. *Calybita* e codd., quibus Helmstad. adde, jam probarunt Salmasius, qui videndus ad Hist. Aug. p. 491, et alii, intelligentes Gallum matris deum vel deæ Syriæ sacra circumvehentem; hunc eundem esse puta agyrtam, qui adeo plebeculam præstigiis suis tripudiisque inter cymbalorum tympanorumque strepitum delectat. cf. Apulei. lib. VII. Occurrunt et hi homines passim in anaglyphis antiquis: v. c. *Cayl. Recueil* To. I, tab. 29. Calybe, καλύβη, templum vel sacrarium deæ simulacrum recipiens. Substituunt καλύβην deæ Κυβίλῃ viri docti in epigrammate Thyilli Anal. II, p. 277. VI. Porro autem legend. *venit:* quod et codex unus offert. Etiam agyrta huc venit, asello suo insidens. Tum suaviter subjicitur illud: *Parce illi* etc. nec tamen eum nimium ad cursum accelerandum flagris incita; contubernale vobis, Galli, pecus est.

26. *Vestæ delicium*, Is. Vossii elegantissimam conjecturam amplectitur quoque Burmann. conf. Ovid. Fast. VI, 319 seqq. Vestam et Cybelen permutari, in eodem loco obvium est. Nec absurde tamen Gallorum delicium habetur asinus, cum tacita libidinis exprobratione. Laudant Interpretes commode Phædrum, libro III, fabula 18, v. 8.

28. *Nunc vere*, vel *vero*, in libb., unde Heins. conj. *Nunc verna in gelida sepe lacerta latet.* Burmann. vero *Nunc viridis gelida sepe l. l.* Immo lege: *Nunc varia in gelida sepe lacerta latet.* et hoc nunc video diserte exhibere ms. Helmstad.

29. Ut multa alia in h. l. e Propertio petita esse, docuere viri docti, sic hoc, ex lib. IV, 8, 37 *Lygdamus ad cyathos, vitrique æstiva supellex.* Mox *Seu vis ferre* pro, seu mavis afferre, adhibere, *calices crystallo*, e crystallo factos; vel ut *calices* sint pro vinis dicti. Nisi ulcus latet: *Seu vis, crystallo verte novos calices.* Notum ex Marone: *Indulgent vino et vertunt crateras ahenos.* In ms. Helmstad. *cristalli.* Sic usitatius *crystalli calices.*

32. *strophium* pro vitta seu fascia, cui innectuntur flores, adeoque pro serto.

33. *decerpens* duo codd., sicque Helmstad. ms. *Formosum tenere decerpens;* alii cum edd. ant. *Formosus tenere decerpes:* hoc revocavit Wernsdorf.

Ah! pereat, cui sunt prisca supercilia!
Quid cineri ingrato servas bene olentia serta?
Anne coronato vis lapide ista legi?
Pone merum et talos. Pereant, qui crastina curant!
Mors aurem vellens: vivite, ait, venio.

34. *prisca*, qualia fuere priscorum hominum, severa, tristia, adducta, ut adeo bene lectionem hanc tueatur Burmann. adversus virorum doctorum commenta, et Leidensis codicis lectionem: *crispa supercilia*. Ms. Helmstad. *Ah pereant, quibus hæc prisca sup.*

35. *cineri ingrato* ex Æneid. VI, 212, cui nullus rei sensus est.

36. *legi* jam emendarunt et ediderunt viri docti, pro *tegi*. Lapis sepulcralis coronis ornatus nota res est. In eo legi serta, sane parum opportunum: magis tamen si illa *lapidi* legantur, ut sit dativus cui.

37. *Pone merum et talos*. Hæc invitatio ad vina et ludum, quæ decet Epicuri discipulum, cui voluptas summum bonum est, ubique in Horatii carminibus occurrit, et elegantius expressa. — *Pereant, qui crastina curant*. Non ita vehementer idem Horatius, qui eadem cantat, lib. I, Od. IX, 13: *quid sit futurum cras, fuge quærere;* et eodem libro, Od. XI, 8: *carpe diem, quam minimum credula postero*. N. E. L.

38. *Mors aurem vellens, vivite, ait, venio*. Qui legunt, *mors autem veniens*, longe a poetis fugiant. Quid enim hac Mortis imagine vividius, quæ imprecanti *crastina*, et in diem vivere volenti adstat improvisa, et nedum damnet hanc sententiam, *admonendo* confirmat, *diem* esse lucro *apponendum*, quia fatalem leti venientis horam vitare nemo potest! Notandum inprimis est, *quis*, et *quod* suadeat: Mors ait; VIVITE!... — *vellere aurem*, est *admonere;* nam ea memoriæ consecratur, ut frons Genio, et Genua misericordiæ. N. E. L.

P. VIRGILII MARONIS

HORTULUS [1].

Adeste Musæ, maximi proles Jovis;
Laudes feracis prædicemus hortuli.
Hortus salubres corpori præbet cibos,
Variosque cultus sæpe cultori refert;
Olus suave, multiplex herbæ genus;
Uvas nitentes, atque fœtus arborum.
Non defit hortis et voluptas maxima,
Multisque mixta commodis jucunditas.
Aquæ strepentis vitreus ambit liquor,
Sulcoque ductus irrigat rivus sata:
Flores nitescunt discolore gramine,
Pinguntque terras gemmeis honoribus.
Apes susurro murmurant gratæ levi,
Quum summa florum vel novos rores legunt.
Fecunda vitis conjuges ulmos gravat,
Textasve inumbrat pampinus arundines.
Opaca præbent arbores umbracula,
Prohibentque densis fervidum solem comis.
Aves canoros garrulæ fundunt sonos,
Et semper auras cantibus mulcent suis.
Oblectat hortus, advocat, pascit, tenet,
Animoque mœsto demit angores graves:
Membris vigorem reddit, et visum capit;
Refert labori pleniorem gratiam;
Tribuit colenti multiforme gaudium.

(1) Opusculum hoc de laude Hortuli, quod Ascensius inter Catalectorum Epigrammata melius collocatum judicaverat, tamen hic referri voluimus, tanquam Moreti præviam appendicem, quia in hoc, ut in illius versibus 61 et seqq., multa de herbis et feracitate hortuli dicta sunt conformia. Est autem natura Carminis *iambica trimetra senaria*. Iambica, quoniam prædominatur *iambus*: trimetra, id est, ternas mensuras continens; mensura autem quæque binis pedibus conflatur: senaria tamen est, quoniam senis pedibus constat. N. E. L.

P. VIRGILII MARONIS

MORETUM.

PROOEMIUM

IN MORETUM.

Est hoc ex eo carminum genere, cujus nobis paucissima ex antiquitate exempla relicta sunt: argumentum ex vita privata et tenui hominum humili loco natorum petitum est. Licet id ad bucolicum genus referre aut pro idyllio habere, quandoquidem eo nomine unum et alterum apud Theocritum habetur. Faciunt viri docti carminis summam, *moretum*, h. edulii rustici genus, ex allio, apio, ruta, coriandro, bulbo, additis caseo, oleo et aceto, comparatum, quod Simulus conficit. Nec male ea res, arbitror, idyllii hujusmodi argumentum constituit, repræsentata oculis animisque particula aliqua vitæ rusticæ. Sed, quantum equidem assequor, latius patet idyllii hujus argumentum. Describitur enim omnino *prima diei pars*, et *quæ diluculo vel mane gerantur a rustico*, antequam ad opus rusticum procedat. Surgit mane Simulus, qui conductum agrum arare videtur, cum Cybale, Afra genere, forte libertina, et primo loco ea parat, quibus per diem illum vitam toleret, h. e. famem expleat. Igitur panem coquit, quod a v. 17 ad 52 procedit, inde, ut habeat, quo pro obsonio utatur, moretum sibi parat, h. edulium acribus herbis oleo acetoque confectum, quo stomachum vellicet. Itaque malim dicere *describi hoc carmine primam diei partem vitæ rusticæ*. Suspicor autem aut fragmentum nos tantum habere majoris carminis, quo totum opus diurnum exponebatur: nam sub f. in agrum ad arandum procedit Simulus;

aut successisse plurâ idyllia, quæ ceteras rustici operis partes exsequerentur. Sufficit idyllium hoc esse ex elegantissimis, quod majori eclogarum Virgilianarum parti præferam, in quibus sententiæ ex Theocrito mutuatæ annumerantur. Nisi forte hujus poematii auctor et ipse e Græcis sua accepit. Certe Vossius in lib. de poetis Gr. prodidit, in cod. Ambros. Moreto Virgilii esse adscripta verba : *Parthenius Moretum scripsit in Græco, quem Virgilius imitatus est.* Quæ res non improbabilis videri debet, quum poetæ ante et sub Augusteo sæculo in Græcis vertendis tantum studium consumserint. Si itaque a Maroniana oratione, quam in Bucolicis tenemus, aliéna est indoles Moreti, hoc per se mirationem non facit, si quidem ex Græco tantum conversa hæc sunt. Versatur autem poeta in eo poetices genere, quod, rebus e vita humili et sordida petitis, ad animos tenendos omnium minime accommodatum esse, multi viri docti contenderunt. Alii hoc ipso se genere facile Homerici carminis laudes attingere posse putarunt. Prius illud judicium recte se habere nullus dubito, si in orbe rerum vulgari aut in sordibus vitæ, iisque rebus, quarum adspectus nauseam facit, descriptio versetur; aut si exspectatione ejus, quid ex sigillatim descriptis rebus proventurum sit, animus non erigatur, aut si omnino arte et ingenio careat. Possunt tamen ex ea quoque vita, quam lubitâ suo nemo vivere malit, cum dilectu, remotis molestiis et sordibus, multa poetice reddi et ornari, ut placeant; modo ne tali carmini vim ac dignitatem carminis epici tribuere ausis, a qua illud longissime abesse necesse est. De quovis carmine statuendum est ex ejus genere generisque natura et indole; potestque, recto cum judicio, ex omni genere fructus aliquis seu ingenii et artis seu honestæ voluptatis peti. Virgilio carmen hoc tributum esse jam antiquitus, ex eo constat, quod in Vita Virgilii illud commemoratur : etsi, quum tot seriorum hominum nugis illa

interpolata sit, quid veteres Grammatici judicaverint, difficulter inde eruitur. *A. Septimio Sereno*, poetæ Falisco, de quo qui scripserint recensuit Burm. ad Anthol. Lat. lib. I, ep. 27 adscribendum esse suspicabatur Scaliger, tum Barthius Advers. XXXV, 8 et al. loc., quia opuscula ille rustica (et hæc unica caussa affertur) composuisse dicitur: nuper autem doctissimus editor Poetarum minorum Wernsdorfius T. II sine hæsitatione Sereno carmen hoc vindicavit, tanquam partem priorem *Opusculorum ruralium*: etsi hæc lyrico carmine variis metris exarata fuisse memorantur; potuisse enim præmitti carmen hoc hexametrum. Ita ad Vespasiani tempora illud rejicitur. Monitum illud quoque a viris doctis est, scriptum jam a *Suevio* fuisse idyllium Moretum, ex quo versiculos profert Macrob. II Sat. 14, sed admodum horridos, si cum nostro Moreto contendas.

Lectionem in antiquis edd. fere eodem modo corruptam vidi: etsi minus fœdatam et interpolatum opus ad nos pervenit, quam cetera. Primum institutam recensionem novam deprehendi in Aldina 1517 Catalectorum: ea fundamentum facta correctioribus editionibus; successere tamen aliæ antiquam lectionem retinentes, etiam Scaligerana. Quandoquidem in hoc poematio non habebamus exemplar, quod ex condicto sequi necesse esset; in Heinsianis enim et Burmannianis non extat; liberum nobis relictum duximus, ut lectionem ipsi constitueremus, Aldina et Scaligerana emendatione pro fundo posita. Non erant ad manus editiones binæ, quibus Moretum sigillatim prodiit, Colinæana 1542, 8, cum Jo. Ruellii scholiis, et Francofurtensis 1626, cum Taubmanni commentario; aliam cum notis Weitzii ad calcem Copæ Francof. 1642, 8, inspexi; et veterem edit. Lips. Thanner 1519 cum Copa et aliis sub tit. *P. Virgilii Maronis, poetarum Achillis, minutiora opuscula.* — (Aliam veterem editionem Moreti

Coloniensem memorant Denis Supplem. p. 691 et Panzer Vol. I, p. 334, 433.) Sed nec erat, quod multa inde sperari possent, quæ non aliunde suppeterent, inprimis ex Barthio, qui in Adversar. XXXV, 8. IX, 16, nonnulla loca attigit. Post priorem meam editionem retractavit hoc carmen et docto commentario expolivit Wernsdorf. in Poet. min. T. II.

Moretum. Multa de etymo nominis comminiscuntur viri docti. Scaliger, a quo hoc carmen Græcis versibus redditum est, P. Ronsardo inscriptum (1), a μυστὸν, μυτλωτὸν, quod tritum, τρίμμα, est, ducit. Alii aliunde (cf. nunc Wernsdorf. l. c. p. 256). Nos illud monere satis habebimus, occurrere vocem apud Ovid. Fast. IV, 365. Fuit quoque exquisitior ejus conficiendi ratio alia, quam apud Columell. XII, 57 videre licet. Laudant quoque Apicium viri docti lib. I, cap. 35.

(1) Hanc versionem Græcam Saligeri infra editam invenies.

P. VIRGILII MARONIS

MORETUM.

Jam nox hibernas bis quinque peregerat horas,
Excubitorque diem cantu prædixerat ales;
Simulus exigui cultor quum rusticus agri,
Tristia venturæ metuens jejunia lucis,
Membra levat sensim, vili demissa grabato,
Sollicitaque manu tenebras explorat inertes,
Vestigatque focum; læsus quem denique sensit.
  Parvulus exusto remanebat stipite fumus,
Et cinis obductæ celabat lumina prunæ:

2. *cantu prævenerat* una vetus membrana Scaligeri. Unde bene suspicatur Jacobs fuisse *præverterat*. — 3. *Simylus* vett. ed. Ven. Sed a simo Simulus deductum nomen vernæ impositum. *Similus* videtur Heins. probare ad Fast. III, 754, et ap. Auson. Epigr. 85 ex Græco Μεμφὶς ὁ σιμὸς *simius* emendatur *Similus*. *exigui cultor quum rusticus horti* vulgo in edd., etiam in veteribus, legitur. Sed *agri* recte Ald., idemque ex vet. membrana præferebat Scaliger. Nam hortulus, de quo infra agitur, tantum tuguriolo erat adjunctus: ipse, colonus pauper, agellum conduxerat: cf. fin. carm. — 5. *sensim vili*. Ita primum Ald., quum antea esset: *vili sensim demissa*: minus commode. Scriptum tamen vel sic malim: *Sensim membra levat vili d. g.* Non enim lentitudinem hominis rustici tarde et invite se levantis exprimi his numeris dicam. — 6. *tenebras.... inertes*. In promtu est suspicari *inanes* scriptum fuisse, ut *aer inanis*, *vacuus*. Heins. conj. *inertem vestigatque focum*. Verum *iners* non modo est, quod nec movetur, nec movet, verum etiam id, quod motum difficilem reddit; et poeta ad tenebras transtulit epitheton commune noctis, frigoris, somni. *Nox iners*, qua nullum animans de movet: hinc *tenebræ noctis inertes*: sine motu, tacitæ, silentes. — 7. *sentit* ms. Helmst. — 8. *exusto remanebat stipite fumus*. Nihil verius, nec ad naturam rei accommodatius: prodit enim fumus tenuis favillam occultam. Nec minus tamen eleganter conj. Scaliger: *exusto remanebat stipite fomes*. In idem inciderat Heins.; at parum feliciter Barthius Advers. XXXV, 8 *exusto emanabat*.

2. Gallum gallinaceum ornant passim poetæ, et notum est illud Prudentii: *Ales diei nuntius*, ubi plura dant Intpp.

4. Docte: ne diem impastus exigeret, ne sine pane esset.

7. *læsus*: suaviter; offensa manu ad focum, vel cinere adusta.

Admovet his pronam, submissa fronte, lucernam,
Et producit acu stupas humore carentes,
Excitat et crebris languentem flatibus ignem.
Tandem concepto tenebræ fulgore recedunt;
Oppositaque manu lumen defendit ab aura,
Et reserat clausa, quæ prævidet, ostia clavi.
Fusus erat terra frumenti pauper acervus;
Hinc sibi depromit, quantum mensura patebat,
Quæ bis in octonas excurrit pondere libras.

10. *Admovet is* ms. Helmstad. — 11. *acus* alios legere Ascens. notat. Scaliger, vir summus, nimium proclivis in antiquata et κατὰ γλῶσσαν dicta, *acu* accipit: *in acum* producit stupas; acus enim, inquit, nomine, vel aciæ intelligitur, quicquid ex lino aut lana aut stupa similibusve carpebatur, ut linamenta, καὶ μοτάρια καὶ τιλτὰ chirurgorum. Ita vir doctus ad acum transfert, quod de acia, nec satis accurate tradidit. Atqui illud omnis anus facere solet, ut stupam fungo obtusam acu producat, lucernam flammæ admotura. — 12. *crebris....flatibus*. Male Norimb. *faucibus*. — 13. *Tandem ut c.* em. Heins., vix bene. — 15. *Et reserat clausa, quæ prævidet, ostia clavi.* Hæc vulgata lectio, inde ab Aldina: nam in antiquioribus *clavis*. In membrana Pithœi Scaliger invenerat: *Et reserat clave, quæ pervidet, ostia clavis*, et in alia: *Et r. clausæ, qua pervidet, ostia, clavis*. Hinc varia molitur vir doctissimus: modo, ut clavem clausam interpretetur occultam, quæ intus aperiat, modo ut legat: *Et reserat calæ*, h. μόχλου, vectis, vel *Et r. casulæ....* ut *ostia clavis* vocet τὴν ὀπὴν, ubi inseritur clavis, vel tandem: *Et r. clausæ, qua pervidet, ostia clavis*: τὴν ὀπὴν τοῦ κεκλεισμένου κλήθρου. Nam *qua pervidet* etiam in tertia membrana scriptum viderat; et *provident* vel *pervidet* etiam ms. Koeler. Omnia hæc ab invita Minerva profecta, ut non minus illud, quod Salmas. Exerc. Plin. p. 656. D. propinat: *Et r. casulæ, qua prævidet, ostia clavi*. Tolerare præstat *qua prævidet*: requirebatur *qua prospicit*. In *clausa....clavi* latet error, quem facile deprehendas, quum desideretur locus, quem foribus reseratis aditurus est, quique pro granario erat. Ea autem haud dubie est cella granaria casulæ adjuncta: igitur expedita lectio esse videtur: *clausæ,...ostia cellæ*. Hoc Barthius quoque vidit Advers. XXXV, 8, qui conj. *Et reserat cellæ, qua prævidet, ostia clavi*. Sed quæ in medio posita sunt, *quæ prævidet*, vix sine libris sanari possunt: vagatur enim omnis conjectura. Heins. ingeniose tentat: *Et reserat caveæ sua providus ostia clavi*. — 16. *terra* vett. edd. Scalig. Aldina vero *terræ* intulit; utrumque defendi potest. — 17. *quantum mensura petebat* eadem Aldina recepit. Præfero tamen, vel Scaligero invito, veterem doctioremque lectionem: *quantum mensura*, vas, *patebat*, adeoque capiebat, ὁ χώρει: erat enim mensura XVI librarum. Præfert hoc Barth. quoque Advers. XXXV, 8 et Heins., qui ablegat ad Lucanum. — 18. *octavas* vett. edd., ex vitio

10. 11. Lucernam olearem cogitare necesse est; eam admovet inclinato capite, submissa fronte. At Barthius XXXV, 8 *frontem lucernæ* interpretatur.

18. XVI libras pondo frumenti mensura capit: ergo in sequentem quoque unum et alterum diem fami prospicit. Nam demensum diurnum, quod servis Romæ præ-

Inde abit, adsistitque molæ; parvaque tabella,
Quam fixam paries illos servabat in usus,
Lumina fida locat; geminos tunc veste lacertos
Liberat, et, cinctus villosæ tergore capræ,
Præverrit cauda silices gremiumque molarum.
Advocat inde manus operi, partitus utrinque:
Læva ministerio, dextra est intenta labori;
Hæc rotat assiduis gyris et concitat orbem.

octanas, et *occurrit*. Porro Scaliger in uno libro invenerat: *Quæ bifido*, unde ille refingebat: *Quæ bifido octonis excurrit pondere libris*. Poterat tamen sine ulteriore mutatione constare versus: *Quæ bifido octonas excurrit pondere libras*, h. excedit. Sed ludibrium corruptelæ hoc *bifido* esse arbitror. — 21. *Lumina ficta* vel *fida* ms. Koeler. — 22. *villosæ tegmine capræ* vett. edd. est lectio: nec mala; nisi doctiorem prodidisset Aldina: *tergore*, quam Scaliger quoque in scriptis invenit. Agitur autem de rhenone ex pelle caprina. — 23. *Pervertit* et *Perverrit* vett. edd. Alterum *Præverrit* Aldina dedit. Tum *Pervertit caudaque cavum gremiumque m.* Norimb. Koberg. et Ascens. cum Junt. aliisque, ex interpretatione, suspicor, in margine apposita. *silices*, molares intellige, nam duo sunt lapides sibi impositi. *gremium molarum* pro interiore parte. Insolenter dictum censebat Heins. ad. Ovid. III Am. 13, 24, et emendabat *gremioque molares*. Ut sit *gremio*, capræ tergore, quo cinctus erat. Sic *togæ gremium* Florum dixisse. Non magis hoc placet. Forte fuit: *geminumque molarem*. v. Not. — 24. *Advocat inde operi*. Dubia scriptura. Sic enim vett. edd. et scripti Scaligeri: et videri potest doctius, quam quod Aldina invexit: *Admovet inde operi*. Hoc tamen vocabulum rei proprium, et facile deflecti potuit in alterum. In fine versus vulgo legitur: *partitus utramque*: quod Latine vix dici posse Scaliger quoque notavit: *partim utramque manum*. Nec suaviter puto dictum esse *Admovet operi manus, partitus, utramque*, ut *manus utramque* jungas. Ipse e mss. profert *partitus utrique*, scil. manui opus: malim *partitus utrinque*, scil. opus, ut ab utraque manu tractaretur; et obtulit hoc idem ms. Koeler. — 26. *assiduum.... orbem* manuscripta lectio apud

bebatur, [illegible]ium fere librarum erat, ut Opusc. T. I, p. 251 ex Catone de R. R. 56 docui: etsi ad illud exactum fuisse demensum coloni necesse non est. Sibi et servulæ Cybalæ simul victum parare putandus est Simulus.

23. *cauda*, peniculo, quo ad verrendas mensas et alia utebantur veteres. Docuit ad h. l. Scaliger. Describit autem hinc poeta molam manuariam, trusatilem seu versatilem, binis saxis asperis sibi ita impositis, ut, inferiore manente immobili, superius, quod v. 26 *orbem* appellat, circumactum attritu grana frangeret. Successerat ea molæ pristinæ, quæ mortarium erat, in quo pistillo frangebantur grana. *ministerium lævæ* in congerendis et infundendis granis consistere videtur. Tum *Tunsa Ceres rapido silicum decurrit ab ictu*, v. 27, grana tunsa, adeoque farinam, in subjectum vas, quod eam excipit, decidere significat.

26. *orbem*, lapidem molarem, sed superiorem qui perpetuo rotatur.

Tunsa Ceres rapido silicum decurrit ab ictu.
Interdum fessæ succedit læva sorori,
Alternatque vices: modo rustica carmina cantat,
Agrestique suum solatur voce laborem.
Interdum clamat Cybalen: erat unica custos,
Afra genus, tota patriam testante figura,
Torta comam, labroque tumens, et fusca colorem;
Pectore lata, jacens mammis, conpressior alvo,

Scaligerum, quæ concinnior ipsi videtur. Verum hoc, sed sic *gyris* nullo epitheto adornatum minus placet. *et concutit orbem* ms. Helmst. et Koeler. Sed orbis haud dubie molaris est superior, qui circumagitur et concitatur, non autem concutitur. — 27. *Tunsa Ceres* cum Aldina scripsi: aitquoque Scaliger scriptam lectionem habere: *Tusa Ceres*. Vulgo: *Trita Ceres*. Mox eidem Aldinæ debeo ordinem: *rapido silicum*; quum vulgatus sit: *silicum rapido*, minus jucunde. Tandem *actu* proprium, arbitror, esset vocabulum; nam agitur molà, circumagitur; quod etiam Scaliger maluit, sed ut ἀγὴν interpretaretur, quod longe petitum. *ictus*, quod de omni impulsu dicitur, de attritu accipiendum. — 29. *Dein rustica* ms. Koeler. *Dehinc* ms. Helmst. — 31. *Interdum*; ita vett. edd., ut somnolentam puellam non statim grabato levatam evocet, præfertque hoc Scaliger quoque cum Drakenb. ad Silium VI, 30. Aldina: *Interea* intulit. Tum *Cybalen*, *hæc erat* vett. edd., nisi quod Norimb. *Cybalem* (Ascens. autem cum sua secta *Cybalen*) *erat*. Aliæ edd. inde ab Aldina *Cybale*: *hæc erat* correxerunt. Vitium haud dubie in inserto *hæc* latebat; itaque emendavi: *Cybalen*: *erat unica custos*. Porro *Scybalen* semper habebat vetus scriptura Scaligeri, ut nomen ridicule formatum esset παρὰ τῶν σκυβάλων. *Scybalen*: *erat* etiam Gronov. Obss. I, 16 maluisse video. In ms. Helmst. erat *Thybale*. — 32. *tota figura*, toto corpore. Scaliger tamen *tosta figura* malit; ut tantum ad vultum ejusque colorem voc. *figura* spectet. *Crines torti* et *labia tumentia* præ ceteris memorari solent in his Afris. cf. Epigr. 162 lib. III Anthol. Lat. ubi; *Quem nisi vox hominem labris emissa sonaret, Terrerent visos horrida labra viros*. An seriores dixere *visos*, qui viderunt? Forte fuit: *Terrerent rictus horrida labra viros*. labia horridum in morem tumida. — 34. *Pectore lata, jacens mammis*. Rotundiorem orationem ex

32. Qui sequitur, præclarus est locus de habitu corporum Afrorum: qui idem prorsus est qualem nunc cernimus: ut, naturam sibi per omnia sæcula constare, dubitare non liceat. Similis Petronii locus c. 102, quem jam viri docti excitarunt, ad alios Africæ tractus spectat, et de servis ex Æthiopia agit, similibus iis, quos Negros appellamus: *Atramento.... mutemus colores a capillis usque ad ungues. Ita tanquam servi Æthiopes.... age numquid et labra possumus tumore teterrimo implere? numquid et crines calamistro invertere? numquid et frontes cicatricibus scindere: numquid et crura in orbem pandere: numquid et talos ad terram deducere? numquid barbam peregrina ratione figurare?* Propria hæc hominum istorum fuisse videntur. Alia loca a Junio de pictura III, 8, 4 et Fea ad Win-

Cruribus exilis, spatiosa prodiga planta;
Continuis rimis calcanea scissa rigebant.
Hanc vocat, atque arsura focis inponere ligna
Imperat, et flamma gelidos adolere liquores.
Postquam inplevit opus justum versatile finem,
Transfert inde manu fusas in cribra farinas,
Et quatit: at remanent summo purgamina dorso;
Subsidit sincera foraminibusque liquatur
Emundata Ceres. Lævi tum protinus illam

Aldina et ms. Koeler. dedimus, pro vulgari: *Pectora lata jacent mammis.* Alienum esset, quod an vett. edd. habeant dubito: *tument mammis. Jacens mammis* est, habens mammas jacentes, pendulas; quod proprium est Afris. In fine *compressior alvus* Ascens. — 35. *spatiosam prodiga plantam* leg. — 39. *Postquam implevit opus justum versatile finem.* Ita dedimus ex Aldina; opus versatile implesse justum finem bene dicitur. Scaliger membranas melius habere putabat: *Postquam implevit opus justo versatile fine.* Ita ipse Simulus implevit opus. In antiquioribus edd. truncatus et interpolatus erat versus: *Sed postquam implevit justum versatile finem.* — 40. *Transfert inde manu.* Ex veteri membrana: *Transfert illa manu* legere jubet Scaliger: aliter enim nescio quid ὑποζάρζαρον relinqui. Hoc equidem non expiscari possum. Sed illud video, Cybales partes in subigenda farina esse nullas: nam illa interea aquam calefacit, mox furnum mundat v. 50, adeoque *illa* alienum est a re et loco; pro *fusas* suspicari licet *tufas:* sic et Jacobs. — 41. *Decutit*, sed sine libro, corrigit Scaliger; me invito. Etsi enim farinam inter molendum bene *decuti* dici arbitror: id tamen in seqq. demum scribitur: nunc in cribro quatitur tantum tusa farina. Mox *Ac remanent* vett. edd. *Et remanent* Aldina. Languet oratio, nisi *At* refingas. — 42. *foraminibusque colatur*, pro *liquatur*, nonnullos legisse Ascens. monet. — 43. *Emendata Ceres* Ascens. Norimb.

helmann. T. I, p. 65 Wernsdorf. ad h. v. sunt congesta: sed ea diligentius sunt exquirenda et inter se comparanda; nam diversorum tractuum homines in iis occurrere videntur: scire velim an ex interioribus Africæ locis. Certe inter Ægyptiorum corpora in monimentis vetustis expressa, diversæ stirpis formas deprehendi, dudum animadverteram, et postea ab aliis quoque animadversum vidi. Habiti quoque alii in deliciis, alii ad ministeria urbana, v. II, 3, 55. Theophr. Charact. 21 et Casaub. nunc etiam in agro.

36. Etiam fissuras has et scissuras cutis in pedibus esse Æthiopibus proprias in tanto solis calore aerisque siccitate et endemias, ex Blumenbachio conjunct. didici in lib. de generis humani varietate p. 96, ubi Hier. Mercurialis testis excitatur de decoratione c. 17.

39. *opus versatile:* quod versanda mola absolvitur. Mox cribratione opus esse videmus: adeoque cilicium cribrandæ farinæ idoneum non erat his molis manuariis attextum. Porro *liquatur* eleganter transfertur a liquidis ad farinam quasi liquando mundatam.

Conponit tabula, et tepidas super ingerit undas.
Contrahit admistos nunc fontes atque farinas;
Transversat durata manu, liquidoque coacto
Interdum grumos spargit sale. Jamque subactum
Lævat opus, palmisque suum dilatat in orbem,
Et notat, inpressis æquo discrimine quadris.
Infert inde foco : Cybale mundaverat aptum
Ante locum : testisque tegit; super aggerat ignes.
Dumque suas peragit Vulcanus testaque partes,
Simulus interea vacua non cessat in hora;
Verum aliam sibi quærit opem; neu sola palato

et al. Jam in Copa 20 *munda Ceres*. — 45. *tum* in vulgg. importunum post idem voc. v. 43 in *nunc*, vel *jam* mutandum erat. *nunc* Scaliger quoque emendabat. *admixtas tum fontes* vett.edd., quod correxere alii, ut ed. Norimb. et Ascens. *admixtas tum frondes*, alii, ut Aldina, *admixtos tum fontes*. Tum interpungitur vulgo post *fontes*, parum commode. Nam fontes et farinas Simulus cogit ac contrahit in unum globum, ut mox iterum manu injecta digerat. Totus vs. 45 a ms. Koeler. aberat. — 46. *Transversat durata manu*. Scaliger emendat : *Transversa durata manu liquidoque coacta :* ut transversa manu contrahat *fontes atque farinas*, *durata*. Quam dure ! Feram itaque vulgatam, sed emendata interpunctione : *Transversat durata manu :* ea, quæ induruere cogendo, transversim iterum manu subigit. Conjicio tamen scriptum fuisse : *Transversat duratque manu*. Barthium quoque conjectasse video : *Transversa durante manu*. Mox *liquidoque coactu* Ascens. interpretatur. Sed quos subjungit *grumos* farinæ ii non nisi *liquido coacti*, per liquorem, aquam, particulis farinæ cohærentibus, existere potuere : itaque *liquidoque coactos* conj. Heins., nec male. Idem paullo ante *manus*, nescio quo fructu. — 47. *grumo* vett. edd. cum ms. Koeler. et Helmst. *Salis grumos* si hic quæras, legendum erat : *grumos spargit salis : inde*. Poterat et *grumos sale* ita accipere aliquis, h. grumos de sale, salis. In fine *Jamque subjactu* Norimb. Totum locum Heins. ad Ovid. Fast. I, 338 sic emendabat : *Contrahit admistis nunc fontibus* (non *fortibus*), *atque farinas Transversa duratque manu : liquidoque coactos Interdum grumos spargit sale.* — 48. *Lævat opus*, ex vett. edd. revocavimus, Scaligero quoque hortante : nam lævigat panem in placentæ morem et dilatat. Aldina dedit : *Format opus.* — 51. *Ante focum* licet. conj. cum Heinsio. *testisque tegit : super*; sic Ald. cum ms. Koeler., eamque priscam lectionem esse Scaliger testatur. Vulgo editum : *testisque tegens super :* quod tamen nunc non multum absum quin præferam aut scribam : *testis tegit et super aggerat.* — 52. *Vulcanus Vestaque* vetus est lectio quam non satis assequor. Aut enim idem est utrumque, aut cum Ascensio inter crassiorem et tenuiorem ignem discrimen facere necesse est. Itaque amplector Aldinam lectionem : *testaque*, nam a testis calefactis coctio panis acceleratur. Nisi *Vesta* focus est. — 54. *ne* ed. Ascens.,

45. Repræsentanda hic est animo pistoria opera in subigenda farina. Panem autem hic videmus parari sine fermento, azymum : tum v. 49 in quadras dissectum, quas Scaliger ad h. l. illustravit.

Sit non grata Ceres, quas jungat, comparat escas.
Non illi suspensa focum carnaria juxta,
Durati sale terga suis, truncique, vacabant:
Trajectus medium sparto sed caseus orbem,
Et vetus adstricti fascis pendebat anethi.
Ergo aliam molitur opem sibi providus heros.
Hortus erat junctus casulæ, quem vimina pauca
Et calamo recidiva levi munibat arundo;

minus bene. Nam copula requiritur, *et*, *ne* etc. — 56. 57. Obscura est oratio. Scaliger tantum *vacabant*, quod vulgo legitur, in *rigebant* mutat, quod vett. edd. habere ait, quas equidem nullas vidi. *Non* adeo *durati sale terga suis truncique rigebant*, h. erant ei; sale enim et fumo durata rigent. Nec male hoc dictum putabo. Trunci possunt esse vel pernæ suum aliaque majora frusta, vel jungendum *suis trunci*, h. truncati, in partes dissecti. Prius equidem præfero. Sed hæremus adhuc in priore versu: *Non illi suspensa focum carnaria juxta*. Ex carnario (vid. Indic. Scriptt. R. R.) pendent pernæ. Ipsa carnaria, h. unci ferrei, si juxta focum fixa, infixa parieti sunt; non possunt dici *suspensa*. Ut per appositionem: *carnaria, durati sale terga suis*, dicantur, placere potest; si *carnarium* ipsam carnem esse dicas; quod exemplo caret. Laborare adeo mihi videbatur locus; necdum a Wernsdorfio difficultatem sublatam video, quomodo carnarium *parieti infixum* dictum esse possit *suspensum*. Scilicet res ita expedienda: *carnarium* illud tignum seu instrumentum, clavis seu uncis, ex quibus carnes suspendi possunt, non parieti infixum, sed ex camera seu ex unco parieti infixo pendulum est, adeoque et ipsum *suspensum* ex unco vel clavo. Heins. ad Ovid. Met. VIII, 647 conj. *replebant;* ubi vide. Concedo in partes Wernsdorfii, qui bene monet, *vacare* dici h. l. quæ præsto erant, parata et in promtu. Lucan. V, 327. *Tot reddet Fortuna viros quot tela vacabunt*, aderunt. — 58. *sparto* præclara est Aldinæ emendatio: pro vulgari: *parco*, vel *parto*. — 61. *casulæ junctus* ms. Koeler., numerosius. — 62. *Et calamo recidiva levi munibat arundo*. Primum Scaliger ait, vimineta et arundineta muniendis hortis aut sepibus obtendendis usum præstare non solere, adeoque refingit, *minuebat*, partem de horto occupabat. Hæc vero argutula sunt, et a loco aliena; laudatur enim mox hominis industria in horto colendo. Cogitandum est hortulum brevi fossa fuisse circumductum, quæ juncis obsita erat. Tum pro *calamo* vett. edd. *calmo:* ac si *culmo* voluerint. *recidiva*

56. Quum homini nullum esset obsonium, nam in carnario non perna, sed caseus suspensus erat, adit hortum, et ex eo petit allium aliasque herbas, unde illud sibi paret. *Non illi vacabant*, otiose in penu reposita habebantur, pro simplici: non ei erant, *carnaria*, h. e. unci ferrei, *juxta focum suspensa*, penduli ex tholo seu camera; per appositum dicta, *terga suis sale durati truncique;* sed casei ei in promtu erant junco, tanquam filo, in fascem colligati.

61. Hortulus casæ accubabat exiguus, pro sæpe munitus juncis arundinibusque in parva fossa aquam ex imbribus collectam servante prominentibus *arundo recidiva*, iterum iterumque repullulans, si recisa fuerit. Vulgatæ edd. *redimita*, nullo sensu idoneo.

Exiguus spatio, variis sed fertilis herbis.
Non illi deerat, quod pauperis exigit usus.
* Interdum locuples a paupere plura petebat. *
* Nec sumtus erat illud opus. Sed regula curæ: *
Si quando vacuum casula pluviæve tenebant,
Festave lux; si forte labor cessabat aratro;
Horti opus illud erat. Varias deponere plantas
Norat, et occultæ conmittere semina terræ,
Vicinosque apte cura submittere rivos.
Hic olus, hic late fundentes brachia betæ,
Fecundusque rumex, malvæque, inulæque virebant;
Hic siser, et capiti nomen debentia porra;

erundo ex Aldina ducta est; uti et Scaliger veterem scripturam esse ait, *redi-viva;* quæ perpetua variatio lectionis est. Vulgg. et vett. edd. *redimita.* — 64. *Nil illi d.* melius ms. Helmst. *exigat* f. Heins. — 65. *Interdum locuples a paupere plura petebat.* Versum ex margine agglutinatum arbitror, nec sensum satis me assequi fateor. An voluit: Interdum etiam locuples, h. e. qui majorem hortum ipse colebat, petebat a paupere, a colono hoc, Simulo, scil. quod ipse in suo horto non haberet. Pro *plura* saltem malim *multa*, quod et ms. Helmst. habebat. — 66. Etiam de hoc versu dubito; inprimis propter v. 69: non hortus erat opus sumtus, seu impensæ in eum factæ; sed curæ regula erat hæc, ut etc. Porro *hujus opus* Ald. Ita distingui posset: *Nec sumtus erat hujus, opus sed regula curæ,* h. nec hujus curæ regula erat sumtus, sed opus. Sed et hæ argutiæ parum expediunt versum relinquendum monachis. Nec magis Barthii emendatio in Advers. XXXV, 8 *sed regula: Curæ si quando vacuum:* ut sit jung. *curæ si tenebant.* — 69. *deponere plantas* ex Aldina et ms. Helmstad. reposui tanquam doctius: sic Ge. II, 23 *Hic plantas tenero abscidens de corpore matrum Deposuit sulco.* Vulgo legitur: *disponere plantas.* — 70. *occulte* vett. edd., sed *occulta terra* poetica ratione, seu quæ occultat, seu, quod malim, interior gleba, fossa facta. — 71. *Vicinosque apte cura submittere rivos.* Languent illa: *apte cura:* vixque a poeta tam elegante proficisci potuere. Proximum esset *curæ submittere;* quod et Heins. conj. Præstaret; *cultis submittere rivos.* Ita *culta* Virgilius dixit. Nisi *sulcis* malis. Nam et hortorum et plantarum sulci sunt. Ad vulgarem scripturam propius sic accederet *grumis* colliculis exiguis inter sulcos. Sin instrumenti nomen insolentius excidit, *marra* legam, qua effoditur solum et aqua in canaliculum ducitur. Wernsdorf. *apte vicinos* jungit. — 74. *Hic siser* ex Aldina reduxi; veterem hanc scripturam etiam Jul. Pomponius agnoscebat et Scaliger probabat; esse enim siser

67. sq. Memineris loci Ge. I, 259 sq. *frigidus agricolam si quando detinet imber.* Et 268 *Quippe etiam festis quædam exercere diebus.*

69. *Horti opus illud erat:* suaviter: illud temporis intervallum addictum erat operæ hortensi. Notabiles in seqq. plantæ hortenses. *rumex*, lapathum silvestre, apud Plin. XX. s. 85. — *Deponere*, non *disponere:* prius etiam prætulit et merito probavit Wernsdorf.

Hic etiam nocuum capiti gelidumque papaver,
Grataque nobilium requies lactuca ciborum,
Et gravis in latum demissa cucurbita ventrem.
Verum hic non domini, quis enim contractior illo?
Sed populi proventus erat; nonisque diebus
Venales olerum fasces portabat in urbem;
Inde domum cervice levis, gravis ære, redibat,
Vix unquam urbani comitatus merce macelli.

inter hortensia, non æque cicer. In fine restitui *capiti nomen debentia porra* ex Ald., cum qua consentiunt Norimb. et Scaligeri membranæ; est enim porrum capitatum, τὸ πράσον κεφαλωτον. Vulgo *cæpe* legitur, vel *cepa*. conf. ad h. v. Salmas. in Solin. pag. 1001. — 75. Deerat versus membranæ Scaliger., nec tamen ideo damnandus. *Sic etiam* vett. edd. — 76. *Grataque nobilium*. Post hunc versum in eodem Scaligeri manuscripto sequebatur versus iste: *Plurima surgit ibi crescitque in acumina radix*, h. raphanus. Docta interpolatio: siquidem τὸ *ibi* intrusum aliquid satis arguit. In ms. Koeler exaratus est: *Plurima crescit ibi quæ surgit in a. r.* ms. autem Helmst. *crescit ibi surgitque in a. r.* — 77. *dimissa* male vett. edd.; a vertice angustiore in latum ventrem excrescit. — 79. *Sed populi proventus erat*. Scaligeri membrana: *profectus*, utilitas, ὠφέλεια, quod ille malebat. Verum vocem hanc in scriptoribus satis obviam nondum in poeta legi. Tum utilitatem haud dubie Simulus ex venditis oleribus capiebat, ære reportato. Itaque *proventus* recte legitur, h. quicquid nascitur in horto. Mox *certisque diebus* Aldina edidit: ex interpolatione. *noctis* vel *notisque* vett. edd., quod ducit ad *nonis*; nam nundinis ad mercatum in urbem proficiscebantur rustici: atque hoc agnoscit quoque Pompon. Sab. et una vel altera ex membranis Scaligeri. — 80. *Venales humero fasces* scripta Scaligeri lectio, quam ille recipi volebat. Eadem in ms. Koeler. et Helmstad. Nam et mox. — 81. *domum*, inquit, *cervice levis* redibat: ut adeo nec asellum quidem haberet, qui olera veheretur. Hactenus non refragor. Ita tamen *fasces* sic nude positi parum placent. Retinui itaque *olerum fasces*, quod omnino suavius videtur. — 82. *Vix u. u. vacua mercede macelli* vetus scriptura apud Scaligerum: quam non admittam equidem.

76. *Grataque nobilium requies lactuca ciborum*. Bene notat Scaliger, eo adeo, quo scriptum est hoc idyllion ævo, adhuc lactucis clausisse cœnas suas homines. Nam Martialis ætate aliter, ut ex noto Epigrammate constat: *Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum, Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?*

77. Colum. X, 234 *Et tenero cucumis, fragilique cucurbita collo.*

78. 79. *proventus* h. l., ut Ge. II, 518 *proventus sulcorum*, ipsa illa olera, quæ educat Simulus. His ipse non utebatur, sed populo illa vendebat ad urbem deportata. *Contractus* h. l. parcus, modicus.

81. Reminiscitur unusquisque versum Eclogæ: *Non unquam gravis ære domum mihi dextra redibat*. conf. Colum. X, 310. Mox 82 *merx urbani macelli* carnes in macello emtæ.

Cepa rubens, sectique famem domat area porri,
Quæque trahunt acri vultus nasturtia morsu,
Intubaque, et Venerem revocans eruca morantem.
Tum quoque tale aliquid meditans intraverat hortum:
Ac primum, leviter digitis tellure refossa,
Quatuor educit cum spissis allia fibris;
Inde comas apii graciles, rutamque rigentem
Vellit, et exiguo coriandra trementia filo.
Hæc ubi conlegit, lætum consedit ad ignem;
Et clara famulam poscit mortaria voce.
Singula tum capitum numeroso cortice nudat,
Et summis spoliat coriis, contemtaque passim
Spargit humi, atque abicit: servatum gramine bulbum
Tingit aqua, lapidisque cavum demittit in orbem.
Hinc salis inspergit micas; sale durus adeso

83. *Cæpe, Cæpa* promiscue edd. vett. — 85. Colum. X, 108 *Et quæ frugifero seritur vicina Priapo, Excitet ut Veneri tardos eruca maritos.* Nota res. Vide modo Burmann. ad Anthol. lib. VI, ep. 76. — 87. *tellure refusa*, vetus scriptura Scaligeri, sed a loci sensu aliena. — 88. *cum spicis* vett. edd., perperam. *quattuor*, nil refert. — 89. *rutamque rigentem* ex vett. edd revocavi: eleganter, *ἀφροδισιαστικὴν*; nisi, pudori ut consulas, firmam et solidam interpreteris. Contra *coriandra* tenuia. Aldina male substituit *rutamque virentem;* quod et ms. Koeler. habebat. — 91. *lentum.... ignem* corrigebat Heins. ad Ovid. Fast. II, 578, sed *lætum* multo accommodatius h. l. esse nemo dubitet. — 93. Vett. edd. pertinaciter exhibent: *numerosa cortice*, præter Norimb. Ald. vero *nodoso cortice*, et vetus scriptura apud Scalig. *nodoso corpore;* ms. Koeler. et Helmstad. *nodoso vertice*, quod in allia vix cadere videtur. *nodoso cortice* defendit Gronov. contra Cruceum p. 186. Jo. Schrader. conj. *Singula tunc apte*, non accedam. — 94. *contentaque* Norimb. — 95. *adicit* vett. edd., sed recte Aldina *abicit*. Mox *servatum gramine bulbum* non satis expedio. Non de bulbis, quod plantæ genus est, hic agitur: adeoque hic bulbus est alii caput interius, exterioribus pelliculis nudatum et decorticatum. Ergone abjectas membranas *gramina* appellat? An voluit *servantem germina bulbum?* ut *germina* nucleus sit, qui idem semina et germina continet? Heinsium video conjicere *Servatum stramine.* melius Jo. Schrader: *Servatum in germine bulbum.* — 97. *aspergit* ms. Koeler. et Helmstad. cum Aldina. *Sale durus adeso Caseus adjicitur.* Proprie *caseus sale adesus*

83. *Cepa rubens;* Plin. XIX, 6, 32 *rufa acrior quam candida.* Tum *sectum porrum* est sectile, ex horto sublatum; *area porri* autem de area horti porris consita accipienda.

96. Nunc de mortario agitur: quod cum mola superius commemorata male permiscent Intpp.

Caseus adjicitur; dictas super ingerit herbas;
Et læva vestem setosa sub inguina fulcit.
Dextera pistillo primum fragrantia mollit
Allia; tum pariter misto terit omnia succo.
It manus in gyrum; paullatim singula vires
Deperdunt proprias; color est e pluribus unus;
Nec totus viridis, quia lactea frusta repugnant;
Nec de lacte nitens, quia tot variatur ab herbis.
Sæpe viri nares acer jaculatur apertas
Spiritus, et simo damnat sua prandia vultu.
Sæpe manu summa lacrimantia lumina tergit;
Inmeritoque furens dicit convicia fumo.
Procedebat opus: non jam salebrosus, ut ante,
Sed gravior lentos ibat pistillus in orbes.
Ergo Palladii guttas instillat olivi,
Exiguique super vires infundit aceti,
Atque iterum conmiscet opus, mistumque retractat.
Tum demum digitis mortaria tota duobus
Circuit, inque globum distantia contrahit unum,
Constet ut effecti species nomenque moreti.
Eruit interea Cybale quoque sedula panem;
Quem lætus recipit manibus, pulsoque timore

dicendus erat: ut omnino ea, quæ sale condiuntur, adesa. Scaliger exemplo vocis *vescus* illustrat: quum et *corpora vesca* et ipsum *sal* quoque vescum dicatur. Sed sufficit, poetis licere epitheta a passione ad actionem transferre. *adusto* Norimb. Ascens.; tum prior illa *divus* pro *durus*. — 98. *superinserit* vett. edd. ante Aldinam. — 107. *summo.... vultu* hæserat in vett. edd. ad Ald., ut et paullo ante v. 104 *frustra*. — 110. *Nec tam s.* ms. Koeler. et Helmstad. — 111. *Sed graviter* iidem mss. *lentus* vett. edd. eædem. — 114. *mistumque recurvat* mss. iidem. *pistum* conj. Heins. — 118. *Eruit* recte Aldina, scil. e cinere. At vett. *Exuit*. — 119. *lætus recipit* vetus Scaligeri membrana suppeditavit. Vulgg. *lotis recipit manibus*,

109. *fumo*. Aut fumo ex igni, aut allio graveolenti: ut *fumus* sit odor ille ex allio diffusus vehemens, δριμὺς, ut Scaliger: repetitum tamen *sæpe* videtur postulare prius: quod et Wernsdorf sequitur.

117. *Constet ut effecti species nomenque moreti*. ut vere possit *moreti* loco et nomine haberi, quippe ad eum modum confectum et absolutum, quo moretum vulgo parari solebat.

Jam famis, inque diem securus Simulus illam,
Ambit crura ocreis paribus, tectusque galero
Sub juga parentes cogit lorata juvencos,
Atque agit in segetes, et terræ condit aratrum.

vett. edd. *recipit lotis manibus*. — 120. *Jam famis* e ms. Koeler. reposui pro *Hinc famis*. — 123. *terræ immittit a*, ms. uterque, ex interpretamento: vomer terræ immissus solo conditur.

121. Carminis lepos usque ad extremum servatus delectat; ocreæ erant calceamenti genus, crura ipsa vinciens, quo utebantur, qui opus rure faciebant, agricolæ, venatores. Hi et cothurni. Vid. Virg. Ge. II, 8. et Serv. ad Æn. I, 336. Etiam Horatius Sat. II, 3, 234, de de venatore: *In nive Lucana dormis ocreatus*. Vid. Ulitius ad Grat. v. 338, et Nemes. 90. *Galerus* quoque erat rusticum et pastorale capitis tegumentum, propulsando solis calori. de quo vid. quæ notavimus ad Grat. v. 340. C. W.

122. *Juga lorata* Vitruvius *subjugiorum lora* vocavit lib. X: *Eadem ratione jumenta, cum juga eorum subjugiorum loris per medium temperantur, æqualiter trahunt onera*. Cato *subjugia lora* vocat. Lindenb.

123. *Segetes* pro agris, ut Virg. Ge. I, 47. *terræ immittit* ms. Helmst.

N. B. Virgilii omnia opera concludet sequens Moreti versio, quam Græcis versibus expressit elegans nec satis laudata nostris temporibus Musa Scaligeri. N. E. L.

MORETUM

GRÆCIS VERSIBUS REDDITUM

ET P. RONSARDO OBLATUM,

A JOSEPHO SCALIGERO.

Ηδη χειμερινῆς τέτρατον λάχος ἵςατο νυκτὸς,
Κωκκύζων δ' ἄγγελλε πανόρθριος ἦμαρ ἀλέκτωρ.
Σιμύλος ἐργατίνης πενιχρὸς σμικρῷ ἐπὶ κήπῳ,
Νήςην ὀσσόμενος λιμὸν φρεσὶ τῆς ἐπιούσης,
Δὴ μόγις ἐξ εὐνῆφι παρήορα γυῖ' ἀναείρας,
Νυκτὸς ἀμορβαῖον κνέφας ἀμφαφάᾳ παλάμῃσι,
Καὶ πῦρ ἰχνεύει· τοῦ δ' ᾔσθετο ἀλγοσύνῃσι.
Φιτρῷ ἐν αἰθαλόεντι πυρὸς βραχὺ λείψανον εὗδε,
Ἐν δὲ φάος κρύφιον κεῦθε σποδὸς ἀμφικαλύπτων.
Πρηνίχθη γ' ἐπὶ κρᾶτα, θέμωσε δὲ λύχνον ἀνῆφθαι.
Ἀζαλέα δ' ἐπὶ τοῖς ςυπήϊα λεπτύνεσκε,
Ζωπύριον ἀδρανὲς συχναῖς ῥιπῇσιν ἐγείρων.
Δαιόμενος δ' ἆρ λύχνος ὑπωροφίην κέδασ' ὄρφνην.
Φωτὶ δ' ἐπὶ σφαλερῷ σκέπας αὔρης χεῖρα προϊσχὼν,
Κλειδὶ θύρην ᾤϊξε καταντία πρόσθεν ἄποπτον.
Σμικρός τις σίτοιο χαμαὶ θημὼν ἐκέχυτο,
Ἔνθεν ἀφυσσάμενος ὅσον ἴγμενον ᾔτεε μέτρον,
Τόῤῥα δὶς εἰς ὀκτὼ κορυφούμενον ἵςατο λίτρας,
Πρόσθε μύλης ἔςα, καὶ ἐπ' ἰκριόφι λιγνύεντι,
Ἦ ποτὶ τοίχῳ ἄρηρε τοίαις ἐπίκαιρον ἀνάγκαις,
Λύχνον ὑποδρήσσονθ' ἱδρύεται, ἐκ δὲ δὺ' ὤμω
Γυμνώθη, καὶ ςέρφος ἰονθάδος ἐνδυτὸς αἰγὸς

Συρφετὸν ἐκκορέει κέρκῳ χνοάοντα μυλάων.
Χερσὶ δ' ἐπισπέρχων πονέει δίχα ἀμφοτέρῃσι,
Λαιῇ ἀτμεύων, ποιπνύων δ' ἄρα δεξιτερῇφι.
Τῇδε τροχὸν μάλ' ἔπειγε διηνεκὲς ἐν ϛροφάλιγγι·
Ὀμπνιακὸς μὲν ἐπὶ πρὸ μυλήφατος ἔκθορεν ἀκτή.
Καὶ τότε δὴ κάματον λαιὴ μεθέλεσκεν ἀδελφῆς
Ταρφὲ' ἀμειβομένη· τότε δ' ἄγρια βουκολίαζε,
Καὶ πόνον ἀγροτέρῃσι παρηρτορέεσκεν ἀοιδαῖς.
Αὖε μεταξὺ πονῶν Κυβάλην· ἡ δ' οἱ Λιβύηθεν
Ἦε φύλαξ, πάτρην μορφῆς τύπῳ ἀγγέλλουσα,
Οὐλοκάρηνος, χρῶτα μελάγχροος, ἠδὲ πρόχειλος.
Στερνοπλατὴς, βούμαζος, ὀλιζοτέρη κενεῶνας,
Δαισποδίη, πτέρνῃσι πελώριος ἀμφὶ πλατείαις,
Ῥωγαλέοις δ' ὑπένερθε βάσιν κεχάρακτο χιμέτλοις.
Τὴν καλέει, καὶ ἐπ' ἐσχαρόφι ξύλα κάγκανα Θῆμεν
Κέκλεται, ἐν δὲ πυρὶ ψυχρὸν θερμαινέμεν ὕδωρ.
Ὄφρα μύλης ἔργον περιηγέος ἐξετελέσθη,
Τόφρ' ἐπαμησάμενος ἐνὶ κοσκίνῳ ἦκεν ἄλευρον.
Ἀμφιπαλὼν μὲν ἔσειεν, ὕπερθε δὲ λύματα μίμνεν·
Ἀκραιφνὴς ὑπόεικεν, ὀπῶν τ' ἄρα πᾶς διεκρίνθη
Κρίμνος ἀκηράσιος. Πλαθάνῳ μὲν ἄφαρ τάδε λείᾳ
Ἔνθετο, τινθαλέοις δὲ διάβροχα νάμασι θεῦσε
Δεψήσας ὕδωρ ἄμυδις, καὶ παιπαλόεν κρῖ
Χειρὶ πλάσας λεχρίῃ ἀναμὶξ νύμφαισι πεπηγός,
Ἄλλοτε πασσάμενος χόνδρους ἁλὸς, ἐν δ' ἀποπλάττων
Φυραθέντα κύκλωσεν εὐτρόχαλα παλάμῃσι,
Καὶ βλωμοῖς ἀτάλαντα διέτμαγε τετραδίοισιν,
Ἐν δ' ἐφέηκε πυρὶ, Κυβάλη τό γε πορσύνουσα
Στρῶσε πάρος, κεράμῳ δ' ὑπέθη νηησάμενος πῦρ.
Μέσφα μέρος πονέεσκεν ἑὸν μένος Ἡφαίϛοιο,
Οὔτι μεταχρόνιος ἀνελίννυε Σιμύλος ἔμπης.
Καί τι νέον μεμαὼς, ἵνα μὴ δίχα ὄμπνιος ἀκτὴ
Γεῦσιν τυτθὸν ἀρέσσαι, ὀνείατα γ' ἄλλα πορίϛει.
Οὔχ οἱ ὑπὲρ καπνοῖο μετήορα νῶτα τάριχα·
Σκληρὰ συὸς σιάλοιο γὰρ ἔσχατα κῶλα λελοίπει.
Ἂν δὲ σπάρτῳ ἄορτο πεπαρμένος ὀξέϊ τυρὸς,
Καρφαλέῃ τε τροπαλλὶς ἀνῄθου ἁμαλλοδέτοια.

Ἔνθ' ἄλλο σπεύδει ἐπιτάῤῥοθον ἰσόθεος φῶς.
Κῆπος ἔην καλύβῃ μετοπίσθιος, ὃν λύγοι ἀμφὶς
Καὶ δόνακες Θρίγγωσαν ἐπηρεφὲς καλάμοισι,
Βαιὸς, ἀτὰρ βοτάνῃσιν ἐπηετανοῖς μενοεικὴς,
Οὐδ' ἐπιδευόμενος τῶν τε χρεὼ ἐςι πένητι.
Ῥεῖά τοι ἀφνειὸς καὶ πλεῦνα πενιχρὸν ἀπήτει.
Οὐδὲ τρυφῆς τόδε ἔργον, ἄταρ μέτρον ἦε πόνοιο.
Ἔνδον ὅταν συνέργε διϊπετὲς ἄσπετον ὕδωρ,
Ἰροπόλοι Θ' ὁρταὶ, ἀρότοιο τε ἠρεμέοντος,
Ἔργον ἔην κῆπου, περὶ δὲ πραπίδεσσι κέκαςο
Ὄρχους τοι κομέειν, καὶ σπέρματα πάντα βαλέσθαι,
Καὶ κομιδῇσι τὸ νᾶμα περικτιόνων ὀχετεῦσαι.
Κράμβη μὲν πρασιαῖς, πλατύφυλλά τε σεῦτλα πεφύκει,
Αὐξιθαλὴς λάπαθος, καὶ ϑενδροφυὴς μαλαχείη,
Κωδείης κρόμυον τε φερώνυμον, ἠδ' ἐρέβινθος,
Καὶ μήκων ψυκρῇσι καρηβαρίαις πολυαλγὴς,
Δαψιλέων τε τέκμωρ ἡ Θριδάκη εἰλαπινάων,
Ὀγκώδές τ' ἐπὶ γαςρὶ κυΐσκομένη κολοκύντη.
Τῷ κτήτῃ τὰ μὲν οὗ (τίς γὰρ ἀφελίςερος αὐτοῦ;)
Λαοῖσι δὲ τεθήλει. Ὃ γ' ἐμπρόθεσμα πόλινδε
Ὤνιον ἐμπεράμων λαχάνων κώμυθα φέρεσκεν.
Ἐνθὰ δόμονδ' ἀποφορτος ἀνήϊε, κέρματι βρίθων,
Μηδὲ κρεωπωλείου ἐδητύος ἀντιβολήσας.
Κρόμμυον, ἠδὲ πράσοιο περισχίζοιο ἀλωὴ,
Ῥῖνας ἐπιςύφοντά τε κάρδαμα λιμὸν ἄλαλκε,
Εἰλίποδες κιχορεῖαι, ἐΰχωμόν τε Θοραῖον.
Τοῖα μὲν ὀρμαίνων ὑπὲρ οὐδὸν ἀμείψατο κήπου,
Καὶ τέτορα σκόροδα περὶ δὴ προθέλυμνα λαχήνας
Γηόθεν αὐτοκόμοισιν ἅμ' αἰγλίθεσσιν ἀποσπᾷ.
Καὶ ῥυτὴν χλοερὴν, βραχύφυλλά τε τίλλε σέλινα,
Καὶ κορίαννα κρόκῃσι κατήρεα λεπταλέῃσι.
Καὶ τάδ' ἀμερξάμενος πὲρ ἐπ' ἐσχαρόφιν ἐκάθητο,
Δμωΐδα δ' αἰτίζων εὐεργέα ὅλμον ἀϋτεῖ.
Ἂν δὲ χιτῶνας ἄτερθε πολυπτυχέας ἀπόερσε
Φλοιὸν ἀνιέμενος, ἀπὸ δὲ ῥύπον ἧκε χαμάζε
Κωδειῶν, βόλβου τε κεβληγονίην ἐδίηνεν
Ὕδασ' ἐν ἀγρώσει εἰλημένου, ἐν δ' ἐφέηκε

Λάκτιδι λαϊνέῃ, χόνδρους ἁλὸς ἄμμιγα πάσσων.
Ἐν δ' ἄρα τυροτάριχον ὁμοῦ βοτάναις ἐπίηλεν,
Λαιῇ σπεῖρον ἑλὼν βουβῶνος ὑπὲρ λασίοιο·
Δεξιτερὴ δ' ὑπέρῳ σκορόδων μένος ἀδρὸν ἀλήθει.
Ἀμφύρδην μιγάδεσσιν ἐπιψώχοντος ὀποῖσι,
Χεῖρα δ' ἐπισρῳφῶντος, ἐὸν μένος ὀξὺ λέλοιπε
Πάντ' ἄμυδις, μία δ' ἐκ πολλῶν ἐπενήνοθε χροιή,
Οὐ μάλ' ὀλόχλωρος, Ῥόμβοι δ' ἦσαν γλαγόεντες,
Οὐ γλαγόεσσα δὲ πάμπαν, ἐπεὶ χλόος ἀμφιδεδήει.
Ἄλλοτε δ' ἀνδρὸς ἄφαρ ῥωθώνων δριμὺς ἀΰτμὴν
Ἥπτετό που· ὁ δὲ δόρπα κατέσυγεν ἄμματι σιμῷ.
Ἄλλοτε καὶ χερὶ δάκρυ κυλοιδιόων ἀπομόργνυ,
Νεικείων ποτὲ καπνὸν ἀνάξια χωόμενος κῆρ.
Ἔργον δὴ προΰκοπτ'· οὐ γλισχρῶς, ὡς τὸ πάροιθεν,
Βριθοσύνῃ δ' ὕπερος βραδέως ἐκυλίετο κύκλῳ.
Ἔνθ' ὑγρὰς ῥαθάμιγγας ἐπισαλάει λίπ' ἐλαίου,
Ἐν δ' ὀλίγου ςάξασκεν ἐπισῦφον μένος ὄξεος.
Καί ῥ' ἐπαμησάμενος κυκεῶ πάλιν ἐντολυπεύει,
Δακτυλόφι δισσοῖσι ξυείην ἀμφιπολεύων,
Σφαιρηδόν τ' ἐλάᾳ, τά τ' ἀποςαδὸν εἰς ἓν ἀγείρει,
Ὄφρ' εἴη μυττωτοῦ ἐπωνυμίη τε δομή τε.
Ἐγκρυφίην τοι πύρνον ἀνείρυεν ἐγκονέουσα
Νιψαμένη χεῖρας Κυβάλη. Ὁ δὲ τῆμος ἀεικὴ
Λιμὸν ἀλευάμενός τε καὶ ἀσκηθὴς πρόπαν ἦμαρ,
Κνημῖδας κνήμῃσι, κυνῆν δ' ἐπὶ κρατὶ ἔθηκε,
Τούς τε βόας ἀροτῆρας ἐπὶ ζεύγληφι πέλασσε
Νειόνδ' ἐξελάων, ἐπὶ δ' ὦλακι πῆξεν ἄροτρον.

COMMENTARIA SELECTA

E SERVIO, CERDA,

ET VARIIS INTERPRETIBUS,

QUI AD HUNC DIEM ELUCIDAVERUNT

PUBLII VIRGILII MARONIS OPERA.

LECTORI EDITOR

S. P. D.

Absolvenda nunc, Lector humanissime, supersunt additamenta, quæ promisimus, et in *prospectu* nostro, et in præfatione ad Virgilium, vol. I, pag. xj. Ante alios interpretes Servius et Cerda simul incedent, quod nullos ad latinam poesim docendam, et ad illustrandam Virgilii mentem efficaciores judicavimus per longum professorii muneris curriculum: quorum ex adnotationibus selectis unum interpretationis corpus conflatum tibi mox offeremus.

Inter codices Servii, quos in Bibliotheca Regia Parisiorum asservatos inter se contulimus, eum selegimus, qui doctissimis illorum collectioni præfectis maxime probatus, quique nono sæculo exaratus, nullis interpretibus, neque Joanni Pierio Valeriano, neque ipsi Roberto Stephano, neque Georgio Fabricio Chemnicensi, neque Petro Burmanno innotuit. Hic est ille Codex nondum exploratus, ad cujus fidem ceteras Servii editiones perpendi atque probari voluimus; hic est ille, qui confirmat fere omnia, quæ miro sagacis ingenii acumine deprehenderat Nostras Robertus Stephanus; *multa temere et indocte a nescio quibus addita fuisse* Servianis, quæ detrahenda et immutanda illius auctoritate innixi censuimus, quia nimirum et indefessam in exantlatis laboribus indus-

triam, et optimam in emissis editionibus tanti viri diligentiam, semper grato memorique animo prædicavimus. Si quando Variorum notulas adjicere et nostras etiam inserere visum fuerit, quod parcius et pro necessitate tantum eveniet, illas auctoris cujusque nomen distinctas signabit; atque ita implebuntur, quæ de Philargyrio, Heinsiis, Burmanno et cæteris excerpenda nuntiavimus (pag. xij Præfationis nostræ, §. 3): ita quoque nos illustrissimo Scriptori Joh. Heinr. Voss honorem debitum promissumque solventes, ex ipsius Germanicis animadversionibus in Georgica selectas plures et latine conversas suis locis interseremus; nec te latebit, Lector optime, cui viro (1) recentem hanc novamque lucem debuerimus, ut cuique sua referatur gratia, literis indicibus ad singularum notarum calcem consecrata.

Verumtamen hic de ipso *Servio in integrum*, ut ibi diximus, excudendo, maximas oriri difficultates confitemur: non consentiunt illius codices, neque editiones vel commendatissimæ; inter eruditos homines constat, multa insulse et impudenter in Servii commentariis ante inventam typographiæ artem fuisse interpolata. Ante alios, Phil. Beroaldus, Bononiensis, affirmat multa ab illo scripta fuisse, quæ doctorum oculi nec possent ferre nec deberent, *obelisco magis quam asterico digna*. Rob. ipse Stephanus qui eum, longe quam tunc a quoquam editus fuerat, integriorem dedit, multorum precibus et querelis lacessitus,

(1) Hunc laborem rogatus absolvit Cl. Phil. de Golbéry, in suprema Alsatiæ Curia Regius Pro-cognitor, cui Musæ Latinæ et Germanicæ, non minus feliciter quam ipsa Themis oracula sua crediderunt pronuncianda.

aliquandiu hæsisse ancipitem se non negavit, donec antiquorum codicum fide fretus, quorum unus a Francisco Sylvio, homine doctissimo et perinde humanissimo commodatus emendantem adjuverat, tandem anno 1532, *Servii Honorati in Maronis opera interpretationem diligentissime correctam* ex officina sua emisit. Nihilominus post aliquot elapsa tempora, nempe anno 1547, Georgius Fabricius Chemnicensis vera Servii commentaria majoribus curis expurgata dedit, quibus etiam aliorum plurimas et sagacissimas subjunxit adnotationes. Hunc quoque consulendum evolvimus. Tandem anno 1745, Petrus Burmannus junior, dum Præfatione accuratissima enarraret, quibus copiis instructus ad luculentam Virgilii editionem publico exponendam accessisset illustris Patruus, iterum atque iterum declaravit, Scaligeri in notis ad Varronem, lib. III, de R. R. pag. 252, judicium secutus, *Servii Commentaria mutila et interpolata fuisse*, quorum *misere adfectorum*, inquit, *hodie tantum cadaver habemus, monachorum barbarie et spurcitia contaminatum :* manum igitur emendatricem, vel potius sospitatricem hoc *cadaver* desiderabat. Hanc opinionem confirmat in sua Editione Servii Petrus DANIEL, cujus eloquio et eruditione varia superbiit exeunte XVI sæculo forum Aurelianense. Verum haud ita semper in promtu est a falsis vera, a supposititiis genuina Servii verba discernere. Itaque neminem eorum qui lucem aliquam afferre nobis poterant; non ipsum Londinensem prætermisimus Editorem (1), qui jampridem de Latinis literis optime meritus, maxi-

(1) Abr. Jo. *Valpy* inter typographos celeberrimus.

mas adhuc sibi conciliat gratias et laudes, propter novam magnificamque Classicorum Latinorum Editionem, cujus octo volumina jam nunc in publicum prodierunt.

Omnes, præter Fabricium, admiserunt plurima Servianis immixta, quæ nobis absurda videntur, et idcirco velut indigna tali viro sustulimus, quem mirabilem faciunt, et grammatices doctrina multiplex, et polita literarum studia, et exquisita judicii perspicacitas. Unum inter millia, quod sit satis, proferam exemplum. Non oblita tibi sunt, humanissime Lector, illa primæ Eclogæ duo carmina 39 et 40, quæ durius ab hoc loco aliena, nescio qua de causa, judicat Heynius:

> Tityrus hinc aberat; ipsæ te, Tityre, pinus,
> Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant.

Vide vol. I, pag. 82, Heynii severiorem sententiam de hoc versu 39. Ubique leguntur hæ tanquam Servii notæ: « *Tityrus,* est Virgilius; hoc constat: sed *Pinus,* Roma vel Cæsar: *Fontes,* Poetæ vel Senatores: *Arbusta,* fruteta, id est, Scholastici. » Proh! Phœbi Musarumque pudor! Et iidem Librarii, qui tot nugas pueriles, ne dicamus ineptias, audent Servio adscribere, non reflectunt oculos, neque mentem, ad notam in versum quintum, quam sic conclusit sani judicii interpres; *male quidam volunt Amaryllida dictam allegorice,* id est, de Roma celebranda! *plus enim stupet Melibœus*, si Tityrus ita securus est, *ut tantum* de sua amica, *de suis amoribus cantet.* Ipse quidem Fabricius partem hanc veritatis arripuit, sed mox immemor, dum interpretatur illud infra scriptum, Ecl. I, v. 31:

> Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit;

allegoriam in medium reducit et profert, dicendo sub Galatea Mantuam, sub Amaryllide Romam latere.

Nos igitur hæc et his similia inter se pugnantia, sive alia in Commentariis Heynii laudata aut confutata, quæ in una eademque Editione iterare supervacaneum saltem foret, sive in ipsius Cerdæ, quas modo præmittemus, explicationibus allata, nunc ab hoc nostro Servio procul removeri, te, Lector eruditissime, rogamus admonitum, ne nostræ forsitan negligentiæ, quod est consilii imputes; utque scias, quid de nostris laboribus et studiorum curis erga Maronem et illius interpretes tibi expectandum esse statuerimus,

Jam vero de Joanne Ludovico CERDA, Toletano, nihil fere dicendum nobis superest; namque hunc veluti societatis suæ decus, Professorum eloquentium exemplar, Hispanicarum scholarum lumen, omnigenæ doctrinæ thesaurum stupuerunt coævi (1), eruditaque quotidie miratur posteritas; attamen ex illius *laboriosi et doctissimi,* ut ait Heynius (2), interpretis in Virgilium lucubrationibus, prima argumenta carminum et notas posteriores omisimus, quia jam prima nobis ipse Heynius, et secundas cum Servio ceteri suppeditaverunt. Ea tantum quæ spectant ad distributionem variarum partium in singulis carminibus distinguendam, virtutemque prædicandam, et quæ

(1) Hujus effigiem religiose asservatam in sacrario suo colebat, summus ille Pontifex, URBANUS VIII, non minus pietate, quam Latinæ poeseos et Græcæ linguæ scientia commendabilis, unde APIS ATTICA tunc appellaretur.

(2) Vide vol. I, hujus editionis, pag. 11 et 27.

Explicationes vocat, e triplici voluminum immensorum mole excerpta, et in angustiorem orbem contracta redigemus : neque nos a mutandis aliquot, seu verbis, seu sententiis abstinuimus, ubi sensus, aut Latinitatis ratio postulare visa est; neque nimium, pro sæculi sui more, effusam ingenii copiam et quasi luxuriem amputare et circumcidere dubitavimus, eamdem secuti rationem qua Poeseos latinæ Prælectiones nostras in Academia Parisiensi ad aures audientium semper traduximus. Quam quidem ita placuisse discipulis, ut non semel plauserint; ita magistris adsidentibus, ut deinde fuerint imitati, nunc confitebimur, quia totum illud Cerdæ ingenio debitum et vere proprium libenter renuntiamus. Hanc autem viam nos eo confidentius ingressos declaramus, quod prævios duces semper duos præstantissimos viros venerati, nusquam ab illa deflexerimus semita, quam nobis patefecerunt amplissima Gallicæ Universitatis lumina, et nunquam peritura Plessæi Collegii ornamenta, M. Hersanus C. Rollini magister, et ipse C. Rollinus, magistro magno major discipulus, ambo Cerdanæ laudis idonei testes, et prænones egregii (1).

Hæc sunt, amice Lector, quæ præfari voluimus, ut, diligentia nostra quid valuerit, ex æquo et bono possis æstimare. Vale.

(1) Vide vol. I, *Traité des Études*, pag. 372, et vol. II, pag. 599, 637 et seqq. *Paris;* edit. in-12, 1748.

ECLOGA PRIMA.

(Vide Argumentum generale, vol. I, pag. 73.)

TITYRUS.

ANALYSIS.

Dolet Melibœus se patrio solo exterminari, quum interim Tityrus otiosus, et lætabundus indulgeat amoribus Amaryllidis, 1—5. Enumerat Tityrus felicitates suas, quas Deo attribuit, 6—10. Pari filo Melibœus infelicitates suas, et rogat quis ille Deus, 11—19. Nihil respondet Tityrus de Deo, sed agit tantum de Urbe, in qua is Deus; et explicat qualem illam putaverit, qualem jam putet, omnia aptis comparationibus pastorum, 20—26. Quærit Melibœus, cur eam urbem videre optaverit? Respondet Tityrus, libertatem hanc esse, quam nactus est Romæ jam in senio; obiter more amantium blanditur Amaryllidi, queritur de Galatea, 27—36. Ex responsione Tityri conjicit Melibœus causam tristitiæ Amaryllidis, 37—40. Explicat tandem Tityrus, quis ille Deus sit, qui sibi libertatem dederit, 41—46. Connumerat Melibœus felicitates Tityri, dividens in bonum, utile, et delectabile, 47—59. Augusti benefactoris sui memorem se fore pollicetur Tityrus, adjectis impossibilibus, si tantus princeps animo excidat, 60—64. Amplificat Melibœus exilii sui deformitatem a locis, in quæ iturus, quæ relicturus: dolet possessionum suarum futuros dominos: abjicit curam rerum, quæ sibi utiles et delectabiles, 65—79. Abeuntem Melibœum retinet Tityrus, ab jucundo, utili, necessario, 80—84.

N. B. Affixi numeri Explicationibus et notis sequentibus indicant versum textus explicandum; et si quæ primo oculorum conjectu deesse videantur, ea scilicet a variis lectionibus et notis præcedentium voluminum repetenda sunt, quia jam præmissa iterum edere supervacaneum, ne dicamus fastidiosum, judicavimus.

EXPLICATIO.

1. Hanc fabulam, vel potius scenam agrestem aperit Melibœus exul, amico Tityro, id est, Virgilio, felicitatem et lætitiam gratulatus, Tityro qui sub umbra fagi patulæ recubans operam dat silvestri musæ et bucolicis carminibus.

3. Comparat jam infortunia sua, et reliquorum Mantuanorum, quorum personas sustinet, cum Tityri pariter Mantuani felicitate inexplicabili. Dum tu cantas, inquit, dum meditaris musam, nos linquimus fines, sed quos? patriæ. Linquimus arva, qualia hæc? dulcia. Miserius dicam: patriam fugimus. In hac autem nostra fuga, tu, Tityre, lentus atque otiosus, indulges tuis amoribus; doces cantu tuo loqui ipsas arbores, ac resonare nomen tuæ Amaryllidis. Quum ait,

NOTÆ.

1. *Patulæ. Patulum* dicitur quod patet naturaliter, ut nares, arbor, crux. *Patens* vero, est quod clauditur et aperitur, ut ostium, et oculi. *Servius.* — *Tegmine.* Recte, quamvis refragentur Bavii, Mævii, et ejus farinæ plures. Facit pro Virgilio Scalig. ad Propert. lib. II. eleg. ult. et Cic. de Div. l. II. c. 30. « Qui platani in ramo foliorum tegmine septos. » *Emmeness.*

3. *Nos patriæ fines linquimus.* Non voluntate, sed vi Cæsaris et militum ejus compulsi, victo Antonio. *Serv.* — *Finis.* Antiqua terminatio acc. pl. *is* pro *eis*, quam ex Mss. eruit ingens illud interiorum literarum lumen Vir Nobiliss. Nic. Heinsius D. F. cujus elimatissimis curis hanc emendatam editionem debet, quisquis Maronis admirator est. Si quis tamen antiquissimis, calamo exaratis codicibus detrahere pergit, accedat Prisciano, qui vett. Grammaticorum facile princeps, quantulumcunque resideat scrupuli, pulchre evellit animo l. VII, p. 775. *Emmeness.* — *Dulcia.* Dulcis, suavis proprium patriæ epitheton: sic noster, Ge. II, 511: « Exilioque domos et dulcia limina mutant. » Ovid. l. I, de Ponto ep. III, 35. « Nescio qua natale solum dulcedine captos Ducit, et immemores non sinit esse sui. » Hom. Odyss. I. 34: Ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος. et vs. 28. γλυκερώτερον. *Idem.* — *Arva.* Interprete Nannio, *arva* quæ arantur. Plaut. in Truc. I, 2, 47. *Non arvus hic, sed pascuus est ager.* Varr. de L. L. l. IV. *arvum et aratio ab arando.* Idem Isidor. l. XIV, c. 13: hinc apud Ovid. lib. I. de Ponto ep. I, 11: « Cernis ut in duris (et quid bove firmius?) arvis Fortia taurorum corpora frangat opus. » Hic pro prædiis et possessionibus. *Idem.*

5. *Resonare doces Amaryllida sylvas.* Id est, carmen tuum de amica Amaryllide compositum doces sylvas resonare. Et melius est

fugimus, innuit exsilium, vel potius tegit, non ausus proferre præ magnitudine doloris.

6. Non rogaverat Melibœus, unde tantum bonum accidisset Tityro; solum cum dolore mirabundus stupuerat, sibi non contigisse, contigisse alteri: sed Tityrus gestit benefactorem suum Augustum prædicare, quem Deum nominat, a quo libertatem sit consecutus; nam libertatem signat per *otia*.

7. Non est ista exigua laus; perinde est, ac si dicat: alii Imperatores post mortem Divi habentur, et coluntur: mihi Augustus semper erit Deus, etiam vivens. Quam ob rem illi etiam viventi, ut Deo, sacra faciam agnis teneris, qui sæpe illius aram imbuent effuso sanguine.

9. Sequitur ratio duplex, cur Augustum habiturus sit Deum; cur illi sacra facturus: quia, permittente Augusto, jam errant pascunturque libere boves Tityri; jam ipse ludibundus, quæ vult, canit, nemine impediente voluptates et solatia.

11. Non invidet, sed admiratur Melibœus felicitatem Tityri. Adjungit admirationis suæ rationem hanc, quia in universis pastorum agris mira est rerum perturbatio, atque adeo incredibile pæne fuit, res obtineri potuisse: illud, *usque adeo*, est in tantum! Qualis vero fuerit hæc perturbatio, et confusio agrorum, exemplo sui probat Melibœus. Ait enim, *en ipse etc.*

ut simpliciter intelligamus. Male enim quidam allegoriam volunt: Tu carmen de urbe Roma componis celebrandum omnibus gentibus. Plus enim stupet Melibœus, si ille ita securus est, ut tantum de suis amoribus cantet. *Serv.*

7. *Namque erit ille mihi semper Deus.* Et iteratio ipsa exclusit adulationis colorem. *Serv.*

8. *Imbuet agnus. Imbuere* est proprie inchoare, et initiare. Nemo autem unam eandemque rem sæpe inchoat: sed constat sæpe pascua mutare pastores: sicut etiam in Georgicis legimus, *Itque pecus longa in deserta sine ullis Hospitiis: tantum campi jacet!* Unde necesse est, pastores totiens aras imbuere, quotiens mutaverint pascua. Invenimus etiam apud antiquiores, *Imbuere*, esse non inchoare, sed perfundere et madefacere, secundum quod, absolutus est sensus: ut sit: *sæpe perfundet*. S.

9. *Errare.* Id est, pasci; placide et libere vagari, suo modo, per prata, nihil metuentes prædonum vim, aut abigei scuticam. *Emm.*

11. *Non equidem invideo.* Excusat se, ne frequens interrogatio felicitatis alienæ ex invidia venire videatur: dicit se admirari potius, quam invidere. *Serv.*

12. *Turbatur agris.* Servius hoc mavult, ut impersonale pertineat ad omnes generaliter. Citat vero locum hunc Fab. Quintilian. lib. I, cap. 4. *Totis usque adeo turbatur agris*, inter eas formas, quæ pro-

ut sententia sit opposita his, quæ de se dixerat Tityrus hunc in modum. Tu lætabundus cernis errantes boves, ego æger sum, vide quam alienus a tua lætitia : pecus meum ægrum, vide quam longe ab armento tuo errante : cernis hanc capellam; vix, o Tityre, manu duco illam partu ægrotantem : namque ea modo connixa inter corylos in silice reliquit gemellos, spem gregis totius. Vide an majores affectus excitari possent, si describeretur partus infelix primatis feminæ. *Connixa* difficultatem indicat parientis, ideo non, enixa. Juvat hanc miseriam duplex loci circumstantia, densitas arborum, silex nuda; non itaque in loco aprico, non in solo herbido. Demum non unus tantum, sed duplex fœtus periclitatur : et hoc malum, ne leve putes, redundat in reliquum gregem. Quid hoc partu miserius, ubi omnia incommoda, nulla spes boni? Pergit pastor. *Sæpe malum, etc.* Quercus afflatæ fulmine sæpe nobis hoc malum prædixerunt, nisi mens fuisset læva, id est, stulta. Sed age, Tityre, dic nobis, quis iste erga te tam liberalis Deus?

prie cujusdam rationis sunt, ut *Itur in antiquam silvam*, quæque initium non habent : ut *fletur*, apud Ter. et similia.

13. *Æger.* Et corpore et animo *æger* dicitur : ut, *Esto, ægram nulli quondam flexere mariti.* Sed *ægrotus*, corpore tantum. *Ago* autem, proprie : nam agi dicuntur pecora. *Serv.* — *Vix duco.* Quia recens partus ambulationem prohibebat. *Ducuntur* autem ea, quæ suis pedibus utuntur : *portantur*, quæ motu suo carent, sed ita feruntur, ut humum non attingant : *trahuntur*, quæ per terram aliena vi promoventur. *N.*

14. *Hic inter densas corylos.* In nostra Editione, *corulos* per *u* passim scripsimus, imitati Romanos veteres, qui peregrinas literas non admittebant. — *Gemellos.* Tales capræ dicuntur αἶγες δίδυματόκοι. Theocr. Idyll. I, 25 : Αἰγά τί τοι δωσῶ δίδυματόκον· vid. Scholiast. et Idyll. III, 34 : δίδυματόκον αἶγα φυλάσσω. In pretio erant magno, quia πολὺ ἔχουσι γάλα. *Quos arietes immittere volunt, potissimum eligunt ex matribus, quæ geminos parere solent.* Varr. de R. R. l. II, c. 2. Feræ quæ unum tantum fœtum enituntur μονοτόκοι, quo vocabulo in ea notione utitur Aristot. l. V. de Hist. Animal. cap. 14, ubi de elephantis : utroque Call. in Hymn. Apoll. Ἡ δὲ κε μουνοτόκος, δίδυμοτόκος αἶψα γένοιτο. *Emm.*

15. *Spem gregis.* Id est, marem et fœminam; reparatio enim gregis in sexu utroque consistit. *Serv.*

17. *De cælo tactas memini prædicere quercus.* Mire compositum augurium. Nam quercus in tutela Jovis est : et hujus arboris fructu olim homines vescebantur. Per quercus ergo, agri : per fulmen, ira Jovis : per iram Jovis, ira Cæsaris : per damnum arborum, damnum agrorum figurabatur. Hæc quercus ergo tacta, id est, afflata leviter fulmine : ut Cicero, *Tactus est ille, qui hanc urbem condidit,*

20. Rogatus Tityrus de Deo, qui se ad tantam felicitatem evexerat, pastoritia quadam ambage, de Deo subticet, et sermonem convertit ad explicandam urbem illam, ubi is Deus agit: est hæc Roma: mox, post versus aliquos explicabit, quis ille Deus sit. In omnibus autem his versibus affectat pastoritiam quandam ignorationem. Ergo ait; se, quum Romæ nomen audierat, putavisse per stultitiam, eam similem esse Mantuæ, quo pastores solebant sæpe agnos suos ducere.

23. Sententia est: ut cognoscebam illos vere esse catulos, qui similes essent canibus; illos hædos, qui similes essent capris: ita quum audiebam de Roma, putabam illam esse similem illi loco, in quo diversabar, scilicet Mantuæ; nam a parvis ad magna ascendebam.

Romulus. Significabat motu Imperatoris posse agros eorum perire, apud quos fulminatæ sunt arbores: nam agri caussa victus sunt, sicut olim quercus. Quod autem ait *tactas*; ostendit temporale fore damnum, quale patiuntur arbores leviter fulminatæ. Et bene *prædicere*; quasi præloqui et prædivinare: quum ita manifestum constet esse augurium. *Serv.*

22. *Fœtus.* In Oblongo quidem codice, *fœtus*, cum œ diphthongo scribitur. In reliquis, *fetus* absque diphthongo. Sed enim numismata, *fœtus* per œ scribendum monent, dum quæ inde vocabula deducuntur *fœcundus*, *fœcunditas*, et similia per œ scriptas nobis ostendunt. Ut in Faustinæ Aug. Fœcund. Augustæ et ita in reliquis. *Pier.* — *Fœtus.* Errare Pierium tota via docet Gellius XVI, 12. et ipsa, quæ laudat, numismata contrarium arguunt, ut apud Ant. Augustinum tab. 49, n. 7, et tab. 59, n. 20, imo ex ipsis numismatibus videre est, quorum mihi copiam fecit perdiligens omnis elegantioris antiquitatis scrutator Car. Heydanus, JC. et quæ ferunt, *fecunditas.* Emm.

23. *Sic canibus catulos similes.* Vult urbem Romam non tantum magnitudine, sed etiam genere differre a cæteris civitatibus; et esse velut quemdam alterum mundum, aut quoddam cælum, in quo Deum Cæsarem vidit. Qui enim comparat cani catulum, vel hœdum capellæ; magnitudinis facit, non generis differentiam. Qui autem dicit, leo major est cane: et generis facit, et magnitudinis differentiam, sicut nunc de urbe Roma fecit. Putabam, inquit, ante, ita Romam comparandam esse aliis civitatibus, ut solet hœdus capræ comparari; nam quamvis major esset, tamen eam civitatem esse dicebam: nunc vero probavi eam etiam genere distare: nam est sedes deorum. Hoc autem eum dicere, ille comprobat versus: « Quantum lenta solent inter viburna cupressi. » Nam *viburnum* brevissimam est, semper virens, et forma et genere a cupresso remota. Nam cupressus, arbor est maxima. Hoc autem genus argumentationis et apud Aristotelem lectum est, et apud Ciceronem. *Serv.* — *Catulos.* Proprie canum, ut Isid. XII, 2, alia-

25. Aperit errorem suum : ego id putabam, sed stulte : nam ita hæc urbs superat ceteras, ut cupressi superant viburna lenta. Opponit præclare rectam et erectam arborem arbori lentæ; quæ enim lenta sunt, eo ipso depressa, neque recta, neque cita crescunt.

27. Merito pastor et rogat, et admiratur, quæ tanta caussa pastorem fecerit deserere suam villulam, Romam ire? Cui ille : Libertas : et quia hæc libertas illi accidit sera, et in senectute, ideo ait inerti accidisse : senes enim, ut plurimum, inertes, otiosi, languidi. Bis repetit verbum *respexit*, quæ inculcatio pastoris suavis est, et profecta ex gaudio gestientis, et vix credentis receptum se in libertatem, etiamsi seram. Quæ sequuntur de barba candida, pertinent ad explicationem illius, quod præcessit, *libertas sera inertem respexit;* quasi dicat : vis scire quam sera libertas, quam ego iners : jam eram capite cano; jam tonsori meo barba mea cadebat candida.

31. Ponit summam adeptæ libertatis, servitutis ademtæ. Habeo libertatem, ex quo me habet Amaryllis; exui servitutem, ex quo me reliquit Galatea. Quum præcesserit mentio

rum tamen bestiarum fœtus *catuli* dicuntur, ut Non. Marcellus. Virgilius, Ge. III, 245 : « Tempore non alio catulorum oblita lœna. » Et eodem libro, 437 : « Cum positis novus exuviis nitidusque juventa Volvitur, aut catulos tectis aut ova relinquens. » Plaut. in True. II, 2, 13 : *Quasi sus catulos, pedibus proteram, etc.* Phædrus, I, 28 : *Vulpinos catulos.* Citat hunc versum Columell. III, 9 : *quod natura sobolem sui similem producat.* Emm.

27. *Et quæ tanta fuit.* Quæ tanta : ad magnum enim aliquid nimia necessitas venire compellit. Unde quasi miratur hominem rusticum Romam videre potuisse. *S.*

28. *Respexit inertem.* Desidem, sese non requirentem. Nam culpat suam inertiam quod non ante Romam ierit, et sit usus puer libertate, qua uti cœpit provectioris ætatis. *Serv.*

29. *Candidior postquam tondenti barba cadebat.* Aut mutatio personæ est, ut quemdam rusticum accipiamus loquentem, non Virgilium, per ἀλλαγορίαν. Nam ut diximus, XXVIII annorum scripsit Bucolica. Aut certe est mutanda distinctio : ut ait non *barba candidior*, sed *libertas.* Nam XXVIII annorum barbam potest quivis mittere : sed non canam. Et bene *candidior libertas :* ut intelligamus etiam ante in libertate, sed non tali, fuisse Virgilium. *Serv.* — *Barba cadebat.* Contrariam sententiam de juventute, et cum modulo pene Virgiliano Juvenal, ita extulit Satyr. I, 25 : *Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat.* Quem versum repetit. Sat. X, 226. *Cerda.*

31. *Habet*, etc. Amantibus sollennia verba, *Habere*, et, *Tenere.* Ita Ecl. III, 107 : *Phyllida solus habeto.* Ovid. Ep. Heroid. II, 103 :

Galateæ, fatetur ingenue, se, quam diu sub illius dominio fuit, nec spem habuisse libertatis, nec curam peculii, quo se redimeret. Nam quamvis oves, quæ ad victimam vendebantur, multæ ex suis septis exirent; et quamvis multum caseorum conficeret ad usum urbis, nunquam tamen ejus dextera domum redibat ære gravis, nummis onerata. O ingratam urbem!

37. Fingit Meli bœus, Amaryllida tristissimam fuisse, quamdiu abesset inde Maro, quæ magna laus: integra loci sententia est: mirabar, o Amarylli, cur tamdiu tristis esses, jactaresque ad Deos querelas tuas? cur etiam poma haberes pendentia adhuc ex arboribus, ita ut nemo ea pomorum jucunditate frueretur? et tandem intellexi, eam tristitiam pro Tityro absente esse, ea poma integra servari illi, quem nimirum pinus, fontes, arbusta inclamabant. (Quid suavius! Heynii pace dicam.)

Jam te tenet altera conjux. Catull.: *Tene Thetis tenuit pulcherrima?* Terent. Ad. II, 4, 26: *Teneo ego te, mea Antiphila?* Apuleius: *Teneo te, teneo te, meum palumbulum.* His opponitur *Relinquere.* Plautus Most.: *Reliquit deseruitque me*, etc. Vide quæ ad Plaut. Pœn. Prol. e Gruteri susp. diximus. *Taub.*

33. *Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.* Nec sperare poteram libertatem in oppressa civitate, nec habere curam patrimonii. *Peculi* autem aut antique dixit, quia omne patrimonium apud antiquos *peculium* dicebatur, a pecoribus; in quibus eorum constabat universa substantia: unde etiam *pecunia* dicta est a peculio; aut certe et hoc ad morsum temporum pertinet: nam modo tantum *servi peculium* dicimus: ut invidiose patrimonium suum dixerit *peculium*, ac si servus esset: quia se diu apud Mantuam servisse memorarit. Sane *peculi*, pro *peculii*, per synæresim dictum est. *Serv.*

34. *Exiret victima septis. Septa* proprie sunt loca in Campo Martio inclusa tabulatis: in quibus stans Pop. Ro. suffragia ferre consueverat. Sed quoniam hæc septa similia sunt ovilibus, duo hæc invicem pro se ponuntur: ut hoc loco *septa* pro ovilibus posuit. Item Lucanus contra, *Et misere maculavit ovilia Romæ.* Juvenalis, *Antiquo quæ proxima surgit ovili.* Sane *Pinguis* melius ad victimam, quam ad caseum refertur. *Serv.*

35. *Ingratæ Urbi.* Quia quum alimenta civitatibus præstentur ex rusticorum labore, et in his rustici etiam desidentur a civibus, et multa perdunt, et advectarum rerum pretia iniqua suscipiunt. *Serv.*

36. *Ære gravis.* Id est, nunquam loculis probe impletis redibam; pro quo Juvenal. XIV, 282: *tenso folle reverti*, id est, tamente præ nummis marsupio. Bene *ære*: nam æs antiquissimum, quod conflatum pecore, pecore erat notatum, ut Varr. de R. R. II, 1. *Emm.*

37. *Amarylli.* Vocativus Græcus est, qui brevis est quotiescunque nominativus in *is* terminatur: ut Amaryllis, Pieris: ita Horatius, lib. IV, od. 3, v. 18: *Dulcem quæ strepitum Pieri temperas.* Serv.

41. Tityrus respondet: amica mea mœsta, quod hinc abessem, querebatur apud Deos, vocabant me pinus, fontes, arbusta: sed quid ego facerem? neque enim aliter exire poteram e servitute, neque cognoscere Divos tam propitios alibi, quam Romæ: itaque necessario mihi fuit petenda Roma. Hic vidi juvenem illum pæne ultra mortale fastigium (Augustum signat, respondetque ad illa, *sed tamen iste Deus, qui sit, da Tityre nobis*), cui quotannis facio sacra menstrua. Hic, ille juvenis primus omnium voce oraculi plena respondit, ut vaccas ad pastum produceremus, et tauros aratro submitteremus, ut faciebamus ante belli civilis turbinem.

41. *Servitio.* Ab servitio. Servitium est conditionis indicium. — *Licebat.* Id est, nec deesse officio poteram. *Serv.*

42. *Præsentes.* Propitios faventesque. Horat. Ep. II, 134: *præsentia Numina.* Virg. Æn. IX, 404: « Tu Dea tu præsens nostro succurre labori. » Ad Augustum referri vult Cerda, cui viventi sacra fiebant, ut Hor. Od. III, 5, 1: « Cælo tonantem credidimus Jovem Regnare: præsens Divus habebitur Augustus. »

43. *Illum.* Non videtur abundare, *illum;* sed facere ad augendam venerationem et ampliorem reddendam majestatem. Noster Æn. X, 175: « Ille hominum divumque interpres Asylas, Cui pecudum fibræ, cæli cui sidera parent. » Elegantem vocis, *ille,* usum luculente exponit in nov. lect. III, 26. Gulielmus Canterus. *Emm.* — *Juvenem.* Cæsarem dicit Octavianum; decreverat enim Senatus ne quis eum puerum diceret, ne majestas tanti imperii minueretur.

44. *Bis senos cui,* etc. Cui singulis mensibus rem divinam facio, ut magnis Diis, Junoni et Jovi, Respubl. et optimates solent: non semel, ut aliis diis quotannis. Turneb. I, 26, ad vs. 42, 43, 44. Vide Saubertum de Sacrif. c. V, p. 112, ubi ex Maximo Tyrio dissert. 38. Ἕλληνες μὲν θύουσι καὶ ἀνθρώποις ἀγαθοῖς· et paulo post ex Philone, Εὐεργέτας τούτους, καὶ πόλλων αἰτίους ἀγαθῶν, ὡς θεοὺς προσκύνουν. *Emm.* — *Dies.* Id est, principia mensium. — *Fumant.* Id est, sacrificant. *Serv.*

45. *Responsum.* Respondent Dii, oracula, haruspices consulentibus, deliberantibus, *μαντευομένοις.* Just. II, 6: *oraculum consuluerunt.*

46. *Pascite.* Id est, ut ante eratis, o pueri, sic et modo pascite in pace. *Serv.* — *Submittite.* Servius: (*Jugo scilicet ad arandum.*) Non displicet. Sunt qui referant ad propagationem taurorum. Hanc non negem, sed hoc loco illa est parum opportuna. De ea significatione alibi. Ego Poëtam explico: *submittite,* id est, producite ad pastum tauros. Hoc enim quadrat cum superiore sententia, *pascite boves,* ut dicat, et vaccas et tauros produci posse ad pastum. Et quidem eo sensu Lucret. accipit, lib. I: « Tibi suaves Dædala tellus Submittit flores. » Profert, producit: et Seneca in Œdip. « Lætus Cytheron pabulo semper novo Æstiva nostro prata submittit gregi. »

47. Præclare post responsum Augusti, asserentis Tityrum in libertatem, sequitur gratulatio Melibœi, commendantis præstantem fortunam Tityri, quasi has tantas et tam magnas felicitates, unico suo verbo Augustus confecerit. Dividit has felicitates Melibœus in duplex bonum, utile, et delectabile; utilitas absolvitur tribus bonis, delectatio pluribus. Ergo ait: Fortunatus es, 1° quia manebunt tua rura: et illa, quamvis lapide et limo plena, tibi satis superque erunt ad victum: 2° quia graves tuæ, id est, oves, quæ adhuc gestant fœtum in utero, non tentabuntur insueto pabulo: 3° quia fœtæ, hoc est, quæ jam peperere, non lædentur vicini pecoris malis, id est, noxiis, mortiferis contagiis.

Quod a Græcis sumptum, nam Pind. Od. IX, Pyth. Χθὼν ἱρινὰ φύλλ' ἀναπέμπων· *Tellus verna folia submittit.* Liban. in Progymn. pari verbo, γῆ ἀνίει τὸ ἄνθος. *Cerda.* — Hæc Cerdæ sententia videtur contorta nimis Cl. viro Potiea, (Hermes Classicus, n° 1; p. 29;) qui sic interpretatur, *submittite: mittite* tauros alios, *sub* alios, ad propagandam sobolem. De his omnibus vide vol. I; pag. 82; Not. 46.

47. *Senex.* Non semper decrepitum, annis gravem, vel ætate confectum significare videtur, sed nonnunquam blandius esse nomen, honoris et reverentiæ quod sit inditum. Phædrus l. II, fab. 1: *Morem servabo senis.* Servius ad Æn. VI, 304: *Senior est virens senex.* Sic, *Senior Atticus* pro Phidia. *Senior Gargetius* pro Epicuro. Gevartius ad Stat. lib. I, Silv. edit. Cruc. pag. 44, 45, 48: sic γέροντες appellati Lacedæmoniorum magistratus, de quibus Pausanias l. III. Hæc omnia faciunt pro Nannio. Sed illius sententiæ non subscribitur a plerisque, quibus placet, quod supra 28, 29 dictum, per senem senectute confectum senem hic intelligendum esse, quem defloccatum libertas tandem secuta est. Utitur igitur Noster hoc vocabulo pro ratione ætatis, quod monet Horat. Epist. I, 6, 54: *Frater, Pater, adde, Ut cuique est ætas.* Emm. — *Ergo tua.* Tredecim hinc versus seqq. exemplum *Floridæ Orationis* citat Scaliger, Poët. IV, 9. *Idem.*

48. *Et tibi magna satis.* Ordo est, Magna satis tibi pascua, subauditur *erunt.* — *Quamvis lapis.* Quamvis mons sit et lacus. Nam a monte usque ad lacum, et inde usque ad arborem quamdam, fuerat terra ei donata. *Serv.*

50. *Gravis.* Fetas: accusativus pluralis, quasi *graves*, id est, gravidas: scilicet non enixas. *Serv.* Vide supra notam, vers. 3. — *Fetas.* Hunc locum exponit Servius Æn. lib. I, 51: sunt qui sic dispungunt, *Non insueta graves tentabunt pabula: fetas Nec mala*, etc. Sed interpretatur Heinsius, *gravis*, id est, languentes, ægras: ut Ovidius Met. l. VII, 570: *Inde graves multi nequeunt consurgere;* pro quo Virgil. Ge. III, 95: *morbo gravis.*

51. *Contagia lædent.* Morbi vel pestilentiæ corrumpent; unde contingit, ut, una aliquo morbo me-

52. Sequuntur bona delectabilia quinque. Captabis algorem inter flumina et fontes; dormies ad susurros apum; frueris voce tui frondatoris; palumbium raucedine; turturum gemitu. Omnia clara sunt, præter versus tres de somno ad susurros: quos versus tyroni sic elucido. Hinc, id est, alia ex parte, sepes, quæ est tibi ab limite (*desde el linde*) vicino fluminibus, suadebit tibi inire somnos, levi apum susurro; nam semper ea sepes depasta est florem salicti ab apibus Hyblæis, Siculis, id est, semper habet salicti florem depastum ab apibus.

riente, omnes idem morbus corruptas interimat. Dicit ergo, quod nec insolita pascua tentaturæ sunt pecudes; nec ex alicujus infirmitate corrumpendæ. *Serv.*

53. *Fontes sacros.* Quia omnibus aquis Nymphæ sunt præsidentes. —*Frigus opacum.* Quia æstivo tempore sub umbra fit frigus. *Opacum* autem, útrum pro opacis locis, incertum est; an pro valde frigidum: nam unum frigus est hyeme, alterum quo refrigeramur æstate. *Serv.*

54. *Ab limite.* Limes, est agri terminus. — *Sèpes.* Quæ prædii tui fines facit notiores et ita determinat, ut litium ansam semper præcidat. Sepes facta ex salice, virgultis aut spinis, naturalis et viva nominatur. Varr. de re rust. I, 14, et Colum. X, 3: *Quæ radices vivæ sepis habet, ac viatoris prætereuntis lascivi non metuit facem ardentem.*

55. *Hyblæis.* Hybla, vel Hyble, oppidum est Siciliæ, quod nunc Megara dicitur: vel locus in Attica, ubi optimum mel nascitur; et posuit speciem pro genere. — *Depasta florem.* Depastum florem habens. Hypallage. A Græcis fluit hoc locutionis genus. Ut Sanct. in Min. pag. 80; sic noster Ecl. III, 106: « Inscripti nomina regum Nascantur flores. » Et Æn. II, 215: *Implicat, et miseros morsu depascitur artus.* — *Salicti.* Virgulti genus, dictum eo quod salit et surgit cito. Pro *saliceti* contracta voce utitur Cic. de l. Agr. c. 14: *Salicta ad Minturnas.* Columell. lib. II, cap. 2: *filictum* pro *filiceto*, adeo ut toto errent cælo, qui *salictum* et *filictum* poëtis dici tantum asserunt. *Salicetum* dicitur, ut Cic. de leg. Agr. c. 25: *saxetum.* Varr. de re rust. I, 8: *arundinetum, juncetum, vinetum;* c. 41: *ficetum;* c. 44: *olivetum;* et Columell. IV, 33: *castanetum.* Et noster Ecl. II, 9: *Spinetum;* et Ecl. V, 17: *Rosetum,* pro loco multis rosis consito.

57. *Sub rupe.* Pro eo Theocr. Idyll. VIII, 55: ὑπὸ τᾷ πέτρᾳ ἄσεται. Contrarium est ἐπὶ πέτρας, in rupe, ut idem Idyll. XI, 17. *Emm.* — *Frondator.* Id est rusticus: vel quod animal frondibus vescitur. Nam tria genera sunt frondatorum. Frondator, qui arbores amputat, et qui frondibus manipulos facit hyemis tempore animalibus ad pastum offerendos; et qui manibus vitium folia avellit, quo ardor solis uvam maturiorem reddat. Aut avis quæ in frondibus habitat, et his vescitur. Vel etiam palumbes quæ in frondibus nidificant. *Serv.* — *Ad auras.* Id est, sublatissima voce νόμον, quem Musici

60. Sequitur Tityri contestatio, et devinctio quædam, qua se obstringit, fore ut in perpetuum non obliviscatur beneficiorum Cæsaris, quam concludit ex connumeratis a Melibœo: perinde ac si dicat: enumeras, o Melibœe, bona utilia, bona delectabilia, quæ me sequantur ex meo principe; ergo, ante cervi pascentur in æthere, pisces erunt extra mare undis cedentibus; ante Parthus exsul pererrata Germania bibet Ararin, Germani Tigrim pererrata Parthia, quam excidat vultus Cæsaris e pectore; erit imago illius in medio mei.

65. Recurrit ad miserias suas Melibœus, et replicat infortunia: nam sicut supra dixerat, tu recubas sub fago cantillans, et lusitans; nos relinquimus, et fugimus patriam: ita hic post longas felicitates Tityri iterum suas infelicitates renarrat, et exilium, quo ipse iturus, et omnes, qui cum illo: ergo ad commovendum affectum, et sparsi exilii deformitatem amplificandam, tres orbis partes inducit, hæc enim est singularis nostra explicatio, tu alios, si lubet, sequere; in quas ipse et

ἄρθιον vocant, rustici affectare solent. *Nan.*

58. *Raucæ.* Βραγχώδεις. *Serv.* — *Tua cura.* Tuæ deliciæ; sic Ovid. Trist. IV, El. 6: *Absunt, mea cura, sodales.* Emm. — *Palumbes.* Columbæ, quas vulgus tetas vocat: et non dicuntur Latine: sed multorum auctoritas Latinum facit. Cicero in Elegeia, quæ Talemastis inscribitur, *Jam mare Thyrrenum longe, penitusque palumbes Relliquit.* Serv. — *Raucæ, tua cura, palumbes.* Duplex commendatio addita est palumbibus, et quod canoræ sint, et quod illi caræ. Turturibus quoque commendatiunculam aspersit, a loco mutuatam, quod in alta ulmo gemitum suum faciant. Sic undecunque, e supernis gemitu palumbium et turturum, a lateribus apicularum bombis, humi fontium murmure demulcetur. Ille igitur vim beneficiorum agnoscens, immortalem animi gratitudinem repromittit. *N.*

60. *In æthere cervi.* Id est, avium more ante cervi volabunt, et pisces sine aquâ vivent: hoc est, ante rerum natura mutabitur, quam nos Cæsarem possimus oblivisci. *S.*

61. *Freta.* Maria, a fervore dicta. — *Destituent.* Derelinquent. *Serv.*

62. *Pererratis.* Lustratis, vel errore confusis. — *Amborum.* Id est, Germanorum et Parthorum. Apparet, *Amborum* hic esse, quod Græci ἀλλήλων dicunt: ut pererret Germanus Parthorum; Parthus Germanorum fines. *Taubmann.*

63. *Ararim.* Arar fluvius Galliæ, fluens in flumen Rhodanum. — *Tigrim.* Armeniæ fluvius influens Persicum sinum. Itaque per Tigrim et Ararim vult diversa loca inter se significare. Dicit enim, prius Parthum ex Arare bibiturum, et Germanum ex Tigri, quam sibi oblivionem futuram non amissi agri, Cæsaris beneficio. *Serv.*

65. *Sitientes ibimus Afros.* Tropus Synecdoche: ab Afris enim,

alii ituri; Africam clare ponit, in Creta Europam comprehendit, in Scythia Asiam. Sed adhuc ut exilii sui luctum exaggeret luculentius, non contentus ipso orbe, extra orbem vagatur, et Britannos se petiturum dolet, qui opinione mortalium divisi toto orbe putabantur. Possis etiam simplicius exponere poetam, ut non tam intelligat tres orbis partes, quam gentes quascunque feras, dissitas, barbaras.

68. Tres sequentes versus non explico, ut vulgus solet, et communes interpretes, qui hic per aristas, messes intelligunt; per messes æstates; per æstates annos : aliter visum Germano viro doctissimo, quem sequor: nam quum poeta prius dixerit indefinite, *longo post tempore*, repugnat quod sequitur, *post aliquot aristas*, quæ locutio rem contrahit ad breve, et quodammodo definitum tempus : nam si *nunquam*, *nec longo post tempore*, quomodo *post aliquot annos?* deinde hæc locutio, *multæ aristæ elapsæ sunt*, pro *multæ æstates*, inepta videtur, nec usitata : ac si quis diceret, *racemi multi elapsi sunt*, pro *multi autumni:* nec me movet dici a Claudiano de 4 Consul. Honorii *decimas emensus aristas;* pro decem annos : ergo vult Germanus particulam *post* tantum notare ordinem temporis, ut dicat pastor : unquamne admirabor in agro meo quondam florenti, raras tantum, et aliquot postea aristas exstare? Quasi dicat, nunquam, nec longo post tempore, videns patrios

Libyam, quæ aqua indiget, intelligi vult. Est enim calidissima regio et pene inhabitabilis. *Serv.*

66. *Scythiam.* Regio septemtrionalis est frigidissima.—*Et rapidum cretæ veniemus Oaxem.* Hoc est lutulentum ;. quod rapiat cretam. Creta terra alba dicitur. Namque Oaxis fluvius est Mesopotamiæ : qui velocitate sua rapiens albam cretam, turbulentus efficitur. Vel Oaxis fluvius Scythiæ in Creta insula non est : sed aqua, cretei coloris est. Oaxem Philisthenes ait, Apollinis et Anthilenæ filium : hunc Oaxem in Creta oppidum condidisse, quod suo nomine nominavit, ut Varro ait, *Quos magno Anchiale partus adducta dolore, Et geminis capiens tellurem Œaxida palmis Scindere dicta.* Serv. — Vide (vol. I; p. 86 et 87;) varias lectiones et notas Heynii, quem vehementer nimis impugnat *Cl. Potier*, acerrimus Maronis propugnator. (Hermes Classicus, n° 1; p. 32 sqq.)

67. *Penitus*, Id est, omnino. — *Toto divisos orbe.* Non revera, sed opinione. Et *orbis* hic non universus intelligitur, sed Romani imperii terminus. Britannia autem insula, olim etiam *alter orbis* dicta est. V, et N. Æn. VIII: *Extremique hominum Morini.* — *Divisos.* Quia olim juncta fuit orbi terrarum Britannia. Est enim insula sita in Oceano septemtrionali : et a poetis alter orbis terrarum dicitur. *Serv.*

fines, videns culmen pauperis tugurii congestum e cespite, videns regna mea, admirabor raras tantummodo aristas exstare. *Clarius :* nunquam mihi dabitur hoc, quod leve est, ut postea videam, ut postea admirer agelli mei deformitatem : præsumit videlicet, nunquam se rediturum ad patrios fines, ad tugurium, ad regna : ac perinde nunquam postea admirabitur rariusculas aristas.

71. Sententia trium versuum sequentium firmat omnino explicationem superiorem : queritur enim pastor, agrum suum et culta novalia deformanda ab impio milite, suas segetes devastandas a barbaro : quod nihil est aliud, quam paucas aristas superfuturas : nam, quum miles, quum barbarus in agro dominentur, quid sperandum? Hanc tantam agri sui vastitatem conjicit in bella civilia, et discordiam, quæ perduxit cives usque ad extremos calamitatum terminos.

70. *Mea regna.* Quod mihi est instar regni : pro affectu enim possidentis intelligendum est. Huc alludit Quintilianus in Declamat. Pauperis : *Hoc mihi parvulum terræ, et humilis tugurii rusticum culmen æquitas animi REGNA fecerat ; satisque divitiarum erat, nihil amplius velle.* Ita Ge. III : *Taurus regnis excessit avitis.* — *Post aristas,* vid. vol. I ; p. 87 ; not. 70 ; et *Cl. Potier,* Hermes Classicus, p. 35, et seqq. qui Heynio constanter adversatus, sensum tamen relinquit arbitrio Lectoris, post Heynium durius objurgatum propter notam in versum sequentem.

71. *Impius miles.* Proprium militis epitheton. Iratus Melibœus impium militem dicit, seu quod agrum suum teneat : seu quod civile gesserit bellum, qui pro Antonio arma portavit, qui bella civilia gessit. Hic læsit Virgilius Octavianum Augustum, tamen secutus est veritatem. Dum miles portando arma, vicit alios, impius nocendo dictus est. — *Impius miles.* Hoc titulo dignus, quia, ut Lucan. X, 407 : *Nulla salus pietasque viris qui castra sequuntur.* S. — *Novalia.* Novalis Latinis dicta est terra primum proscissa, hoc est, prima aratione mota. Varro I, 29, dicendam putat a prima aratione, donec movetur rursus secunda. Certe toties novatur terra quoties aratur, quam Græci νειὸν, vel νειὸν vocant per omne id tempus, quo vertitur et aratur, donec conseratur. Servius exponit *Novalia, nova rura, quæ per singulos annos novantur per semina ;* immo *arationibus.* Quamvis ne hoc quidem verum sit. Nec enim quotannis arantur novalia, ut nec quotannis seruntur ; alternis quippe cessant. Hæc Salmasius pag. 730, 731, quem uberius disputantem adeas operæ est. *Novale est,* ut Plin. XVIII, 19 : *quod alternis annis seritur.* Dicitur novalis, nempe terra ; novale, nempe solum ; ut Sanct. l. IV, p. 341, et 346. et Servius ad Ge. I, 71 : « Alternis idem tonsas cessare novales. »

72. *En quo discordia civis.* Pacis tempore et sementem et mes-

74. Post tot commemorata infortunia abjicit jam rerum omnium curam: latet enim in primo versu Ironia; quasi dicat: nec pyros insere, nec vites pone devastandas a barbaris. Mox capellas a se dimittit, quasi jam nunquam visurus; carmina etiam, ad quorum cantilenam solebat capellas pascere. Tu, lector, mentem poetæ adverte: diviserat Melibœus bona Tityri, in ea, quæ ad utilitatem, et voluptatem pertinent: jam hæc eadem sibimet negat: utilitatem, quum capellas a se abjicit, curam pyrorum, et vitium: voluptatem, quum carmina, delectationemque illam, quam pastor accipit ex pecore, sive pendente ex rupibus, sive pascente e frutetis.

80. Videbatur Melibœus parasse abitum; eum retinens Tityrus petit, ut secum quiescat eam noctem: proponit vero tria invitamenta, ut inde non discedat: primo offert societatem ad eam noctem, et in virenti gramine: pertinent hæc ad

sem facit tutissimam et felicissimam agricola. Virgil. Ge. II, 458: « O fortunatos nimium, sua si bona norint, Agricolas; quibus ipsa, procul discordibus armis, Fundit humo facilem victum justissima tellus. » Bellum contra omnibus exitiosum, ut Lucan. ex Homeri Il.: Ὡς ἔρις ἐκ τε θεῶν, ἐκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο. — *Civis.* Per *i*, more Velliano, ut etiam in nummis pluribus est, meliores habent codices. *Pierius.* Vide quæ dicta sunt ad vers. 3, et Dausq. Orthograph. p. 109 et 110. *Emm.*

74. *Insere.* Sibimet ipsi imperat: et apostrophen facit ad seipsum, dolendo vel invidendo non habere se id quod Tityrus. — *Insere nunc.* Hæc particula apta est conficiendis ironiis. Ovid.: *I nunc et cupidi nomen amantis habe.* Martial.: *I nunc et ferrum, turba molesta, nega.* Juv. Sat. XII: *I nunc et ventis vitam committe.* Et sexcenta alia.

75. *Quondam felix pecus.* Quando manebat mihi hereditas; vel quamdiu ego felix fui aliquando in finibus nostris: hic videt se pastor exclusum esse: et videt se non habere illud, quo Tityrus utitur. *Serv.* Nos hoc ordine legimus: *Ite meæ, felix quondam pecus:* quod nescio quid suavius habet.

77. *Dumosa.* Id est, rigida, spinosa. — *Pendere.* Quia quum pascuntur capellæ, pendent. *Serv.* — *Pendere de rupe.* Martial. et Ovid. hæserunt suo quisque flexu. Ille XIII, 99: « Pendentem summa capream de rupe videbis, Casuram speres, decipit illa canes. » Hic de Ponto, I, 9. « Ipse ego pendentes, liceat modo, rupe capellas, Ipse velim baculo pascere nixus oves. » Varro de Re Rust. II, 3; et Colum. VII, 6, idem referunt.

78. *Carmina.* Id est, quia non libet rustico canere, carenti possessione. *Serv.*

79. *Cytisum.* Genus fruticis, vel herba, quæ nascitur inter campos et sylvas in Cythisa civitate. — *Amaras salices.* Ad nostrum saporem: nam capris dulces sunt. *Serv.*

81. *Mitia.* Matura: quæ non re-

voluptatem: deinde proponit utilitatem, nimirum poma, castaneas, caseum: addit elogia, ut efficacius moveat: nam poma sunt mitia, castaneæ molles, caseus plurimus: tertio demum, ut necessario retineat pastorem abeuntem: viden' (*inquit*) ante oculos tuos fumantes jam villas? viden' crescentes et duplicatas umbras montium, abeunte jam sole? ne ipse abeas: nam quo te recipias nocte jam advenientc? itaque movet pastorem ab jucundo, utili, necessario.

mordent, quum mordentur. *Serv.*

82. *Castaneæ.* Id est, mala antiquiora. *Idem.* — *Castaneæ. Castaneas molles* exponit. Servius *maturas:* magis placet, quod Nonius Marcellus ait, *molles*, novas, vel recentiores. *Pier.*

83. *Villarum. Villicus*, inquit Varro de R. Rust. I, 21: *a villa: villa, quod ab eo in eam convehuntur fructus, et evehuntur, quum veneunt. A quo rustici etiam nunc quoque viam, veham, appellant, propter vecturas, et vellam, non villam, quo vehunt, et unde vehunt: item dicuntur, qui vecturis vivunt, vellaturam facere. A vallo*, id est, *aggere terræ* derivatum vult vetus Grammat. apud Rigaltium pag. 299. Villa ædificium est extra urbem exstructum. Talis debet esse, ut Cato de Re Rust. c. 3: *ne villa fundum quærat, neve fundus villam.* Triplex villa; Urbana, Rustica, Fructuaria: de his Columell. 1. 6. *Emm.* — *Fumant.* Id est, ad vesperum cœna præparanda. *Serv.* Vide vol. I, p. 89; et 100, Ecl. II, v. 67: *Et sol crescenter decedens duplicat umbras.*

ECLOGA SECUNDA.

(Vide Argumentum generale, vol. I, pag. 90.)

ALEXIS.

ANALYSIS.

Corydon Alexin frustra deperit, amore alterius præoccupatum: leniendi doloris caussa, petit deserta, rupes, arbores, 1—5. Amplificat Corydon crudelitatem Alexis ab effectis breviter, assumtis aliarum rerum comparationibus longius, 6—16. Admonet illum, ne ætati fidat, ab exemplo florum, qui fragiles sunt; deinde, quo puerum illiciat, jactat opes suas, musicam, formam, 17—27. Pro his postulat, ut secum rus adveniat: proponit, si id faciat, quæ adventum hunc consequantur; exemplo sui, et Amyntæ, 28—35. Addit donum duplex, fistulam, et capreolos; utrumque commendat, 36—44. Iterum invitat, et quum se suis donis nihil videat profuisse, alia a Nymphis offert: cum quibus ipse certat, 45—55. Ad se redit, et reprehendit considerata pueri arrogantia: sed non sinit amor quiescere pastorem miserum, ideo iterum ad rus invitat, exemplo Deorum, et Paridis, 56—62. Exemplo ferarum, quibus sua cuique est voluptas: suas delicias ait esse Alexin. Tandem abeunte jam Sole, cessantibus bobus a labore, receptui quoque pastor canit: culpat dementiam suam, et tempus male insumtum; discedit que cum contemtu Alexis, 63—73.

EXPLICATIO.

1. Sententia est, Corydonem ardentissimo amore Alexis deperire, invitante eum pulchritudine pueri, quæ eximia; erat

NOTÆ.

1. *Ardebat Alexin.* Impatienter diligebat. — *Alexin.* Quem dicunt Alexandrum. Fuit servus Asinii Pollionis: quem Virgilius rogatus ad prandium, quum vidisset in ministerio omnium pulcherrimum, dilexit, eumque dono accepit. Cæsarem quidam accepernnt formosum in operibus et gloria. Alii puerum Cæsaris, quem si quis laudasset, gratam rem Cæsari fecisset. Nam Virgilius dicitur in pue-

enim formosissimus. Sed frustra Corydon ardebat amoris furiis, nam illæ deliciæ alterius erant domini : ideo subdit, nec habebat quid speraret, id est, nullam spem potiundi habebat. Itaque mirus affectus excitatur a poeta, perinde ac si dicat : Amor summus erat in Corydone; verius, ardor; sed vide amoris hujus infelicitatem, amabat enim præoccupatas delicias.

3. Destitutus pastor spe potiundi, quod tantopere optabat, levandi doloris caussa ibat assidue ad solitudines, ibat ad cacumina umbrosa, inter densas fagos, id est, ad cacumina umbrosa fagorum densitate.

5. Pergit in explicanda pastoris infelicitate. Ibi solus, quid hac re tristius? jactabat studio inani; vide ut nullum levamen! versus male conditos, ut qui profecti essent ab homine insano; dabatque querelas suas montibus et sylvis, ut qui non exaudiretur ab Alexi; mitiora putans insensibilia, quam animam illius quem ardentissime amabat.

6. Probat duobus primis versibus, Alexin esse crudelem tri-

ros habuisse amorem : nec enim turpiter eum diligebat. Alii Corydonem Asinii Pollionis puerum adamatum a Virgilio ferunt : eumque a domino ipsi datum Corydonem a Virgilio ficto nomine nuncupari, ex eo genere avis, quæ Corydalus dicitur, dulce canens. Alexin vero puerum, quasi sine responsione ac superbum : hunc autem dilectum fuisse Pollionis; et Virgilium gratum se futurum existimasse, si eum laudaret, cujus forma Pollio delectabatur : qui eo tempore Transpadanam Italiæ partem tenebat, et agris præerat dividendis. *Serv.*

2. *Delicias domini.* Hoc est, qui suo domino Cæsari, vel Pollioni, in deliciis erat. *Serv.* — *Delicias domini.* Usu inolevit ut *delitias* per *t* secunda a fine syllaba scribatur fere passim. In his tamen codicibus antiquis *delicias* per *c* scriptum plurimum observavi : et ita recte scribi ostendit, quod est eadem ex originatione, *delicatus*. Pier.

5. *Montibus et silvis.* Adagii formam habet, *queri ad montes, ad silvas, ad rupes*, sive, *inclamare montes*, aut quid simile ad expli candum studium quoddam inane, et nihil proficiens. Hanc rem salse, ut solet, attigit Plaut. in Mercat. « Non ego idem facio, ut alios in Comœdiis Vidi facere amatores, qui aut nocti, aut die, Aut Soli, aut Lunæ miserias narrant suas. » Et in Asinar. lepide : *loquens lacerat diem.* Stich. *ego hunc lacero diem.* Itaque, *quereris ad lapides, montes, arbores*, eandem vim proverbialiter habebit, atque illa, *Asinum tondes, Æthiopem lavas, mortuum flagellas*, et plura alia. *Cerda. Jactabat.* Id est, fundebat incassum. *Serv.*

6. *Crudelis.* Inexorabilis; qui non flecteris meo amore; qui me mori cogis. Sic Horatius ad Ligurinum ; lib. IV, od. 10 : O crudelis adhuc !

plici effectu, et crescit semper oratio cum majori affectu, hac ratione: grave est, o Alexi, te non curare mea carmina: inhumanum, omnem misericordiam exuisse: ferinum, me ad mortem cogere, qua nihil horribilius: vere ergo crudelis, qui despector, qui immisericors, qui homicida nunc es!

8. Fingit poeta hunc flagrantem amatorem erupisse in has insanias, tum die medio, tum media æstate, quum sol est ferventissimus: et apte hoc fingit, ut tu intelligas vim amoris, cujus ignis efficit, ut incendia omnia contemnantur. Igitur sex versuum hæc est sententia: in hoc diei fervore, bruta et humana sibi consulunt, ego unus insanissimus sum: bruta; nam pecudes adeunt umbrosa loca captandis frigoribus, lacerti latent sub spinetis: humana; nam messores prandere apparant, ut a labore interquiescant, Thestyli cibos conficiente ex alliis, serpillo, herbisque olentibus: quod est *Moretum*. Igitur ego insanus sum, qui media æstate, sole ardente, cicadis inclamantibus; deinde impransus te non solum sequor, sed avidissime etiam quæro vestigia, ubi pedem fixeris.

8. *Frigora*. Non aprica loca. *Serv.* — Tempus meridianum designat, ut perspicuum ex seqq. Pers. Sat. III, 7. — *Patula pecus omne sub ulmo est*. Emm.

9. *Lacertos*. Genus serpentis. *S.*

10. *Thestylis*. Nomen rusticæ mulieris; quæ messoribus æstu fatigatis, diversa genera herbarum contundens, pulmentarium his parat: vel concubina Corydonis. Vel Thestylis, id est, fictilis, rusticum nomen: ut ab eo quod ponat cibum rusticis. — *Fessis*. Vel labore, vel æstu. Vel *fessis*, id est ferventibus vehementi ardore fatigatis, vel laboris instantia. *Serv.*

11. *Allia, serpyllumque*. Herbas calidas, quæ æstum repellunt. Nam ut etiam Plinius dicit in Naturali Historia, *Omnis medicina, aut a contrario, aut a simili quæritur*. Unde etiam calor potest aut frigore, aut alio calore depelli. Hinc est quod in ultima ecloga, quum amator remedium quærit ardori, dicit se iturum aut ad Scythiam, aut ad Æthiopiam: ut, *Æthiopum versemus oves sub sidere cancri*: quarum regionum altera est frigidissima, altera fervens calore. Sane serpillus herba est, quæ in Græco aspirationem habet, quam Græci ἕρπυλλον dicunt. In multis enim nominibus, quæ in Græco aspirationem habent, nos pro aspiratione, *s* ponimus. Inde est quod pro herpillo, serpillum: pro ἕξ, sex: pro ἑπτά, septem. *Serv.* — *Serpullum*. De serpillo Plin. lib. XXII. Dioscorides lib. XXX. Theophr. lib. VI. Hist. Plant. Sed quod genus cibi hic indicatur? Turn. Moretum accipit, quod genus edulii rusticis ea tempestate in pretio erat, ut facile colligas ex Virgiliano Moreto. *C.*

13. *Resonant arbusta cicadis*. E cicadarum cantu maximum æstum insinuat, perinde ac si diceret:

14. Vidit pastor suam hanc insaniam, et ad se rediens ait, melius utique fuisse sibi pati tyrannidem Amaryllidis, aut Menalcæ : quamvis illa iracunda esset, superba, fastidiorum plena; ille nigricanti facie : quasi dicat; nigra facies Menalcæ me in amore incendebat; sed candor tuus, o Alexi, in furias agit : illud ergo malum levius. Vel sic; ille, qui nigra erat facie, etiam si interdum fastidiosus, sed respondebat tamen aliquantulum amatori : tu nihil me curas, aversus es, alienus es.

17. Sententia duplex. Prior : ne fide ætati tuæ, et pulchritudini, neque his dotibus velis superbire : memineris flavescentem hunc, et roseum colorem, quo tantopere gloriaris, tandem periturum : quod ut credat, proponit illi in sequenti versu fragilitatem rosarum, quod facere solent amantes suis despectoribus. Posterior : ne crede colori, id est, ne crede colorem hunc diu permansurum, atque adeo ne sine ætatem labi absque voluptate; nam ætas citissime avolat, marcescitque instar florum : ergo ætate tua fruere. Hæc sententia commodior ad mentem Corydonis, qui hac ambage ætatis perituræ ad mutuum amorem puerum invitat. Præclare vero illud, *o formose*, quia cum respectu ad initium Eclogæ, quasi sæpe recurrat ad eosdem scopulos, impingatque in eumdem lapidem

At nunc meridiano tempore solis vapore omnia torrentur, quod arbusta cicadis resonantia demonstrant. Per æstum enim cicadæ vehementius canunt. Ge. III : « Inde ubi quarta sitim cæli collegerit hora, Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ. »

14. *Tristis Amaryllidis iras.* Bene addit *tristes;* plerumque enim, ut ait Terentius, *amantium iræ, amoris redintegratio est:* ut veram iram ostenderet, et non fictam illam, quæ aliquid gratiæ habere consuevit. Unde Horatius, *Urit grata protervitas.* Serv. — Iræ sunt offensæ, quæ ex causa nascuntur : iracundia contra perpetuum est vitium : ut incertus Auctor de differentiis vocum : *tristes iras,* id est, simultates acerbas tolerare Non raro sic amantium discordiæ, apud Latinos. Horat. Od. I, 16. « Tristes ut iræ : quas neque Noricus Deterret ensis. » Ter. An. III, 3, 20. « Iræ sunt inter Glycerium et gnatum. » Quæ si leviores sunt, amoris instaurationem promittunt. juxta illud Terentianum : « Amantium iræ, amoris integratio est. » *E.*

15. *Nonne Menalcam.* Tres dicitur amasse Virgilius, Alexandrum, quem donavit ei Pollio : et Cebetem puerum, cum Leria puella, quos a Mecœnate dicitur accepisse. Unde volunt quidam per Amaryllida, Leriam : per Menalcam, Cebetem intelligi. *Serv.*

17. *O formose puer.* Bene dicit Donatus suspendendum O, et sic

formositatis; nam hæc una reddebat pastorem insanum. Sic etiam infra: *Huc ades o formose puer.* Sed volo, ut adhuc expendas verba ista, *ne crede colori:* fides dos est animi, color dos est corporis: deinde, fides est firma rerum opinio, color caducus est: qui ergo fides animi niti potest in colore corporis, ut illi credat? ista ratio explicandi diligentem reddet imitatorem Virgilii, ut sciat, quemadmodum ille, ita concipere.

18. Ex dictis in superiore versu sententia hujus clara est: satius mihi fuerit Menalcam amare, quamvis esset niger: neque enim tantopere expetendus est color candidus, quo tu insolescis; nam ligustra candida negliguntur, vaccinia, etiamsi nigra, leguntur, expetunturque inficiendo colori purpureo.

19. Explicatio versuum quatuor ista est: despicis me, et adeo indignum judicas tuo consortio, ut neque velis quærere quis sim: quum ego tamen ditissimus sum pecoris, ditissimus lactis: pecoris, nam mille meæ agnæ errant vaganturque in montibus Siciliæ; lactis, nam et æstate, et hyeme mihi semper novum suppetit.

dicendum, *Formose puer:* ut intelligamus per ironiam eum aliud voluisse dicere: sed in hæc verba, ne Alexin offenderet, amoris necessitate compulsum. *Serv.*

18. *Alba ligustra cadunt.* Et rustice et amatorie ex floribus facit comparationem. Ligustrum autem flos est candidus, sed vilissimus. Vaccinia vero sunt violæ, quæ purpurei coloris esse manifestum est: vel ligustra flores papaverum sunt, vel arborum. *Serv.* — *Vaccinia nigra.* Hyacinthum et vaccinium idem esse plerique contendunt. Nigri licet coloris sint vaccinia, impense tamen expetuntur. Noster Ecl. X. « Quid tum si fuscus Amyntas? Et nigræ violæ sunt, et vaccinia nigra. » Vide notas de his omnibus, Vol. I, p. 93.

20. *Quam dives nivei pecoris.* Tria sunt quibus amatores possunt placere, Divitiis, Pulchritudine, Cantilena, quibus omnibus se valere commemorat. Et multi secundum Homerum, qui ait καὶ γάλα λευκὸν, legunt *nivei quam lactis.* Sed melius est, *Quam dives pecoris nivei.* Nam candidæ oves, in ingenti sunt pretio. Unde in Georgicis legimus, *Continuoque greges villis lege mollibus albos.* Item alibi, *Munere sic niveo lanæ, si credere dignum est.* Serv.

21. *Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.* Theocritus, ἀλλ' οὗτος τοιοῦτος ἐὼν βόσκει χίλια βόσκα. — *Errant.* Cum securitate pascuntur. Et quod ait *agnæ*, et a sexu et ab ætate laudavit: nam ex fœmineo sexu in pecoribus copiosior possessio provenit. *Serv.* — *Siculis in montibus.* Sicilia ob pecoris copiam nobilitatur. Pind. Olymp. Od. I, testatur Hieronem sceptrum tenere ἐν πολυμήλῳ Σικελίᾳ, in divite pecoris Sicilia, in qua scripsit Idyllia Theocritus. Horat. Od. II, 16. « Te greges cen-

23. Jactat deinde musicam suam, et se comparat egregio cantori Amphioni Dircæo, quum is, adventante nocte, vocans armenta ad stabula, suavissime canebat in monte Aracyntho, qui dictus Actæus.

25. Post divitias et musicam, inducit formam corporis, qua se ait præstare, usum tranquilla aqua pro speculo: quo experimento deprehendit, non se esse forma inferiorem Daphnide, etiam teste ipsissimo Alexi. Conjunge jam omnia, ut melius intelligas mentem Virgilii: tu, o Alexi, credis colori tuo, nimirum *accidenti* cuipiam hærenti in cute corporis, sed hoc *accidens* caducum est instar florum. Quin potius crede rebus meis, neque illas despice, nam meræ sunt *substantiæ*. Est enim mihi pecus, est lac: pecus non qualecunque, sed numerosum, nam mille agnæ; pingue, nam in Sicilia fertilissima orbis parte: lac, non qualecunque, sed novum, et omni tempore: deinde, quum e rupe mea cano, repræsento nobilissimum cantorem Amphionem Thebanum, quum in Aracyntho feras com-

tum, Siculæque circum Mugiunt vaccæ. » *Emm.*

22. *Lac mihi non æstate novum, non frigore defit.* Multo melius quam Theocritus: ille enim ait, πυρὸς δ' οὐ λείπει μ' οὔτ' ἐν θέρει οὔτ' ἐν ὀπώρᾳ, Οὐ χειμῶνος ἄχρω. Sed quia caseus servari potest, non mirum est, si quovis tempore quis habeat caseum. Hoc vero laudabile est, si quis habeat lac novum, id est colostrum, quod neutri generis est: nam fœminini esse penitus non potest. Sane hunc versum male distinguens Virgiliomastix, vituperat: *Lac mihi non æstate novum, non frigore: defit.* Id est, semper mihi deest. *Serv.*

24. *Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.* Amphion et Zetus fratres fuerunt ex Jove et Antiopa: sed Zetus, rusticus fuit; Amphion vero musicæ artis peritus. Sane Aracynthus, mons est Thebanus. Unde *actæo*, litorali debemus accipere, (ut, *At procul in sola secretæ Troades acta*) non Atheniensi: licet Athenæ primo ἀκταὶ dictæ sint: quanquam plerique, Actæo Aracyntho, Atheniensi accipiant, non quod Aracynthus apud Athenas est; sed ut ostendatur rustici imperitia. Nam Theocritus ad exprimendam rusticam simplicitatem, multa aliter quam res habeat, dicit. Hac ratione potest et Oaxis, Cretæ fluvius accipi, quum sit Scythiæ. *Serv.* — *Dircæus.* A Dirce, quæ uxor erat Thebani regis Licii, quæ postea a filiis Antiopæ, ob perpetratam in matrem sævitiam, crinibus religata, de tauro interfecta, et in fontem conjecta est, qui ab ea Dirce postea nominatus est. Apollod. in Biblioth. lib. III. De Dirce, de Antiopa ejusque subole, multa Propert. III, 14. De Dirce, qui fons est circa Thebas, Solin. c. 7. *Emm.*

25. *Nec sum adeo informis.* Verecunde suam commemorat pulchritudinem. Sic Cicero in Cælia-

movebat, flectebat saxa, vellebat arbores : tertio, non mihi tantum color, ut tibi; sed tota corporis forma præstans est : cujus rei testis ego, qui vidi; testis mare ipsum, quod sacrum et divinum; testis tu ipse, si me cum pulcherrimis etiam conferas.

28. Tamen tot bona nihil sunt absque te; una tua tantum libido tot bona hæc cumulabit, et me beatum faciet : libeat tibi tantum mecum habitare, et beatus ero. Nihil de se sublimius poterat prædicare pastor grandævus, quam tria illa boni genera; nihil abjectius petere, quam unicam tantum pueri lubentiam. Quid ergo non consequeretur, si loqueretur ad aures humanas, non ad rupes, et feras? commoda est Servii interpretatio, *tibi sordida*, id est, quæ tu putas, sordida; monetque bis repetendam vocem *tibi*, ut sententia sit, libeat tibi habitare mecum rura tibi sordida.

29. Duplex sententia, vel furcas defigere, vel cervos venari. Posteriorem Servius priori præfert, et merito. Potius enim

na : *Ut eum pœniteat non deformem esse natum.* Nam pulcherrimum voluit dicere. *Serv.* — *In litore vidi, Quum placidum ventis staret mare.* Virgilium imitatur Calpurnius Ecl. II, 88 : « Fontibus in liquidis quoties me conspicor, ipse Admiror toties. » Nemesian. Ecl. II, 74. « Quin etiam fontis speculo me mane notavi. » Theocr. Idyll. VI, 10 : Ἁ δὲ βαΰσδει Εἰς ἅλα δερκομένα· τὰ δέ νιν καλὰ κύματα φαίνει Ἄσυχα καχλάζοντα, ἐπ' αἰγιαλοῖο θέοισαν. Call. in Pall. Lavac. vs. 19 : οὐδὲ Σιμοῦντος Ἔβλεψεν δίναν ἐς διαφαινομέναν. Phæd. Fab. I, 4 : « Canis per flumen carnem dum ferret natans, Lympharum in speculo vidit simulacrum suum. » *Emm.*

26. *Staret.* Sic apud Horat. Sat. II, 68. Jus, quod incoctum herbis fervere desiit, *stare* dicitur. *Emm.* — *Non ego Daphnim.* Daphnis filius fuit Mercurii, formosissimus puer; qui primus dicitur pastor fuisse, *Serv.* — *Non ego Daphnim.* In nostra editione *Daphnin* per *n* finali litera scriptum invenias, quod ita esse debere ostendit versus ille : *Daphnin ad astra feremus.* Nam si per *m* esset, collisioni locus foret.

27. *Judice te metuam.* Ac si diceret, Qui meam despicis pulchritudinem. — *Si nunquam fallat imago.* Nulla enim res ita decipit, quemadmodum imago. Nam et in speculo contraria ostendit universa : et in aqua, remum integrum quasi fractum videmus; quod etiam Cicero in Tusculanis plenius docet. *Serv.*

28. *Tibi sordida rura.* Utinam libeat tibi mecum habitare rura tibi sordida, id est, quæ tu putas sordida; nam bis accipimus *Tibi.* S.

29. *Atque humiles habitare casas.* Sane melius, habito illam rem, quam, habito in illa re, dicimus. Nam etiam principalitas hujus verbi frequentativi, accusativum regit : ut, habeo illam rem. Inde fit,

eredi debet invitare pastor Alexin ad voluptatem venationis, quam ad laborem figendarum furcarum.

30. Libeat tibi gregem compellere baculo ex hibisco: ita Alexin invitat ad vitam pastoralem, ut proponat, quæ jucunda sunt; amoveat, quæ molesta: itaque ait: non ages capras, non tauros, non armenta: sed hædos, qui molliculi et tenerrimi, qui ludibundi et grati: deinde gestandus tibi viridis hibiscus pro baculo, non ponderosum pedum, quod manus lædat.

31. Invitat jam præmio, si secum rus adveniat: eris excellentissimus artifex musicæ; imitaberis non quemcunque e Divis, sed ipsum fistulæ inventorem Deum: et nota, latere occulte laudem, arrogantiamque ipsius Corydonis; innuit enim se scire jam Pana canendo imitari, et eo ipso stimulos adhibet ad veniendum; quasi dicat: ego jam imitor, jam sum artifex; aspirare ergo et tu quoque ad tam egregium decus potes.

32. Hoc dicitur occasione superioris versus: per calamos

habito illam rem: non, in illa re, ut, habitare casas. Apud Poetam nostrum crebro cum accusativo invenitur, ut hac Ecl. vs. 60: *Habitarunt Di quoque silvas.* Ecl. VI, vers. 2: *Nostra nec erubuit silvas habitare Thalia.* Æneid. III, 106: *Centum urbes habitant magnas.* Sic in passiva terminatione Ge. III, 340: *habitata mapalia tectis.*

31. *Imitabere Pana canendo.* Exemplo numinis, in agris mecum poteris canere. Nam Pan, deus est rusticus, in naturæ similitudinem formatus. Unde et Pan dictus est, id est, omne. Habet enim cornua, in radiorum Solis et cornuum Lunæ similitudinem. Rubet ejus facies, ad ætheris imitationem: in pectore nebridem habet stellatam, ad stellarum imaginem: pars ejus inferior hispida est, propter arbores, virgulta, feras: caprinos pedes habet, ut ostendat terræ soliditatem: fistulam septem calamorum habet, propter harmoniam cæli, in qua septem soni sunt, ut diximus in Æneide, *Septem discrimina vocum: καλάμους* habet, id est pedum, hoc est baculum recurvum, propter amnum, qui in se recurrit: quia hic totius naturæ deus est. Poetis fingitur cum Amore luctatus, et ab eo victus: quia ut legimus, *Omnia vincit amor.* Ergo Pan, secundum fabulas, amasse Syringam nympham dicitur: quam quum sequeretur, illa, implorato Terræ auxilio, in calamum conversa est: quem Pan, ad solatium amoris incidit, et sibi fistulam fecit. Sane sciendum, Pana, *pa*, habere accentum. Græca enim monosyllaba quæ ad nos transeunt, crescunt in obliquis casibus: et in genitivo et dativo tantum singularibus, ultimæ syllabæ accentum dant, ut, Panos, pani; Lyncos, lynci. Plurales etiam isti duo habent accentum: licet ad nos transire non possint. *Serv.*

32. *Calamos cera conjungere plu-*

plures conjunctos cera, intelligit veterem fistulam, de cujus forma loquar in notis.

33. Adjunge ad musicam, quam hic disces, te fore sub tutela et præsidio magni Numinis Panis, cui oves, et pastores commissi.

34. Amovet hic quoque molestiam, vel potius conatur amo-

res. Hic locus, et qui sequetur statim: « Est mihi disparibus septem compacta cicutis Fistula: » pendent necessario ab his, quæ nunc dicturus. Ergo plures calami septem, aut cicutæ septem, et utraque locutio veterem fistulam signat, quæ compacta erat e septem cicutis, vel avenis conjunctis cera: ideo Æschylus fistulam *κηρόπλαστον* vocat. et Pollux de fistula, *κηρῷ συνδεθεῖα.* et Theocr. Idyll. I. *φίρ' ὐπάκτοιο μελίπνουν Ἐκ κηρῶ σύριγγα καλάν.* Habebat unaquæque cicuta sonum suum ab aliis discrepantem. Verba Scaligeri in Historico figuram fistulæ apprime signant: *Proportione certa ad alæ figuram. in summo, quæ inflabantur, æquales; inæquales, qua exit spiritus.* Forsitan in hac figura explicanda respexit Vir doctus ad versus Ovid. qui Met. VIII. de pennis Dædali: « ponit in ordine pennas A minima cœptas, longam breviore sequente, Ut clivo crevisse putes. Sic rustica quondam Fistula disparibus paulatim surgit avenis. » Itaque ordo fistularum semper decrescebat, juxta hanc Tibulli descriptionem: « Fistula cui semper decrescit arundinis ordo, Nam calamus cera jungitur usque minor. » Formam veteris fistulæ multis persequitur Achilles Tatius Alexand. lib. VIII. Meminit Calpur. Ecl. IV: *Septena modularer sibila canna.* Sidonius Apoll. epist. II, 2: *Cui concentui licebit adjungas fistulæ septiforis armentalem camænam.* Pind. Pyth. Od. II. *ἑπτατόνου* dixit, non quidem fistulæ, sed *φόρμιγγος, septisonæ citharæ.* Theocritus ab his discrepat, quæ docuimus; nam Idyll. VIII. sic ait: *Σύριγγ' ἄρ ἐποίησα καλὰν ἐγὼ ἑπτάφωνον, fistulam ego pulchram feci novem vocum.* Oritur igitur, vel audaciter hoc, quod vult Scaliger: vel per novem voces tantum signat multitudinem vocum. Porro nihil magis aperiet formam antiquæ fistulæ, quam ipsissima typo expressa: eam igitur hic tibi subjicio ex marmoribus.

Cerda.





34. *Nec te pœniteat calamo trivisse labellum.* Non tibi parum videatur. Terentius: *At enim quantum hic operis fiat, pœnitet.* Id est parum videtur. Et notandum *pœniteat trivisse*, præteritum pro præsenti positum, usurpative est: quod in defectivis licenter fit, ubi

vere: si discas canere fistula, lædes ea atteresque labella tua, quæ grata, et mollicula, atque indigna, ut atterantur: sed magna res est, o Alexi, Panem imitari, cum eo vivere, illum præsidem habere: ergo ne pœniteat breve incommodum pati pro re tam magna: deinde exemplum habes Amyntæ nobilissimi pastoris, qui multa passus est, artem hanc ut disceret.

36. Animus hujus miseri amatoris est, res suas ostentare, quo efficacius puerum permoveat, quem tantopere deperibat; ergo ait, habere se fistulam, non quamcunque, et vulgarem, sed quæ simillima esset fistulæ Dei Panos: nam ea erat compacta e septem cicutis, id est, calamis disparibus: et bene explicat Cæs. Scal. vocem *septem* tantum referri ad numerum: nam *disparibus* solum ad quantitatem, videlicet de ordine calamorum decrescente, ut jam supra explicui.

37. Pergit fastu quodam pastor, et commendat fistulam a primo possessore Damœta. Quæ dono dari solent, pretiosa sunt: quæ in morte, ut amantissimi animi fiat attestatio, sunt pretiosissima: ergo mihi dono data est fistula, et a moriente. Quin addit verba amoris plena, *te nunc habet ista secundum*: an hoc parum est? solet mors vicina sensus omnes abripere, et animum occupare extremæ calamitatis cura. Non sic accidit: nam Damœtas moriens adhuc integro fuit sensu, ut munus suum commendaret: pergit Corydon; aderat Amyntas, qui tanto muneri invidit præ stultitia sua, qua putabat fore, ut ipse mihi præferretur in ultima illa amoris Damœtæ significatione. Collige omnia: fistula mihi data est dono, et a moriente, et cum significatione amoris in morte ipsa, et cum alterius invidia. Quale ergo donum!

40. Post commendationem fistulæ pergit ad donum alterum, quod servat Alexidi: sunt mihi *duo capreoli*, præclare;

præsens non invenitur. Ut, *Quanquam animus meminisse horret.* — *Labellum.* Parvum labrum. Hinc inanissimam quidam tentant facere discretionem: ut virorum labra, mulierum labia dicantur. *S.* — *Calamo trivisse labellum.* Quum septem essent calami, necessario, ut sonus ederetur, omnes percurrebantur: unde fiebat, ut plerumque labrum læderetur, et veluti attereretur. Inde Lucret. lib. IV, 592: « Unco sæpe labro calamos percurrit hiantes. » Idem Lucret. iterat lib. V, 1406.

36. *Disparibus septem compacta cicutis.* Inæqualibus cannis. Nam et harmonia inæqualis est. Cicuta autem est spatium, quod est inter cannarum nodos. — *Compacta.* Conjuncta: ut, *Turrim compactis trabibus quam eduxerat ipse.* Serv.

nam ex ingenio puerorum, qualis erat Alexis, qui rebus exiguis delectantur: itaque non dat oves, non capras, non tauros, sed capreolos: *reperti*, ergo, quos amiserat, et quos quæsíverat cum labore: sed ubi reperti? *in valle non tuta:* itaque quæsiti cum periculo vitæ, nam valles insidiosæ sunt, quia non loca aperta, et clara. Ulterius, *sparsis etiamnum pellibus albo:* solent capreoli mutare colorem, et maculas, quum fiunt grandiores: non sic est, ait Corydon: adhuc lactentes sunt, et tenerrimi; et ideo addit, *bina die siccant ovis ubera:* itaque nondum colorem mutarunt; retinent illam speciositatem, qua nati: hos igitur tibi servo, o Alexi.

43. Quasi dicat: vide, an pulchri capreoli? nam Thestylis diu anxia est pro illis, orat me: obtinebit, et abducet eos, si tibi hæc munera sordida videantur, et nullius pretii digna.

45. Nova invitatio, et plena amoris; ut si diceret: humanam si aspicis curam, si fistulam, et capreolos; ecce in gratiam tui studiosæ sunt nymphæ, studiosa inprimis Nais: nihil tam floridum natura producit, aut odore, aut colore, aut quavis alia dote gratum, quod non illæ conjungant ad gustum tui: sunt lilia calathis, etc.

46. Quum dederit Nymphis generaliter aggestionem liliorum in calathis, uni Naïdi ait fuisse curam fasciculi conficiendi ex variis floribus: nam hæc carpit violas, et papavera, et cum illis conjungit narcissum, atque anethi florem. Observa obiter proprietatem attributorum, quæ mira: violæ sunt *pallentes;*

43. *Orat abducere.* Orat ut abducat: figuratum est: ut, *donat habere*, id est, donat ut habeat. *S.*

44. *Et faciet.* Noluit dicere *et faciam:* ne quem amabat offenderet, si se velle alteri dare munus diceret, quod ei paraverat. *Serv.*

45. *Huc ades, o formose puer. Tibi lilia plenis, etc.* Tantum honoris habet puero, ut ei dicat etiam numina obsecutura. Sane *calathus* Græcum est: nam Latine *quasillum* dicitur. Cicero in Philip. lib. III, *At vero hujus domi inter quasilla appendebatur aurum?* S. — *Lilia.* Lilium rosæ nobilitate proximum est, Plin. XXI, 5: cum rosis etiam mixtum venustissimum efficit colorem, ut Virg. Æn. XII, 68: « Si quis ebur aut mixta rubent ubi lilia multa Alba rosa: talis virgo dabat ore colores. »

46. *Calathis.* Videtur Calathus genus quoddam canistri fuisse apud veteres servandis floribus destinatum, quod colligas ex crebra hujus rei mentione. Præter Virgilium hoc loco, Ovid. Met. XIV: « sparsosque sine ordine flores Secernunt calathis. » *Cerda.*

47. *Pallentis violas.* Amantium tinctas colore. Horatius. *Et tinctus viola pallor amantium.* Unde non præter affectionem amantis, eos

papavera *summa*, nam hæc multum excrescunt: anethum *bene olens*: attributo caret narcissus se ipso laudabilis, et nulla egens commendatione. Sed non otiose prætermittendum epithetum Naïdos: laborabit in rem tuam Nais candida, quia tu candidus. Sed cur Nais præ aliis Nymphis? Naiades amabant pueros, nam et Hylam dicuntur rapuisse.

49. Superiora retulit ad fasciculum, nam nullus visus mihi est apparere ordo in ipsis floribus. Sed hoc jam refero ad coronam, et sic explico: facit Nais sertum ex casia, et aliis herbarum generibus, quod illuminabunt distinguentque flores duo, videlicet vaccinium, et caltha; illud molle, hæc luteola: ergo triplex genus florum offert a Nymphis: primo lilia in calathis; deinde fasciculum, sed nullo florum ordine; tertio sertum compositum ex herbis, et illuminatum binis floribus.

flores nymphas dicit offerre, qui sunt amantibus similes: *Papavera carpens, Narcissum et florem bene olentis Anethi.* Sane Papaver, Narcissus, Anethus, pulcherrimi pueri fuerant, qui in flores suorum nominum versi sunt: quos ei offerendo, quasi admonet, ne quid etiam tale aliquid unquam ex amore patiatur. *Serv.*

49. *Casia.* Sitne herba, frutex, an cortex, obscure satis expediunt, qui Botanica persequuntur. Salmas. in Plinian. exercit. p. 401, de casia Arabico frutice et de herba prolixius agit. Odoratis adscribendam esse *casiam* constat, ex quibus sumptuosissima unguenta conficiuntur. Theophr. de Plant. VI, 2. et IX, 7. Ubi Bodæus erroris arguit Servium, quod κασία Græce corticem significet, non herbam, et *casia* Latine herbam, quæ Græcis κνίκος et κνίκον, de qua Plin. XXI, 9. *Casiæ* meminit Dioscor. I, 12. et Noster Ge. lib. II, 213: « Vix humilis apibus casias roremque ministrat. » Et lib. IV, 182: *casiam crocumque rubentem.* Et ut hac in Ecl. sic in Ciri vs. 368. herbæ appellatione venit: « At nutrix patula componens sulfura testa, Narcissum casiamque herbas incendit olentis. » *Emm.*

50. *Mollia luteola pingit vaccinia caltha.* Mollia vaccinia pingit, id est, componit, de caltha luteola. Nam nisi *luteola* septimus sit casus, jam non stabit versus. Mollia autem, tactus plumei scilicet. Hoc dicens, ex colorum diversitate quærit ornatum. *Serv.* — *Luteola càltha.* Caltham Turneb. XIX, 22. docet buphthalmon nominari: de quo Dioscor. III, 147. Hujus flos est luteus. Plin. XXI, 6. violis annumerat. *Proxima violæ marinæ* (quæ colore est luteo) *caltha est concolori amplitudine, etc. Flores ejus non olent, sed folia.* Alium esse, ac amellum, de quo Noster Ge. IV, 270. docet Bodæus ad Theophr. p. 822. *Emm.* — *Luteola.* Utitur hoc diminutivo Colum. IX, 4: *At in hortensi lira consita nitent candida lilia, nec his sordidiora leucoia, tum punicæ rosæ luteolæque et Sarranæ violæ, etc.*

51. Roget aliquis Corydonem: tune otiosus in tanto Nympharum studio, et labore Naidos? Non ero (inquit): imo labor meus pretiosior, et utilior: nam si illæ occupantur in legendis floribus, ego occupabor in capiendis fructibus: legam enim mala, nuces castaneas, pruna: hæc mihi visa mens poetæ, nam profecto Corydon certat cum studio Nympharum: et ideo signate tria quoque verba adjungit. Nymphæ ferent, Nais carpet et pinget: ego quoque ipse (an alteri curam committerem, quam pro te suscipio?) legam, addam, carpam; ne sim Nymphis minus studiosior: inde studium illud in ornandis rebus, quas ipse offeret: perinde ac si diceret; dabit Nais violas, non vulgares, sed pallentes; vaccinia, quæ mollia; caltham, quæ luteola: sed non me vincet: dabo enim ego mala, quæ pretiosa sua canitie, suo lanicio; dabo nuces, non vulgares, sed illas castaneas; imo vero, quas amabat mea Amaryllis. Quantum hoc est? dabo pruna: illa quæ sunt cerea, et quibus jam novus honos accedet, quod tibi a me consecrentur, non minus atque in honore sunt quam nuces castaneæ, quæ amentur ab Amaryllide.

Quam noster *luteolam*, Col. lib. X. de cult. hort. *flammeolam* vocat. Quod, teste Salmasio, in Plin. exercitat. p. 1155. idem, quod *luteola*. De luteo colore sic Gellius II, 26: *Rubidus autem est rufus atrore et nigrore multo mixtus, luteus contra rufus color est dilucidior, unde ejus quoque nomen factum esse videtur.*

51. *Cana legam tenera lanugine mala.* Mala dicit cydonea, quæ lanuginis plena sunt: sed non præter obliquitatem. Nam in Æneide diximus, apud Cretenses, infamiæ genus juvenibus fuerat, non amatos fuisse. Et verecunde rem inhonestam supprimit, quam Theocritus aperte commemorat. *Serv.* — Qui Servii sententiam firmatam cupit, adeat Lipsium lib. III. antiq. lect.: honestiorem quoque interpretationem hic locus non respuere videtur. Lanuginem saltem inesse pomis cydoneis verissimum est ex Col. XII, 45. *Cydonia in lagena nova, quæ sit patentissimi oris, detersa lanugine quæ malis inest, componuntur leviter.* Mala lanugine obducta *lanata* appellat Plin. XV, 14. *Emm.*

52. *Castaneasque nuces.* Bene speciem addidit, dicens castaneas. Nam *Nuces*, generaliter dicuntur omnia, tecta corio duriore: ut avellanæ, amygdalæ, juglandes, castaneæ; sicut contra dicuntur poma, omnia molliora. *Serv.*

53. *Addam cerea pruna et honos erit huic quoque pomo.* Licet hinc eorum obscuram diligentiam deprehendere, qui quum passim in veteribus exemplaribus legerent *Addam cerea pruna; honos erit*, absque particula conjunctiva, eam ne versus infirmus esset, inseruerunt. Quare quum neque præter rationem sit legere *pruna; honos*,

54. Addit novum studium adhuc cum respectu ad Nymphas. Non solum illas superabo, quia flores illæ, ego fructus legam : sed carpam quoque lauros, carpam myrtum, ex quibus gratus odor exspirat, et eo gratior, quia conjunctæ in unum. Sed laurum, et myrtum carpam, quæ virent perpetuo, neque languescunt hyeme : non flores, qui caduci, et cito languidi. Et observa dari Veneris fruticem, quia in eo esset amoris philtrum.

55. Id est, proximæ, ac vicinæ. Est, qui explicet, sine ullo ordine, ut illud 4. G. *sic positum in clauso linquunt. Græci dicunt* οὕτως.

56. Reprehendit se, velut ad se rediens, hac sententia. Alexis nec dona a Nymphis, nec a te curat, quamvis laboriose excogitata : contemnit lilia Nympharum, Naidos violas, mala tua, etc., ac perinde, rusticus es, qui tamdiu persistis in ambiendo : generosum te esse oportet, et contemnentem contemnere.

57. Sed esto velis certare muneribus, et illum vincere : nihil plane proficies; nam, qui etiam ambit puerum Iolas, ditior est te, atque adeo nihil concedat in certamine profundendarum opum, si his agenda sit res.

58. Quanquam quod verbum excidit ex ore meo? cur meos amores aliis indico mihi prærepturis, aut turbaturis? Dicit

tot venerandæ antiquitatis codicibus adstipulantibus, *et* particulam, ab aliis intrusam, audacter nos sustulimus. Ita Cl. Potier, I, p. 45.

54. *O lauri.* Licet Horatius dixerit, *Depone sub lauru mea :* melius tamen est juxta secundam formam inflectere : nam melius sonat. — *Proxima myrte.* Vel vicina lauro : vel ad odorem proxima; potest enim utrumque intélligi. *Serv.*

56. *Rusticus es Corydon.* Arguit se stultitiæ, quod eum se sperat placare muneribus, qui potest habere meliora; nam supra ait : *Delicias domini.* Serv.

58. *Heu, heu, quid volui misero mihi.* Quomodo eum discedere dicit, quem supra cum eo diximus non fuisse? Nam ait, solus montibus et sylvis : sed ratione non caret. Epicurei enim dicunt (quod etiam Cicero tractat) geminam esse voluptatem : unam quæ percipitur : et alteram imaginariam, scilicet eam quæ nascitur ex cogitatione. Unde ita debemus accipere hunc versum per cogitationem, illa imaginaria voluptate : qua et cernere et alloqui videbatur absentem. Sed postquam objurgatione sua in naturalem prudentiam est reversus, caruit utique illa imaginaria voluptate, ubi nunc sibi se obfuisse dicit per hanc ratiocinationem. *Rusticus es Corydon : nec munera curat Alexis. Nec si muneribus certes, concedat Iolas.* Serv.

hoc, quia imprudenter Iolam nominavit. Nam hoc, inquit, quid est aliud, quam Austros floribus meis immittere, qui noxii venti; fontibus apros, qui aquam meam turbant. Ergo sese floribus comparat, et fontibus: Iolam, verius opes ejus, Austro, et apro: nam quid non opes contaminent, quid non corrumpant?

60. Sententia est plena persuasionis. Fugisne Corydonem? demens es. Nam me cur fugias? an quia rus indignum? Non dices. Nam Dii ipsi, qui Superi, et Magni sylvas etiam habitarunt. Dices. Dii, nihil mirum, erant enim tuti suo Numine. Contra est, nam pueri etiam formosi, qualis Paris filius magni Regis Dardanorum, sylvas etiam habitarunt. Objicies Palladem, quæ arces habitat. Nullum hoc argumentum, o Alexi: nam ideo habitat, quia condidit: et quidem bellorum Dea munienda est arcibus: nobis autem, tibi, inquam, et mihi, qui pastores sumus, ac vitæ liberioris, sylvæ placeant, non solum ante arces, sed etiam ante omnia. An tu quicquam potes conferre cum virente gramine, cum molli herba, cum omnigena florum varietate, cum blandiente ubique parente rerum omnium natura.

63. Tres primi versus hoc continent. Ducuntur animantia omnia cupiditate aliqua. Nam leæna sequitur lupum, lupus capellam, capella Cytisum: sic, o Alexi, te Corydon: quia voluptas sua trahit quemque. Corydon a ferocioribus ad mitiora semper tendit, ut sistat in amore suo, qui blandissimus. Ferox est leæna, atque adeo torva; non ita ferox lupus; jam

60. *Quem fugis ah demens.* Iterum per Phantasiam quasi ad præsentem loquitur; et quasi ille dixisset sylvas, hic infert: *Habitarunt dii quoque sylvas, Dardaniusque Paris.* Et Paris habitavit sylvas, qui de dearum pulchritudine judicavit. *Serv.*

63. *Torva leæna lupum.* Theocriti sunt isti versus. Et bene se revocat ad rusticas comparationes: pæne enim fuerat lapsus, dicendo, *Pallas, quas condidit arces.* Leæna autem dictum est, sicut dracæna. Et quod ait, *Torva leæna lupum sequitur*, verum est: nam necesse est, ut veniente lupo, adventus agnoscatur leonis. *Serv.* — *Leæna.* Hoc nomen licet veteres Latinum negent, auctoritate tamen valet. Dicebant enim leonem masculum et feminam, ut Plaut. in Frag. Vidul. 21. *Nam audivi feminam ego leonem semel parire.* Cic. de gloria lib. II. sic ait: *Statuerunt gloria leænæ.* Leam vero Varro ad Ciceronem dicit lib. III: *Sicut nocet panthera et lea.* Philargyrius.

65. *Te Corydon, o Alexi. Don o A*, antibacchius est: sed o brevis fit: quia vocalis vocalem sequitur. sic Homerus πλάγχθη ἐπὶ Τροίης ἱερόν. — *Trahit sua quemque voluptas.* Notabatur a Criticis, quod

capella lasciviens; Corydon totus amor. Structio ipsa versuum hoc idem indicat. Primus enim versus ferocior est, leænæ, et lupi repræsentata sævitie : alter jam mollior, lascivientis capellæ, et florentis cytisi mentione : tertius totus diffluit in amores. In primis versibus nota miram poesin. Prius feminam leænam constituit, quæ persequitur marem lupum : mox commutat, et marem lupum, facit persequentem capellam feminam.

66. Post querelas frustra jactatas fingit præclare noctem advenire, quasi nihil aliud potuisset pastorem ab eo loco divellere. Ergo ab adveniente nocte erroris sui admonetur, et videt frustra insumtum diem. Aspice notas duas noctis advenientis. Prior est: tauri conversis aratris, suspensisque ex jugo domum redeunt. Posterior : Sol duplicat umbras montium, quum recedit : tu tamen miser amore ureris, quasi dicat: cessat labor boum, cessat ardor Solis : at non tuus labor, non tuus ardor. Sed se excusans addit : quis enim modus adsit amori? hac sententia : labor boum terminum habet, Sol occasum; unus amor caret modo, atque adeo nihil mirum, si bobus, et Sole a labore cessantibus, ego nunquam ab amando cessem.

hanc sententiam dederit rustico, supra bucolici carminis legem, aut possibilitatem. *Serv.* — *Quot homines*, ut Ter. in Phorm. II, 4, 14. *tot sententiæ*. Quisque id expetit, idque probat, quo ejus potissimum animus oblectatur. Alia aliis placent. Pers. sat. I, 52 : « Mille hominum species, et rerum discolor usus, Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno. » Horat. Sat. II, 1, 27 : « Quot capitum vivunt totidem studiorum Millia. » Idem Epist. II, 2, 58 : « Denique non omnes eadem mirantur amantque. *Emm.*

66. *Aratra jugo referunt suspensa juvenci.* Horatius : *Videre fessos vomerem versum boves, Collo trahentes languido.* Et hoc vult dicere, Omnia, excepto amore, finiuntur. *Serv.*

67. *Et sol crescentis decedens duplicat umbras.* Variavit : nam ait supra, *Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.* Duplicat autem, auget : Sallustius, *Et Marius victus duplicaverat bellum.* S.

68. *Me tamen urit amor.* Quum jam calor sit Solis exhaustus. *Serv.* — Reliquis mortalibus corpori quietem dantibus, et somno necessario instaurantibus fractas vires, ingratiis vigilare coguntur, qui amant : ut Phædria ille Terentianus. — *Quis enim modus adsit amori.* Noverat hoc Terentianus Parmeno, domino Phædria sapientior, in Eun. I, 1, 12 : *Here, quæ res in se neque consilium, neque modum Habet ullum, eam consilio regere non potes. In amore hæc omnia insunt vitia*, etc. Imo post querelas, magis amore ardere videntur, qui amant. Dido apud Ovid. Heroid. ep. VII, 29 : « Non tamen Æneam, quamvis male co-

69. Quum jam sit in fine et querelarum, et diei, ita se reprehendit, ut omnino resipiscat, neque redeat ad insaniam Alexidis amandi. Geminatio vocis apta est ad insaniam indicandam, quasi dicat: o Corydon, quæ te cepit dementia? profecto habes vitem semiputatam; insanus es: quare non potius aliquid paras facere earum rerum, quæ tibi ad vitæ usum necessariæ, sive ex viminibus, sive ex junco?

73. Ita discedit ab Alexide, ut tamen ostendat proclivem suam in amando naturam: nam eo neglecto, alium se inventurum sperat, qua una re spem fovet. Particula *hic* indicat despectum. Hic ego quiddam animadverto in humanis frequentissimum. Vide ardorem, quo initio Eclogæ ardet Corydon, æstum amantis, flammas, incendium: vide jam hic languorem, quo desinit post effusas querelas, et post animum satiatum loquendo. Sic profecto est: ardes ira in aliquem, jactas contumelias, et evomis quicquid habes in corde, ac statim

gitat, odi: Sed queror infidum, questaque pejus amo. *Emm.*

69. *Quæ te dementia cepit.* Id est, cur amoribus vacas, quum multa sint quæ debes in agro perficere? *Serv.*

70. *Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.* Plus est, quam si *imputata* diceret: tolerabilius est enim non incipere aliquid, quam incœpta desererè. Hinc est illud in lib. I. Æn. *Mene incœpto desistere victam?* Item in Georgicis. *Atque opere in medio defixa reliquit aratra.* Sane geminam arguit negligentiam: et quod semiputata vitis sit, et quod frondosa ulmus: nam utrumque obest. Unde est in Georgicis, *Bis vitibus ingruit umbra.* Et aut simpliciter intelligimus hunc locum, ut suam arguat negligentiam: aut certe illud est, Non mirum me esse dementem, qui habeo vites semiputatas. Nam in sacris dicitur quod corripiatur furore, qui sacrificaverit de vino, quod est de vitibus imputatis. *Serv.*

72. *Viminibus.* Ut nassas, crates, corbes conficiat. — *Detexere.* Perficere, finire, multum texere. nam *de*, modo non minuentis est, sed augentis. *Serv.* — *Paras detexere.* Ut se præparet et adornet ad hæc opera, nondum laboret: deinde opera, quæ difficultatem non habent, sed potius oblectationem, ut et ibi: « Dum sedet, et gracili fiscellam texit hibisco. » Ita omnibus modis justissimam fecit sui adhortationem ad aliquid operis, saltem ad necessarios usus sine molestia corporis capessendum. *Nannius.*

73. *Invenies alium, si te hic fastidit, Alexim.* Alium Alexim, alium puerum formosissimum, qui te minime spernat. — Hoc versu tria sunt, quæ Romanus codex aliter legit, quam vulgata habeant exemplaria. Primo quidem *invenies*, cum nota syllabam esse longam denotante, quod multi legunt *inveniens* participii voce. Alterum, quod nonnullis negotium facessit,

refrigescit ille impetus. Tu paria excogita in aliis humanis affectibus. Adeo nihil est, quod eminentissimus Poeta non attingat!

est verbum *fastidat* per syncopam, pro *fastidiat*, quod jam antiquatum est. Elocutionem vero ejusmodi figuræ No. Marcellus apud Ennium observavit. Tertium est *Alexin* quarto casu, quod ideo probandum videtur, quia recipitur a Servio. In Longobardico abrasa est litera, quæ post *i* succedebat. In Oblongo *i* et *s* ultimæ literæ alieno sunt atramento, et manu. In Romano vero *Alexim* per *m*, Latino declinatu scriptum est. *Pier.*

ECLOGA TERTIA.

(Vide Argumentum generale, vol. I, pag. 102.)

PALÆMON.

ANALYSIS.

Rogat Menalcas Damœtam de domino pecoris, Damœtas aperit. Hinc sumta Menalcæ occasio prima evomendi virus, et primo objicit crimen furti, 1—6. Proscindunt se contumeliis, projecti in omnem verborum petulantiam, et oris procacitatem. Omnia ferme reducuntur ad libidinem, et furtum, 7—20. Excusat Damœtas furtum capri, inde iterum Menalcæ occasio est lacerandi Damœtæ, 21—27. Provocat Damœtas Menalcam ad certamen cantus, ponit vitulam, excusat se Menalcas non a certamine, sed a simili pignore : objicit pocula fortunæ aleæ, quibus sua item Damœtas : uterque illa elegantissime commendat, 28—48. Palæmon intervenit, fit judex, 49—54. Invitat ad cantum ex loci, in quo erant, amœnitate : ver describitur, 55—59. Gloriantur pastores; Damœtas Jovi se carum esse, Menalcas Phœbo, 60—63. Commendat Damœtas lasciviam Galateæ erga se, Menalcas verum, et stabilem amorem Amyntæ, 64—67. Ait Damœtas missurum se munera suæ Veneri, Menalcas jam misisse, et missurum deinde suo Cupidini, 68—71. Jactat exsultabundus Damœtas, quæ sibi Galatea dixerit : dolet Menalcas acerbissime aversum a se Amyntam, 72—75. Vocat Damœtas Phyllida, qua se oblectet : ea voluptate jam se perfunctum insinuat Menalcas, 76—79. Iras suas Damœtas egregie comparat, egregie Menalcas amorem suum, 80—83. Damœtas Pollionem commendat Musæ suæ lectorem, Menalcas factorem carminum : uterque assignat præmium, 84—87. Optat Damœtas multam felicitatem iis, qui Pollionem amaverint : Menalcas insana quæque et absurda iis, qui Bavium non oderint, 88—91. Monet Damœtas pueros, fugiant a floribus pratorum, ubi latent serpentes : Menalcas oves, ut a ripis fluviorum, ubi est periculum, 92—95. Iterum Damœtas Tityrum, ut capellis consulat : Menalcas pueros, ut ovibus, 96—99. Queritur prior de macie tauri, cui ipse exitium attulit : posterior de macie agnorum, quibus oculus fascinans, 100—103. Mutuo sibi quæstiones proponunt, neque solvunt, 104—107. Judex pares dimittit, et cum elogio, 108—111.

EXPLICATIO.

1. *Primus.* Dic Damœta, cujum est pecus? Hinc jam incipit contemtus. Quasi dicat cujum? nam non tuum. Es ne furatus alicui? an est fortasse Melibœi? *Alter.* Neque est Melibœi, ut dicis, sed Ægonis: neque vero ego fur sum; nam nuper mihi Ægon illud pascendum commisit.

3. Jam hic aperit clare Menalcas hostilem animum: o oves

NOTÆ.

1. *Dic mihi Damœta.* Transit in Eclogam plenam litigii, et pastoralium convitiorum. Qui enim Bucolica scribit, curare debet ante omnia, ne similes sibi sint eclogæ: quod etiam Virgilius fecit. Nam prima, habet unius otium: et alterius, qui de suo agro pellitur, conquestionem. Secunda, amantem exprimit rusticum. Hæc vero lites habet et altercationem. Unde etiam dramatico charactere scripta est. Nam nusquam poeta loquitur: sed introductæ tantum personæ. Novimus autem tres esse characteres dicendi: Unum exegematicum, in quo tantum poeta loquitur: alterum dramaticum, ut est in comœdiis et tragœdiis. Tertium mistum, ut est in Æneide: nam et poeta illic, et introductæ personæ loquuntur. Hos autem omnes characteres in Bucolico esse convenit carmine: sicut liber etiam iste demonstrat. Nam habet illum exegematicum, in quo tantum poeta loquitur: ut, *Sicelides Musæ, paulo majora canamus.* Habet mistum, ut, *Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem.* Nam etiam Gallum illic inducit loquentem. Habet dramaticum, ut in prima Ecloga: item in hac, quam miro ordine, ex rebus communibus veniente, composuit. Habet enim, in ipso quasi primo occursu, lites et jurgia: inde quæritur judex, quo præsente, habeant conflictum et disceptationem. Sequitur inde sententia, quæ universa concludit. *Serv.* — *An Melibœi.* Quia dubitat de domino, videtur sentire, Damœtam vulgarem esse mercenarium, et qui quibusvis suam operam locet. Damœtas vero, ut contra ægre faceret: Non, inquit, Melibœi, sed Ægonis: nomen rivalis ad odium subjiciens, ut illum ejus opulentia remorderet. Deinde, ut se a calumnia emacerati gregis eximeret, tempore se defendit. *Nann.*

2. *Non: verum Ægonis.* Amare etiam hæc rivalis ejus pecora esse dicit: et ut divitias illius ostendat. et dicat duras esse hujus partes, si quidem rivalis ejus, traditis ovibus, solus amicæ communis amoribus vacet. — *Mihi tradidit.* Meæ fidei commisit, et credidit. *Serv.*

3. *Neæram.* Amicam communem suam et Menalcæ. *S.* — *Dum fovet.* Quum blanditiis aliquem delinimus, fovere dicimur hominem, Cicero ad Q. Fratr. *Puto per Pomponium fovendum tibi esse ipsum Hortensium.* Amantibus hoc curæ,

infelices. Sed quare semper? quia nimirum sunt Ægonis, pastoris luxuriosi, qui quum tempus impendat voluptatibus, nihil curat de ovibus : et aguntur a Damœta custode, qui fur est. Itaque semper misero pecori imminet infelicitas, sive a pastore luxurioso, sive a custode latrone. Rationem, quam nunc dicebam, attingit jam copiosius. Ægon meus rivalis, dum fovendæ Neæræ operam dat, verens, ne illa præferat me sibi, huic oves commisit. Hic vero quam bellus est custos? omnia hæc afferenda cum contemtu. Bis enim in hora pecus mulget; unde illi succum et agnis lac subducit infamis latro.

7. Supprimit pastor aliqua, profert aliqua. Ergo ait : fateor me lac suxisse, succum pecori ademisse, tamen memineris parcius ista objicienda esse viris. Quasi dicat. Vir sum, id est, pudicus, non mollis; non projectus in monstrosam libidinem, ut tu, quem esse corruptum constat libidine præpostera. Novimus enim qui te corrupere. Certe hi pastores nunquam crimen in sequentibus diluunt, sed evertendi criminis objecti hanc tantum habent rationem, ut recriminentur.

8. Recriminatur, objicitque gravius et deformius flagitium, hac sententia. Tu, nemo alius testis, mihi furti crimen obji-

qui nullum officii genus intermittentes, amplexibus fatigant insinuantque se, ut amoribus expetitis potiantur. Ducta metaphora ad similitudinem avium pullos alis foventium, aut ovis incubantium.

5. *Bis mulget in hora.* Quod vix per totum diem potest in ovibus fœcundis fieri. Nam pro laude in Georgicis posuit, bis ad diem mulgeri oves. Servi nequam peculium suum amplificaturi, clam dominis mulgebant pecus.

6. *Et sucus pecori, et lac subducitur agnis.* Passim inolevit ut *succus* duplici *c c* scribatur. In antiquis tamen his codicibus omnibus, et iis ipsis, qui literas geminare, etiam sine delectu, gaudent, *sucus* unico *c* scribitur : quod et ipsa analogia exposcere videtur, nisi quis non a sugo, sed a suctu *succum* deduci velit, et propterea geminari *c c* contendat. Notat vero versum hunc Val. Probus, in quo nulla fiat synalœphe, quum plerumque vocales inter se concurrant, neque tamen ulla elidatur. *P.*

8. *Transversa tuentibus hircis.* Hircos, id est, capros, libidinosa constat esse animalia. Unde Horatius, *Libidinosus immolabitur caper, et agna tempestatibus.* Quod etiam Plinius Secundus dicit, *Hirci si casu aliquos coeuntes vident, adeo indignantur, ut in eos pene impetum faciant.* Hinc est, *Transversa tuentibus hircis,* id est vestram turpitudinem indignantibus. Alii hoc improbant, et legunt *hirquis.* Hirqui autem sunt oculorum anguli, secundum Suetonium Tranquillum, in vitiis corporalibus; ut sit sensus, Novimus, qui te corruperunt, hirquis transversa tuentibus : et est Hypallage, pro oculis

cis: ego, et alii novimus eos, qui te corrupere nefando crimine libidinis præposteræ: neque enim semel corruptus es. Etenim hic subaudiri verbum *corrumpo* Servius ait. Recte vero monet Jul. Scal. lib. 4. Poet. c. 27, ex suppositione vocis magnos affectus excitari, præsertim in re turpi, ut in hoc loco. Si neges, quæ ego et alii novimus, quæ vidimus, advoco contra te ipsa bruta, et Deos: nam corruptus es, hircis tum tuentibus transversim. Aiunt enim hoc animal invidere voluptatibus, quia libidinosum, et solere hominum Venerem interturbare. Nymphæ vero, dubita an te viderint, nam risere ad tuum flagitium ex sacello suo: sed faciles, quod doleo: debuissent enim te perdere, quod earum lucum tam deformi flagitio violares. Ergo in te testes sumus homines, bruta, Dii.

10. Ista ironice efferenda. Credo, tunc ego admittebam hoc crimen, quum incidebam arbustum Myconis, atque vites novellas mala, et nocenti falce? Sibi enim ironice imputat, quod vere fecerat Damœtas. Quasi dicat: admittebamne ego hoc crimen, quum tu, pessime furcifer, bacchabare in arbustum Myconis, in novellas vites? Ea enim tua est malefaciendi natura, ut non contentus veteres jam, et robustas vites, atque arboribus maritatas perdere, perdideris etiam vites novellas, et ita spem omnem præcideris proventus.

12. Si non admisisti crimen illud ad arbustum Myconis, et vites novellas, certe ad fagos veteres: quin eo fere tempore fregisti per invidiam arcum, et calamos Daphnidis. Nam, ut es perversus, et pravæ naturæ, doluisti contigisse puero ea dona: et quidem rumperere præ invidia, ni puero ratione aliqua nocumentum afferres. Duo hic dicam ad majorem explicationem. *Primum.* Habet jam integrum crimen Menalcæ ex testibus et circumstantiis, Pastores novimus, videre hirci, risere Nymphæ: gesta res est ad fagos veteres, ac per id tem-

in hirquos retortis: quem rem solet libido perficere. Unde Juvenalis, *Oculosque in fine trementes.* Persius: *Patranti fractus ocello.* S.

11. *Incidere.* Arbores alienas incidere capitale olim fuit, quod monet Servius. Cujacius quoque Observ. IX, 12, de arboribus furtim cæsis ait: actione coerceri latrones, qui arbores, et maxime vites, ceciderint; additque actionem esse legitimam in eos, qui arbores *cædunt, cingunt, secant.* Has voces ille explicat: adi.

12. *Arcum et calamos.* Nam habent arma pastores: ut in Georgicis docuit, *Armaque, Amycleumque canem, Cressasque pharetras.* S.

13 *Perverse.* Ad animum videtur referri posse. Theocr. Idyll. V, 12, *σκολὸς* appellat. Valla v. 31: *Perversus est*, inquit, *qui in malo ver-*

poris, quo exarsisti in Daphnidem. Solet enim Virgilius notitiam rei ex diversis locis complere. *Alterum.* Ut ex præcedentibus, et sequentibus apparet, ii pastores sibi tantum duo crimina objiciunt: Menalcas Damœtæ furtum; Damœtas Menalcæ libidinem. Ideo, quæ hic dicuntur de Daphnide sic accipienda existimo: fregisti arcum, et calamos Daphnidis, quod non tibi in libidine obsequeretur, sed alteri cuipiam, a quo dona acceperat.

16. Quid faceret Ægon tuus dominus; quum tu servus, et fur ista in me? An excidit, o pessime, furtum illud capri Damonis per insidias excepti? Nec mihi desunt testes: nam Lycisca latrabat, ego clamabam contra te fugientem, et ad Tityrum; ut caveret pecori a tuis rapinis? tu interim et latratibus, et clamoribus territus, conjecisti te post carecta, ubi latuisti. Carecta sunt hispida; neque vero tu ea formidasti, ut te tegeres.

21. Excusat se Damœtas de furto: cantabamus fistula ego, et Damon: victus est a me, debebat caprum, negabat posse reddere; vindicavi.

25. Arripit Menalcas contemnendi, et ridendi pastoris occasionem. Nota oppositionem verborum: tu vincis cantando? aut tibi est fistula? Absit: non enim tu cantas, sed strides, et perdis carmen: non tibi est fistula, quæ perfecta est, et compacta ex cera; sed stipula. Trivialis tu quidem cantor es, mi

satur, et a bono versus est. Plaut. in Truc. I, 1, 51: *Quum et hic et illic pervorsus es.* In Pers. III, 1, 30: *Si quid fieri pervorse videt.* Id est, male. *Emm.*

16. *Quid domini faciant, audent quum talia fures.* Plerumque personæ suis nominibus exprimuntur; plerumque per officia designantur. Ut si dicas, philosophus: nomen ipsum ponis. Si autem velis dicere, sapientiæ operam dans: personam exprimis per officium, sicut hoc loco fecit: nam pro servo, furem posuit. Furta enim specialiter servorum sunt. Sic Plautus de servo, *Tu trium literarum homo, vituveras me?* Id est, fur. *Serv.*

18. *Multum latrante Lycisca.* Id est, vehementer pro re domini latrante, et ingentem strepitum excitante. Lycisca, an sit canis ex lupo et cane natus, ut vult Nannius, nihil moror. Ex lupo canes concipere verum est ex Plin. VIII, 40, ubi plura de fidelitate hujus bestiæ. Ad quem locum vide Vlitium ad Gratii Cyneg. p. 201, et 202.

20. *Tityre, coge pecus.* Ne in dispersis idem patiatur, quod Damon quasi communis prædo intervenerit. — *Post carecta latebas.* Loca caricibus plena. Carex autem, herba est acuta, et durissima, spartho similis. Alibi, *Et carice pastus acuta.*

Damœta, et affatim indoctus; ita *miser* et imperitus, ut te *sridentem* circulatorem prætereat contemnatque imperitum vulgus.

28. Occasione acceptæ injuriæ Damœtas adversarium provocat ad certamen cantus. Tu, qui me contemnis, qui victoriam meam, et Musam elevas, vis experiamur vicissim re ipsa, nam quorsum verba? quid uterque nostrum possit cantu, et musica? Ac ne recuses certamen, depono hanc, quam vides vitulam: eam tibi quid commendem? bis mulgetur quotidie, binos alit vitulos: vide quæ lactis abundantia, quæ fertilitas uberis. Tu propone, quo pignore velis mecum certare: propone, quid des ad spem mei, ad fiduciam tui: age, si vir es, si tibi lingua, ut ad contumelias, ita ad cantus.

32. *Respondet Menalcas.* Deponis vitulam; vellem ipse deponere de grege aliquid, sed non ausim. Sum enim sub patre, qui mihi domi est; sub noverca, quæ injusta. Deinde, ea est illis gregis cura, ut ambo pecus numerent, pater seorsim hædos, idque bis in die, quum it grex ad pascua, quum redit.

35. Sed quoniam libitum tibi est insanire, et rapi ad rui-

28. *Vis ergo inter nos.* Aut nostri comparatione, aut quod melius est, nullo judice præsente. Postea enim ex improviso Palæmon adveniet. — *Vicissim experiamur.* Id est, amœbæo carmine. Amœbæum autem est, quoties ii qui canunt, et æquali numero versuum utuntur, et ita se habet ipsa responsio, ut aut majus aut contrarium aliquid dicat, sicut hic sequentia indicabunt. *Serv.*

29. *Ego hanc vitulam.* Notat Vossius etiam vitulæ nomen manere post partum. *Emm.*

30. *Bis venit ad mulctram; binos alit ubere fœtus.* Ut eam laudare ex fœtu, et ex ætate videatur. Male enim quidam quæstionem movent, dicentes, vitulam parvam esse: nec congruere, ut eam jam enixam esse dicamus: sed debere nos juvencam subaudire; ut sit, *Ego hanc juvencam depono, vitulam ne forte recuses.* Nam et vitula, a viridiore ætate dicta est, sicut virgo: ut paulo post ipse dicturus est, *Si ad vitulam spectes, nihil est quod pocula laudes.* Item, *Et vitula tu dignus, et hic.* Unde et juvencam subaudire non possumus: sed secundum superiorem sensum intelligamus. Vitula enim est nomen ætatis: non quod tantum ante partum vaccæ possideant. *Serv.*

32. *De grege non ausim quicquam deponere tecum.* Supra enim eum aliena pascere dixit animalia: ut, *Dic mihi Damœta, cujum pecus?* Serv.

33. *Est mihi namque domi pater, est injusta noverca: Bisque die numerant.* Id moris erat pastoribus, ad pascua exeuntem, et stabula reducem gregem numerare: quamvis se hoc indignum affirmet Polyphemus, Ovid. Met. XIII, 824. — *Injusta noverca.* Epitheton generale novercarum, quia duræ privignos præter jus et æquum vexant.

nam honoris, nam quid aliud cogitem de tua temeritate? ne discede ab hac mente, magnum enim quiddam deponam, quod tu ipse dices ipse majus vitula; videlicet duo pocula, multis modis laudanda. Nam *duo* illum intelligere constat ex responsione Damœtæ, quæ mox sequetur.

36. Sequitur poculorum commendatio. Inprimis illa sunt e fago, quæ materia laudatissima ad vasa. Deinde cælata sunt, opere Alcimedontis, qui egregius artifex. Hactenus de caussa materiali, et efficienti.

38. Pergit pastor ad formam. Hæc præclara est, sed in primis sciendum, verba hæc *lenta quibus torno* male explicari: nam *quibus* ponunt in dativo, *torno* in ablativo, quod esse nequit. Nam vas torno effici potest: sed qui vitis torno superaddi, corymbi, hederæ, humanæ formæ, quæ ibi quoque? hæc ab arte torni aliena, imo pugnantia. Ego sic expedio. *Quibus* est in ablativo, *torno* in dativo, hæc sententia. In quibus torno ipsi, qui ex arte una præcessit, vitis est superaddita ex cælatura, arte altera; quæ sane vitis vestit corymbos diffusos ab hedera pallente (id est, exstantes nascentesque ab hedera). Inde mira est oppositio in verbis *facili*, *et superaddita;* quasi dicat: facile fuit vasa tornare, cælare difficile; multa enim fuerunt superaddenda, vitis, corymbi, hedera, homines.

40. Persistit adhuc in describenda forma. Sunt in medio, id est, in fundo poculorum, atque intus signa duo, Conon, eximius Geometra; atque Archimedes, qui radio, id est, virga sua orbem descripsit; patefecit tempora, quibus messes secandæ; aranda tellus. Dat poeta rustico affectatam ex decōro ignorationem quæ tamen non sinit quæsitum nomen ignorari.

43. Absoluta forma finis restabat, sed hunc nondum pocula obtinuerunt; quæ major illorum laus: ita enim nitidiora, recentiora, et semper nova, quia nunquam ex illis bibitum est. Colligo omnia, quæ pertinent ad pocula: laudantur a qua

40. *Conon. Cononem* ducem, cujus nomen in omnium ore versabatur, perperam interpretatur Servius, quum de Samio astrologo sit capiendum, ut Salmasius. V. etiam ad hunc locum R. Titium, II, 17. *Emm.* — *Et, quis fuit alter.* Dubitatio oblivionem confitentis decora in rustico. Innuit autem *alterum* insignem Cosmographum et Astronomum, quem alii alium aliumque suspicati sunt. Sed Jo. Scalig. De Emendat. temporum lib. I, cap. de Periodo Syracusana, *Archimedem* significari ait; et interpretes hic nugari. *Taub.*

druplici caussa : materiali, quia sunt fagina : efficienti, quia ab Alcimedonte : formali, quia et facta torno, et cælata in ambitum hedera, corymbis, vite; intus humanis figuris : a finali, seu potius a negatione finalis, quia nullus hactenus eorum usus. Sunt, qui in hoc versu hypallagen agnoscant istam : non admovi labra poculis, id est, labris pocula.

44. Non est Damœtæ in animo, objicere pocula fortunæ certaminis, sed ductus gloria ostentat quoque suas opes, ne in hoc ab altero superetur. Itaque ait : sunt etiam mihi duo pocula, et facta ab Alcimedonte, quibus acanthus mollis ex mira arte circum ansas ducitur. In medio est Orpheus; sylvæ illum sequuntur; nondum illis bibi. Sed, esto, non haberem hæc pocula, quibus tibi par sum; certe, si spectes ad meam vitulam, te supero; ac frustra tum laudes tua pocula.

49. Præclara excogitatio poetæ. Provocaverat Damœtas Menalcam, in eo versu, *vis ergo inter nos, etc.*, pignus posuerat, ea demum omnia fecerat, quæ sunt provocatoris. Nunc jam Menalcas sese facit provocantem, quum videat non posse certamen subterfugi, et adversario nomen objicit formidinis, *non effugies*, quo timorem incutiat, et addit : *veniam, quocunque vocaris;* id est, ad quemcunque vel locum, vel judicem, vel conditionem. Tantum opto, audiat nos judex aliquis, vel Palæmon ipse, qui jam advenit; ecce illum. Confringam in posterum audaciam, et efficiam ne deinceps, non modo me, sed neque quemquam alium provoces.

52. Quin tu age, certator magne, profer ad cantum, si quid boni didicisti, puto enim te nihil habere eximium et excellens, ego nihil immorabor : nec te fugio, nec quemquam.

44. *Idem Alcimedon.* Irrisio est facta iteratione verborum : et mire omnia in vituperationem trahit, quæ ille laudavit. Ac si diceret : putas te solum habere pocula : cui enim Alcimedon non fecit? tu pro reverentia ea non tangis : ego ideo quia vilia esse existimo. *Serv.*

49. *Nunquam hodie effugies.* Ne contendas : excusationes requiris : non quia æstimas vilia pocula. — *Veniam.* Descendam in certamen.

50. *Audiat hæc tantum.* Subaudi aliquis. *Tantum* autem, quia suspicatur eum victum non posse cedere, qui ita etiam ante certamen est contumax. — *Vel qui.* Venustas mira inest huic particulæ, pro *etiam.* — *Vel qui.* Quasi requirentis est, quum subito venit Palæmon. Alii distinguunt : vel qui venit. Bene autem dubitat, ne eum ipse immisisse videatur, et sit credibile quod ad ejus judicet gratiam. Hoc etiam Damœtas sentiens, dicit. — *Nec quemquam fugio.* Id est, consentio ad eum judicem, quem tu ipse eligis. *Serv.*

Tantum te, Palæmon, qui jam nobis præsens et vicinus, obsecro mandes rem intimis sensibus, reponasque in animum diligenter : agitur enim inter me et istum, de lucro et gloria.

55. Hoc puncto temporis, quum illi loquebantur, Palæmon adfuit, atque ut se judicem ab illis constitutum vidit, sic ad cantus hortatur : Pastores canite, quando locus aptus ad cantum : herba est mollis, in qua consedimus : ager gaudet suis floribus, et suis fœtibus arbores, quos parturiunt : sylvæ luxuriant frondibus : pars hæc anni speciosissima est. Tu Damœta prior incipe, tu Menalca sequere. Dicetis alternis versibus, nam hæc carminum vicissitudo grata est Musis.

60. Præoccupat Damœtas Jovem ; de quo duo dicit in primo versu, et illum esse principium Musæ, et illo omnia esse plena. Alter versus primo opponitur. Priori parti respondet, *illi mea carmina curæ :* posteriori, *ille colit terras.* Ergo ait : ab Jove principium est Musæ, et ideo ego illi credo mea carmina, ut curæ sint tanto Numini : ille terras colit, quo omnia sunt plena. Et observa, certamen a Damœta inchoari, qui primo provocaverat : in his minimis apparet diligentia Poetæ.

56. *Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos.* Ipse alibi, *Parturit almus ager.* Sane bene subdidit, *Nunc frondent sylvæ*, referens ad arbores steriles : nam *Parturiunt* de pomiferis dicimus. Vult autem tempus exprimere, quo et deliciæ sunt in agris, et rustici minus laborant : ut sit duplex ad cantilenam invitatio. *Serv.*

59. *Alternis dicetis.* Quia quasi iratus fuerat, quod Damœtæ prior locus dabatur : idcirco ait, *alternis dicetis.* In Amœbæo enim carmine difficilior pars respondentis est : qui non pro suo arbitrio aliquid dicit, sed aut majorem aut contrariam format responsionem : ut diximus supra. — *Camœnæ.* Musæ quibus a cantu nomen est inditum. *Serv.*

60. *Ab Jove principium Musæ.* Vel Musæ meæ ab Jove est principium : vel, O Musæ, sumamus ab Jove principium. Est autem Arati, qui ait, Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, τὸν οὔ ποτ' ἀνδρες ἰῶμεν Ἄρρητον. μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ, Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραὶ, μεστὴ δὲ θάλασσα, Καὶ λιμένες. Πάντῃ δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες. Theocr. Idyll. XVII : Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, καὶ εἰς Δία λήγετε Μοῖσαι· *Ab Jove incipiamus, et in Jovem desinite Musæ.* Cic. II, Legum : *Ab Jove Musarum primordia, sicut in Arati carmine, orsi sumus.* — *Jovis omnia plena.* Lucan. *Juppiter est quodcunque vides, quocunque moveris.* Et noster Maro plenius Æn. VI, 726; *Spiritus intus alit, totamque infusa per artus Mens agitat molem.* Ipse enim Jupiter est spiritus, sine quo nihil movetur, aut regitur.

61. *Colit terras.* Amat : cæterum superior colitur : non colit inferiorem. Sic alibi, *Unam posthabita coluisse Samo*, id est, amasse. Nec

62. Præoccupato Jove, ad quem confugeret Menalcas, nisi ad Deum Principem carminis? Ab hoc inquit se amari: reddit rationem: quia sunt apud se semper duo munera, lauri, et hyacinthus, quæ duo sacra sunt Phœbo.

64. Post jactatum patrocinium Numinum, gloriantur pastores se quoque caros esse pulchris, et formosis. *Ait primus:* ferit me malo Galatea cum mille notis lasciviæ, nam post ictum fugit ad salices, ita tamen ut se in fuga prodat. Non hic omittam verba Scaligeri: *Expressit lasciviam, quum petit malis: virginem; quum fugit: muliebre ingenium, quum vult resciri factum.*

66. *Ait alter:* si tecum lascivit Galatea, vinco te, pastor; nam Amyntas mihi est, qui non lascivit ridicule, sed ita me amat, ut ignem dicas, et ignem meum, non alterius. Non fugit, ut Galatea quæ gaudium præbet interruptum, sed sese mihi ultro offert. Mihi ita perpetuo est præsens; ut Diana, præses venantium Dea, notior non sit meis canibus.

68. Post jactatam primo tutelam Deorum, dein amicæ, et amici amorem erga se, gloriantur jam pastores de donis, quæ suæ quisque, aut suo mittit. *Ait primus.* O pastor; parta jam sunt mihi, et comparata munera, quæ dem meæ Galateæ,

mirum si rusticus sumpsit ab Jove principium : quem amare terras constat, et habere carminum curam. *Serv.*

62. *Et me Phœbus amat.* Aut simile est quod dicit, quia unicuique deus is quem colit, summus videtur : ut, *Summe deum, sancti custos Soractis Apollo :* ut Apollinem exæquaverit Jovi. Aut certe ordo sit talis, Me et Phœbus amat : ut et plus dicat, nec Jovi videatur Apollinem comparare. — *Sua Munera.* Ipsi grata : id est, laurus et hyacinthus. Nam scimus Daphnen Ladonis fluminis Arcadiæ filiam, dilectam ab Apolline, et Terræ miseratione in laurum conversam : et Hyacinthum amatum, tam a Borea, quam ab Apolline : qui quum magis Apollinis amore lætaretur, dum exerceretur disco, ab irato Borea eodem disco est interemptus, et mutatus in florem nominis sui. *Serv.*

65. *Et fugit ad salices, et se cupit ante videri.* Attingit Poeta ingenium feminarum, et amantium. Ita illæ fugiunt, ut velint videri: ita pugnant, ut velint vinci : ita odia exercent, ut tunc ament maxime. Ovid. Art. I : « Pugnando vinci se tamen illa volet. » Horatius : *Nunc et latentis proditor intimo Gratus puellæ risus ab angulo.*

67. *Delia nostris.* Deliam alii amicam priorem volunt : alii Dianam, quæ est a Delo : et est canibus nota, per quos venamur, quasi dea venationis. Nam si ad amicam referas, hoc dicit : Sic frequenter ad me Amyntas venit, ut canibus meis notior sit, quam amica mea Delia. *Serv.*

potius, meæ Veneri: nam notavi locum, in quo palumbes nidum fecere, has cepi, et has mittam. Etenim mihi visus est pastor insinuare, se nondum misisse, tantum habere apud se.

70. *Respondet alter?* Ais te missurum munera? ego vero jam misi mala aurea, lecta manu mea ex sylvestri arbore, et si possem, plura mitterem; feci tamen quod potui: atque hæc misi meo Amyntæ, potius meo puero Cupidini, sicut tu tuæ Veneri. Quin nondum absumta liberalitas: cras mittam decem altera.

72. Exprimitur ingens affectus pastoris nescientis explicare, quoties, et quas res secum locuta sit Galatea; petitque a ventis, ut partem aliquam, nam omnia non possunt, dulcissimi sermonis ad aures Divum perferant, ut non humanæ solum aures, sed divinæ mulceantur.

74. *Ait pastor*, nihil prodesse, se ex animo ab Amynta non sperni; si tamen, dum ille occupatus est in apris sectandis, ipse interim contineatur ad servanda retia, ac perinde careat tam pulchra voluptate, tam pulchro comite.

76. In Natalitiis licebat operam dare voluptatibus: in festo agrorum, ambarvale vocant, omnia erant pura, et sancta. Ergo ait; o Iola, mitte ad me amicam Phyllida, quacum oblecter in die natalis mei, qui jam adest. In sacro pro frugibus, quod fit vitula, veni ipse; amicam renuo.

78. Insistit Menalcas vestigiis Damœtæ. Dixerat hic; o Iola, mitte mihi Phyllida: respondet alter: o Iola, ego amo Phyllida longe præ aliis, nam flevit discessum meum, nam formosum vocavit, nam sæpe vale dixit, diu verbis immorans, et

71 *Aurea mala decem misi.* Plus dicit. Nam quum ille dixisset se esse missurum: iste jam misisse confirmat. Aurea autem, aurei coloris. Theocr. Idyll. III: Ἤνιδε τοι δέκα μᾶλα φέρω· τηνῶθε καθεῖλον, Ὦ μ' ἐκέλευ καθελεῖν τύ. Καὶ αὔριον ἄλλα τοι οἰσῶ. « Ecce mala decem affero tibi, ex eo loco decerpta Unde me jussisti decerpere: cras alia afferam. » Græcus poeta *fero*, Latinus *misi*, quod efficacius: *mala* simpliciter, Latinus elogium addit, *aurea*; et studium, *lecta*.

73. *Divum referatis ad aures.* Ita, inquit, mecum dulce locuta est Galatea, ut deorum auditu ejus digna sint verba. Venti antiquis habiti sunt pro interpretibus et internunciis, qui preces et vota ad Deorum aures referebant. Eruditam hac de re disputationem tradit Turnebus I, 23.

79. *Longum vale.* Ita, *Longum salvere*, dicebant. Supra, *suave rubens.* Horat. *Perfidum ridens Venus.* — *Vale, vale, inquit, Iola.* Hic pastor, aut habuit duo nomina (nam supra eum Menalcam dixit) aut certe Iolam eum, quasi pasto-

longo tractu producens extremam salutem, ut quæ ægre discederet.

80. Stabulis ovium tristis quædam res est et infesta, lupus qui eas devorat: imbres turbidi et præcipites, frugibus decoctis jam ad messem, qui eas perdunt: venti arboribus, qui eas corrumpunt: nobis nihil est tristius ira Amaryllidis, quæ me devorat, perdit, corrumpit. Maluit Poeta, *iræ*, quam *ira*: tum quia numerus auget vim; tum quia ait, *nobis*: itaque respondet numerus numero.

82. Satis dulcis quædam res est, humor lenis et blandus, unde illa aluntur: arbutus hœdiculis ablactatis: horum matribus levatis a partu salix lenta: mihi Amyntas unus, et solus dulcissimus est.

84. Pollio egregia animi humanitate amat Musam nostram, etiamsi sit rustica, excellens ipse carminis tragici Poeta: quamobrem vos, Pierides, vitulam pascite lectori vestro; observa, quia *nostram*, ideo *vestro;* et quia *Musam*, idem *Pierides:* et quia Musa *rustica*, ideo *vitula*, præmium rusticum.

86. Idem Pollio facit carmina, quod præstantius est; et ea non vulgaria, sed nova: quapropter vos, Pierides, taurum pascite jam adultum, non vitulum, et eum non vulgarem; sed cui duplex sit nota generositatis; ut cornu petat, ut arenam spargat: hoc præmio dignus ille.

88. O Pollio, qui te amat, eo perveniat, quo gaudet te pervenisse: signat triumphum, et consulatum. Te amanti omnia accidant candidissima, et pro votis: fluant huic mella ex quercubus; nascatur amomum ex rubo. *Collige omnia.* Huic, qui te amet, opta triumphum tuum, consulatum, auream ætatem, ac perinde omnem felicitatem.

rem optimum appellavit, a quodam pastore nobilissimo: sicut virum fortem plerumque Achillem; adulterum, Parim vocamus. Sane *Longum vale* ita ait, ut torvum clamat: pro adverbio nomen posuit. Vale, vale, inquit; *Le* corripit sequens vocalis, ut, *Te Corydon o Alexi.* Serv.

84. *Pollio amat nostram, quamvis sit rustica, Musam.* Blanditur jam Pollioni patrono: quem tragœdiarum et historiarum scriptorem Horatius fuisse testatur. Nam in secundo carminum, dicit de historiis, *Periculosæ plenum opus aleæ Tractas, et incedis per ignes Suppositos cineri doloso.* Item paulo post, *Paulum severæ Musa tragœdiæ Desit theatris.* Quem, carmen suum, licet rusticum, tamen amare confirmat. *Serv.*

88. *Quo te quoque gaudet.* Subaudi venisse; pervenerat autem ad consulatum post triumphum Dalmaticum. Nam vicerat Salonas, ci-

106. Rogat posterior vicissim, dicat, ubi sit ea pars terrarum, in qua flores nascantur habentes inscripta regum nomina. Hoc si divinet, cedet ipse a Phyllide, et amicæ jus totum in Damœtam transfundet.

108. Ait Palæmon, se non parem tantæ liti judicandæ. Ad sententiam pertinet nota Germani, qui dicit, rustico more rem tantum transigi, non judicari.

109. Tu Damœta, et hic Menalcas, uterque dignus vitula. Nominat tantum vitulam, quia ea posita pro pignore, et digito indicata, erat enim præsens : nam pocula nunquam allata. Non vos solum digni tanto præmio, sed quisquis vos canendo æmuletur : quisquis exprimat carmine metum, qui est in amante, ut tu expressisti, o Menalca : quisquis exprimat amaritiem, quam expertus est in amore, ut tu Damœta expressisti. Sequutus sum explicationem Servii : quippe Amyntas dulcis erat Menalcæ, quod liquet ex eo disticho, *Dulce satis humor, etc.* Sed timebat Menalcas de firmitate hujus amoris, ut liquet ex illo, *Quid prodest, etc.* Amarities vero, quam passus est Damœtas, expressa est illo, *Triste lupus stabulis, etc.*

111. Demissio vere rustica, et huic loco aptissima, ac tota,

et λευκόλινος ὕπν dicitur. Sane hæc quæstio varie solvitur. Nam alii dicunt significare eum sepulcrum Cælii luxuriosi, qui venditis omnibus rebus et consumptis, tantummodo sibi spatium reservavit, quod sepulcro sufficeret, et voluisse eum errorem facere ex Cælii similitudine; ut sit, Dic mihi ubinam sepultus est Cælius, cujus tribus ulnis continetur sepulcrum? Alii dicunt clypeum Ajacis trium ulnarum, in qua expressa cæli forma fuit. Alii specum in Sicilia, per quod rapta est a Dite Proserpina; alii mundum in sacro Cereris. Sed neutrum horum convenit rustico. Vide notam in Vol. I, pag. 116.

106. *Dic, quibus in terris inscripti nomina regum Nascantur flores.* Salmasius in Plinian. exercitat. p. 1223, inexplicabilem quæstionem arbitratur, et florem istum, qui nomen Ajacis foliis inscriptum præfert, non tantum pastori, sed et doctissimis hodie herbariis ignotum esse. Plerique tamen interpretes de hyacintho dictum volunt, cui flori nomen inditum volunt poetæ, e cruore Hyacinthi pueri, qui ubi per imprudentiam inter ludendum disco occisus esset ab Apolline, cujus gemitus *ai ai* inscripti, flori hyacinthio nomen dederunt. Alii ab Ajacis sanguine provenisse testantur : utramque habet fabulam Plinius XXI, 11 : *Hyacinthum comitatur fabula duplex, luctum præferens ejus, quem Apollo dilexerat, aut ex Ajacis cruore editi, ita discurrentibus venis, ut Græcarum literarum figura AI legatur inscripta.* Emm.

111. *Claudite jam rivos, pueri. Sat pratu biberunt.* Catullus: «Claudite ostia virgines, Lusimus satis.»

ut puto, allegorica. Nam quæ hic mentio pratorum, et irrigationis in tam acri certamine? Nam loqui cum respectu ad alios quosvis pastores, tum infacetum est, tum inproprium, quum hoc non sit muneris pastoritii. Ergo ait: claudite, o juvenes, rivos ingenii, carminis, acuminis: satis jam prata, id est, aures nostras delectastis canore vestro, dulcedine, suavitate: quippe consederant ad canendum in herba molli. Allegorica quoque ea demissio lib. II Georg. ad finem: *Sed nos immensum spatiis, etc.*

Aut intelligimus hunc exisse, ut juberet pueris suis ut arva irrigarent; quod illis cantantibus factum est; aut, et revera dicit, *rivos claudite*. Aut certe allegoricõs hoc dicit, jam cantare desinite: satiati enim audiendo sumus; aures nostræ cantibus vestris satis delectatæ sunt, quemadmodum aquarum humore prata reficiuntur. Hoc ultimum præstat, quamvis aliter Heynius censuerit, Vol. I, pag. 118.

ECLOGA QUARTA.

(Vide Argumentum generale, vol. I, pag. 119.)

POLLIO[1].

ANALYSIS.

Invocat poeta Musas Siciliæ; ait adesse ævum aureum ex vaticinio Sibyllæ; proponit ævi ejus signa; sermonem convertit ad puerum nasciturum ex Scribonia Octavii uxore, partui vicina, 1—10. Præcedunt quæpiam, illo adhuc latente in utero cum præsagio ad futura; admiscetur sermo de patrono Virgilii Pollione, 11—17. Canitur infantis exoptati pueritia cum notis vitæ aureæ, quæ sequuntur eam ætatulam, 18—25. Adolescentia cum incremento ejusdem vitæ aureæ, 26—36. Perfecta et virilis ætas, perfectissima vita aurea, 37—47. Invitat virum ad honores gerendos, quo omnia in posterum meliora sint: optat res ejus canere, vita et spiritu suppetente: opponit se canentem Lino, Orpheo, Pani, 48—59. Redit ad puerum, quem bis invitat ad matrem cognoscendam ex lætitia et risu, quocum recens natum illa contemplari fingitur, et ex quo ad reliquam ætatem omen præsumitur, 60—63.

(1) De hujus carminis argumento varias conjecturas, in Eclogæ quartæ proœmio collectas (vol. I, p. 119—126), diu multumque perpendi. Quod constat, confidenter assero, hanc Eclogam, neque ad Marcellum, neque ad Drusum, neque ad Saloninum Pollionis filium, referri posse; nam obstat fides historica momentis innixa certissimis. Vide vol. I, pag. modo citat. Mihi probabilius videtur hic celebrari infantem quem utero conceptum gerebat Scribonia Octavii uxor, ineunte anno U. C. 714, quum Pollio, alter Virgilii patronus, ad consulatum eveheretur.

Hoc modo nulla supererit obscuritatis nebula: nascetur Octavii proles consule Pollione: ille puer, nam speratur mascula soboles, quia vehementer exoptatur; ille puer Octavio jamjam regnaturo succedet, ut hic Julio patri successit, et orbem *patriis virtutibus* reget. Nihil ergo clarius. Verum, ut ipse alio sensu canebat Maro; *heu vatum ignaræ mentes!* tot et tantæ spes tam sublimi carmine prænunciatæ in vanum reciderunt: Scribonia peperit *filiam*, quæ famosa nimium innotuit Julia.

Hæc autem Ecloga inscribitur Pollio, quia per annum sui consulatus illas de tali partu vaticinationes adimplendas certe cognoverat; et quia in Romanis fastis annorum eventus, vel duorum consulum, vel unius tantum consulis nomine signabantur. Vide Horat. lib. II, od. I: *Motum ex Metello Consule civicum;* et passim. N. E. L.

EXPLICATIO.

1. Invocat poeta Musas Siculas, id est, Theocritias: sequitur ratio, cur nunc Musas invocaverit, cur canat paulo majora: quia videlicet, non omnes delectantur arbustis, myricisque humillimis: intelligit opus Bucolicum, quod signant arbusta, et myricæ.

3. Sequitur excusatio cum respectu ad Pollionem, quasi dicat: roges Pollio, cur res magnas atque eximias velim persequi hoc cursu sylvestrium Eclogarum? sed memineris arborum et sylvarum curam ad Consules quoque pertinere, atque adeo dignas te esse. *Vide notam* 3, infra.

4. Vide, qua magnitudine orationis incipiat? venisse inquit extremam illam ætatem cantatam ab Sibyllæ Cumææ carmine; in qua ætate nascitur ordo quidam annorum eximius atque excellens. Sed quis hic ordo magnus seculorum? audi.

NOTÆ.

1. *Sicelides Musæ.* Sicelides autem Græcum est. Latine enim Sicilienses facit, id est, Theocritiæ. Nam Theocritus Syracusanus fuit; quem in hoc opere Virgilius imitatur. Sunt, qui negant, carmini pastorali invocationes convenire, quos prudenter et erudite refellit Ren. Rapinus, in libello de pastorali Carmine. p. 142, quod assurgit aliquando, ut Voss. de institut. III, 8. — *Paulo majora canamus.* Bene *paulo* dicit: nam licet hæc ecloga discedat a bucolico carmine, tamen inserit aliqua apta ei operi; ergo non majora, sed paulo majora.

2. *Myricæ.* Virgulta sunt humilia et sterilia, quod vulgo tamaritium dicitur. *Serv.*

3. *Silvæ sint Consule dignæ.* Minus placet Cerdæ interpretatio ex Suet. in Jul. c. 19. Silvas callesque decretas fuisse. Consulibus nonnunquam, certum est. Sed hoc non videtur innuere Maro. Curæ vult esse, ne abjecti characteris sit et infra Consularem dignitatem, quicquid canatur de summo viro, carmine pastorali.

4. *Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.* Id est, Sibyllæ, quæ Cumana fuit, et secula per metalla divisit; dixit etiam quis quo seculo imperaret: et Solem ultimum, id est decimum voluit. Novimus autem eundem esse Apollinem. Unde dicit, *Tuus jam regnat Apollo.* Dixit etiam, finitis omnibus seculis, rursus eadem renovari: quam rem etiam philosophi hac disputatione colligunt, dicentes completo magno anno, omnia sidera in ortus suos redire, et referri rursus eodem motu. Quod si est idem siderum motus, necesse est, ut omnia, quæ fuerunt, habeant iterationem. Universa enim

6. Hi duo versus explicant superiores duos: venit ætas ultima: nascitur ordo novus: quia redit virgo, quæ terras reliquerat: redeunt secula aurea, quæ floruerunt sub Saturno: redit progenies nova Heroum, quos dicas lapsos e cælo: adeo divini, et pene ultra mortalem sortem: non dubium, quin hic præsertim signet Cæsarem, et Cæsaris familiam: deinde magnos illos viros, qui una cum illo principe: his omnibus magnam dat laudem, ut qui ipsi de novo, et ab integro constituant aureum ævum, jam per tot secula intermortuum.

8. Convertit se ad Dianam præsidem parturientium (quam Lucinam vocant) a qua petit, faveat parturienti matri, nascenti puero: et quo efficacius moveat, proponit Deæ, quæ secum apportet nascens Octavii filius, videlicet finem ætatis ferreæ, initium aureæ: sed elegantius excogitavit poeta, nominat enim *gentem*, non ætatem: nam qui efficiunt ævum aureum, nisi gens aurea? ergo signat, immites et acerbos mores desituros: incepturos mites et mansuetos sub Augusto principe.

10. De vero Apolline capio, sed cum respectu ad Augustum, qui tunc regnabat, et Apollinem se dici volebat, et ejus cultu sæpissime ornabatur.

11. O Pollio; expectatus puer, qui vere ævi aurei instaurati

ex astrorum motu pendere manifestum est. Hoc secutus Virgilius, dicit reverti aurea secula, et iterari omnia quæ fuerunt. *Serv.*

7. *Jam nova progenies cælo demittitur alto.* Ut videantur homines non ex mortalibus nati, sed ex numinibus, et quasi cælo lapsi. Quibus de meliore luto Titan finxit præcordia, quive humanum genus repentinis et inopinatis beneficiis demerentur, de cælo mitti dicuntur. Lactantius I, 11. *Solemus eos, quorum virtutem miremur, aut qui repentino advenerint, de cælo cecidisse dicere.* Tibull. I, 3. « Tunc veniam subito: nec quisquam nunciet ante, Sed videar cælo missus adesse tibi. »

8. *Modo nascenti puero:* qui mox nasciturus est per hujus anni curriculum, sub consulatu Pollionis. — *Quo.* Deest nascente. Nam hoc dicit, fave ei Lucina, cujus ortus secula immutabit, aureis scilicet ferrea.

10. *Casta fave Lucina.* Modo Lucinam Dianam accipimus. Quæ et γενεθλία, et ἄρτεμις λοχία dicitur. Nam parturientes *Lucinæ opem* implorabant. Sed et *Fave,* verbum solenne est. Ovid. *Vesta FAVE.* Tibull. *Phœbe FAVE.*

11. *Inibit.* Inchoabit, exordium accipiet: aureum scilicet sæculum, et ideo inibit, non iniit, quia consul designatus erat. Quidam Saloninum Pollionis filium accipiunt. Alii Asinium Gallum fratrem Salonini, qui prius natus est Pollione

decus erit, te Consule nascetur, vitamque inibit: ac tam felicis vitæ exorsu procedent menses, magni vere, atque eximii: quos nullius vita potuisset dare majores, feliciores, faustiores.

13. Si quæ vero restiterint reliquiæ bellorum civilium, in quæ nos per summum scelus incurrimus, tuo ductu, atque auspiciis conterentur: quicquid est formidandum, irritum erit, te Consule.

15. Vivet hic natus, ut Dii olim vixerunt, vivet Deorum vitam: Deos videbit, a Diis videbitur: cernet una quoque magnos, qui omnes conjuncti ævum aureum agitabunt.

17. Ac demum in possessionem orbis adveniet, quem reget pacatum Imperatoriis patris sui virtutibus.

18. O puer, tellus in gratiam tui fundit omnigenam florum varietatem, hederas, baccar, colocasia, acanthum.

consule designato. Asconius Pedianus a Gallo audisse se refert, hanc eclogam in honorem ejus factam. *Serv.* — Hæc omnia confutavimus.

12. *Pollio.* De hoc summo viro Ecl. III, 86: pauca addo, *Ad summa provectus incorrupta vita et facundia*: Tacitus Annal. l. XI, 6: annumeratur *optimis oratoribus;* Dial. de orat. 25. *Magnus orator,* Seneca de tranq. c. 15. *Asinius Pollio non minima pars Rom. styli.* Val. Max. VIII, 13. Plura Plin. VII, 33. et Senec. in præf. IV. controv. *Emm.* — *Magni procedere menses.* Non Julius et Augustus, sed menses magni anni. Itaque non retrahit, qui *magnum mensem* sæculum Chaldaicum vocaverit. Nam ut antea Poëta dixit, *Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo;* ibi, per *magnum ordinem sæclorum,* maximum annum intelligit, annorum civilium MCCCCXL, cujus anni mensis est CXX annorum, quod est sæculum. *Scaliger.*

14. *Irrita.* Ad nihilum deducta vestigia; et non dicit, *Jam irrita solvent terras formidine:* sed, fient irrita, et solvent terras timore. — *Perpetua.* Longa. Immo, solvent perpetua formidine, id est, solvent formidine in perpetuum. *Serv.*

18. *At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu.* Rhetorice digesta laudatio; non enim improvide in principio universa consumpsit: sed paulatim fecit laudem cum ætate procedere. — *Munuscula.* Bene in rebus minoris ætatis, usus est diminutione; ut nullo cultu, id est, inarata, sed sua sponte nata. *Serv.*

19. *Errantes ederas passim cum baccare tellus.* Passim vagantes. Unde antiqui lyrici dixerunt, flexipedes hederas: quod hac atque illac vagantur. Mire autem puerum laudat ex ipsis muneribus. Nam hedera indicat futurum poëtam: ut, *Pastores hedera nascentem ornate poetam.* Baccar vero, herba est, quæ fascinum depellit. ut, *Baccare frontem Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.* Per quod pulchrum indicat puerum. *Serv.*

20. *Ridenti acantho.* Læto, sua-

21. Capellæ in pascuis gratissimis versabuntur; hoc indicabit lactis copia, quo plenæ domum redibunt: quæ vero armenta in agris resistent, tuta erunt ab magnorum leonum incursu.

23. Ipsamet incunabula in gratiam tuæ infantiæ blandissimis floribus pullulabunt.

24. Quin hoc cavebit tellus, ut non solum producat, quæ gratissima; sed enecet quæ mortifera: nihil enim noxium sinet revirescere. Tuti erunt flores ab angue latente in virenti gramine; herbæ omnes salutares erunt, nulla legentem fallet, nulla cum veneno. Sed et pro omni fallaci herba amomum illud, quod olim in Assyria pretiosum, ubique terrarum nascetur. Expende leviter versus poetæ: quum hic cantetur hujus infantuli genethliacon, plurima hic infantilia invenies ex magno judicio: nimirum *munuscula*, cum diminutione: *baccar* depellendo fascino, cui inprimis subjecti infantes: *risus*, quo maxime ea ætas allicitur: *lac*, quid aptius ad infantem? *ubera*, quæ blandissime tractant pueri: *cunabula*, et, *flores blandos, gratos puero:* reliqua ipse observabis: *prima munuscula*, quia primitiæ semper gratiores: sed addit *nullo cultu*, quia hæc non solum grata, sed supra naturam: ac si dicat; tellus nullis laboribus vexata, nullis ligonibus lacerata, sponte sua effundet omnia: quæ requiris, o puer, in gratiam tui miracula majora? Possem omnia expendere simili modo, sed multa relinquenda diligentiæ lectoris.

26. Quinque primi versus hanc habent sententiam: ubi, post

vi, jucundo, fulgenti, ut, *ridet argento domus:* vel quod hians et patens nascitur: et est herba quæ in Ægypto invenitur. — *Colocasia.* Hanc herbam videtur in honorem Augusti dixisse, quæ Romæ, post devictam ab eo Ægyptum, innotuit; et dicendo *fundet* abundantiam floris ostendit. *Serv.*

21. *Ipsæ lacte domum referent.* Quid enim est aptius infanti lacte? Et magna laus in hoc est, quod ait, *Ipsæ referent*, id est, sua sponte. — *Lacte distenta capellæ ubera.* Sic Ecl. VII, 3. « Thyrsis ovis, Corydon distentas lacte capellas. » Horatius Epod. II. *Distenta siccet ubera.* et Sat. I, 1, 110. *Capella gerat distentius uber.*

22. *Nec magnos metuent armenta leones.* Bona usus est moderatione, dicens; Erunt quidem maligni leones; sed minime armentis nocebunt. *Serv.* « Nec magnos metuent armenta leones. » Sic Horat. Epod. XVI. « Credula nec flavos timeant armenta leones. » Et paulo post: « Nec vespertinus circumgemit ursus ovile. » Leones et vituli ad præsepe simul stabunt: lupus ovem non rapiet.

25. *Assyrium vulgo nascetur amomum.* Amomum herba est suavissimi odoris, quæ tantum in As-

pueritiam, attigeris juventutem, in qua possis bonis studiis operam dare, poesi, historiæ, philosophiæ, (hæc explicatio non latuit Servium, qui per *heroum laudes*, poesin intelligit: per *facta parentis*, historiam: per verba illa, *et quæ sit poteris cognoscere virtus*, philosophiam moralem) tunc una tecum tellus majora dabit incrementa, non munuscula, non flores blandos; sed segetes, uvas, mella.

31. Ita in adolescentia tua renovabitur ætas aurea, ut tamen supersint vestigia fraudis illius, et malitiæ, quæ erant in ætate ferrea; sed præsertim tribus in rebus, videlicet in navigatione, militia, agricultura: atque adeo mare tentandum est navibus, ut merces necessariæ ad humanum usum hinc inde transmittantur: oppida cingenda sunt muris, ne externa vis occupet: aranda est tellus, ut victus suppetat.

34. Adjungit caussas: tentabitur mare, quia erit novus Tiphys, nova Argo. in qua novi etiam, et delecti heroes: cingentur muris oppida, quia novus Achilles ad Trojam mittetur: aranda est tellus, quia erunt bella altera: nihil magis contrarium est agriculturæ, quam bellum, cujus etiam metu, et opinione agri deseruntur. Ergo, ut sustineantur bella imminentia, necesse est frumenta prius sint in horreis.

37. Ait, plenam fore felicitatem ætatis aureæ, ubi puer ille attigerit virilem: dicit hoc cum respectu ad ea, quæ dixerat de adolescentia, quamvis abundaret bonis multis, tamen subessent vestigia priscæ fraudis: ergo; ubi vir fueris, non erit necessarius Tiphys, non vector, qui merces hinc inde commutet, et transportet: ratio; quia ubique gentium nascentur quæ necessaria sunt ad victum.

syria nascitur. *Vulgo.* Passim, omnibus locis. *Amomum* sæpe pro quibuslibet unguentis pretiosissimis.

27. *Jam legere.* Id est quum cœperis imbui studiis liberalibus. — *Quæ sit poteris cognoscere virtus.* Accessu enim ætatis quanta sit virtus agnoscitur, et cujus gloriæ. *S.*

34. *Alter erit tum Tiphys.* Vel revera Tiphys, vel qualis Tiphys Argonautarum gubernator. Sane specialia pro generalibus ponit. Nam per Typhin, quemcumque gubernatorem accipimus: per Argo, quamcumque navem: per Trojam, quamcumque civitatem: per Achillem, quemcumque virum fortem. — *Argo.* A fabricatore sortitur nomen, cujus meminit Phædrus IV, 6; « Nec ad professæ mortis audacem viam Fabricasset Argus opere Palladio ratem. »

35. *Heroas.* Quidam a terra dictos volunt, quod terra ἥρα dicta sit, unde initio nati creduntur homines, qui nomen a matre traxerunt. *Serv.*

38. *Cedet et ipse mari vector.* Ne-

40. Vacabit tellus a rastris, qui circumduci solent ad frangendas glebas: vacabunt vineta a vulnere falcium; nam omnia hæc, cogente nemine, proferent fructum: vacabunt boves a labore; horum enim usus non necessarius in spontanea terræ fertilitate.

41. Illi quoque qui varios colores lanis et velleribus indunt, non erunt necessarii, suppetente hanc pulcherrimam colorum varietatem natura ipsa: ergo lana nullum colorem mentietur, nam omnes erunt naturales: dilatat hoc in arietibus, et agnis: illi in ipsis pascuis mutabunt lanas vel cum purpura suavissime rubenti, vel cum luteo croceo, id est, cum colore aureo: isti per pastum ultro colorabuntur fuco herbæ Sandycis.

46. Hanc tantam felicitatem non interturbarunt Parcæ; quin concordes stabili fatorum numine dixerunt suis fusis: currite per talia, tamque felicia secula, id est, ne rumpite tam fausta secula.

48. Quum jam poeta fingat, Octavii filium esse proximum virili ætati, aptum putat gerendis magnis honoribus, magistratibus; petitque, ut aggrediatur, id est, candidatus sit honorum, seque omnibus conspicuum præbeat, appetente jam virili ætate: et cur non honores magnos gerat, qui magna Deum soboles, qui ab Jove nutritus et educatus increverit?

50. Exultat, quod *magnus* ille Jovis alumnus, et cara Deorum progenies *magnos* honores, tergeminosque Romæ magistratus gerat: siquidem Regina mundi jam te Dominum agnovit, aspice, ut universus terrarum orbis concutiatur et nutet ob adventum tuum, qui *venturæ* felicitatis signum fortunatum habetur: aspice, ut terræ, maria, cælum, id est, mundus omnis qui te futurum Regem expectat, se tibi submissum et adorantem inclinet.

53. Comprecatur sibi poeta optatque tam longam vitam, tantumque spiritum, quantus necessarius est ad dicenda facta illius pueri; et advèrte signate optari duo, videlicet senectam,

cessario; siquidem — *Omnis feret omnia tellus.* Navigatio enim ex mercimonii ratione descendit. Sane vector, tam is qui vehitur, quam qui vehit, dicitur; est et nauta et mercator. *Serv.*

44. *Murice.* Cochlea similis conchiliis, unde tingitur purpura. Murex pisciculus est, qui cibi vicem præstat, cujus liquore tinguntur vellera et vestes. Martial. Epigr. XIII, 77: « Sanguine, de nostro tinctas, ingrate, lacernas Induis, et, non est hoc satis, esca sumus. »

50. *Nutantem convexo pondere mundum.* Gestientem, præ lætitia commoventem se, bonis futuris gaudentem et quasi renascentem.

et spiritum: quia illa aptior est, et maturior formando stylo; hic necessarius ad halitum, et respirationem dicentis, qui in senibus solet deficere: itaque optat et bene scribere, et bene dicere.

55. Egregia, et ingens pollicitatio: nemo, ait, me vincet poetarum: non Orpheus, qui magnus olim in Thracia; non Linus: adde adjutores: nec timeo: ergo, pugnent in me Orpheus cum matre Calliope, quæ præses Heroicorum vatum; Linus cum patre Phœbo, qui præses carminum; nemo me vincet. Redundat hoc in ingentem laudem Octavianæ prolis, quasi dicat: scribentem, dicentemque de tuis rebus, nemo vincet, nec Dii quidem ipsi: et nota modestiam poetæ: non dicit, vincam omnes: sed, vincet me nemo, cum hoc enim stare potest victoriæ æqualitas: textum subobscurum sic ordina: non me vincet Orpheus, non Linus, quamvis huic Orphei adsit mater Calliopea, huic Lino pater Apollo.

58. Hoc multo grandius: certet mecum in cantu Pan inventor fistulæ, sit judex tota Arcadia, quæ hunc Deum colit: profecto ipse se victum fatebitur, ipsa Arcadia pro me judicabit: itaque non contentus victoria mortalium, aspirat ad victoriam immortalium.

60. Virgilius quasi ad cunas puelli recens nati conversus eum invitat ad matrem agnoscendam; « o infantule, aperi oculos, specta matrem tibi arridentem, te blanditiis refoventem, et præ gaudio oblitam longa fastidia, quæ tulerunt illi

Convexum, est curvatura mundi exterior: *Concavum*, curvatura interior: utrumque promiscue sumitur a poetis. Æneid. IV, 451: tædet cæli convexa tueri; id est, concava quæ sola possumus intueri. De cæteris vide notas vol. I, pag. 135.

57. *Calliopea*. Græca declinatio. — *Lino*. Linus vero quum nomen hominis dicimus, brevis est *Li*. Statius, *Medio Linus intertextus acantho*. Quum autem linum dicimus, filum significantes, *Li* longa est; quum producatur apud Græcos. Linus Apollinis et Psamatis filius, qui theologiam scribit. *Serv.*

58. *Pan etiam*. Redit ad numina rustica: nam satis excesserat dicendo Linum poëtam, et Orpheum theologum. *Servius*. — *Pan etiam*. In Oblongo codice legitur *Pan Deus*, et in sequenti *Pan etiam*. Magnam enim emphasim habere videtur, *Pan Deus*. Et adverte in hujusmodi lectione inferiore versu, *Pan* suspendendum esse; si cui vero magis placeat iteratio totius hemistichii, non laboro. Nam et ea quoque lepida, et suavis est. *Pier*. — *Arcadia judice*. Quæ ei favet, ubi colitur. Confidenter satis arbitros Poëta capit Arcadas, Pana colentes religiosissime. Sic Ecl. X, 26: *Pan Deus Arcadiæ*.

60. *Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem*. Mater filium recentem omni blanditiarum genere demulcet; huic arridet lætabunda; sed non illi filius; nam-

decem menses; scilicet novem, per quos gestantem uterum incommodo pondere gravasti; et decimus mensis, in quo puerperii duros dolores, et primi lactis laborem ac sequentes ærumnas perpessa genitrix languit: iterum, hanc specta, ut iterum consoleris, ut iterum rideat. Nam si tibi parentes non arriserint, malis auspiciis vitam ingressum et invisum superis te maneat longa infortuniorum series. (Vide infra de Vulcano notam ad v. 62.)

que, ut ait Plinius, *homo natali die abjectus ad ploratum; et nulli datur risus, præcox ille et celerrimus, ante quadragesimum diem.*

61. *Tulerunt.* Matri decem menses attulerunt longa fastidia: quia prægnantes solent fastidia pati. — Donatus in Eunuchi prologo locum hunc citat, et *tulerunt* penultima correpta legit, ad similitudinem illius Terentiani versus: *Postquam Ædiles emerunt,* ubi necesse est ultimum saltem pedem esse iambum. Agnoscit et Probus *tulerunt,* et Metaplasmum esse dicit media correpta syllaba, quæ natura longa sit. — *Decem menses.* Quia mares in decimo nascuntur mense, feminæ vero in nono. *Serv.* Male: vide quæ de decem mensium partu multa congessit Cerda. Turneb. IV, 15. de Lunæ mensibus explicandum hunc locum putat, qui breviores erant, quum veteres eos ad Lunæ cursum, non ad solis metirentur.

62. *Cui non risere parentes, Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.* Sicut Vulcano contigit: qui quum deformis esset, et Juno ei minime arrisisset, ab Jove est præcipitatus in insulam Lemnum. Illic nutritus a Sinciis, quum Jovi fulmina fabricasset, non est admissus ad epulas deorum. Postea quum rogaret, ut cum Minerva conjugium sortiretur, spretus ab ea est. Unde divinos honores non meruit: ad quos aut per convivium numinum, aut per conjunctionem venitur dearum. Hinc est, quod Junoni in lib. Æn. 83, Æolus agit gratias, quod per ejus beneficium divinos honores meruit: ut, *Tu das epulis accumbere divum.* Alii dicunt quod quum Vulcanus parentes suos diu quæreret, nec inveniret; sedile fecit tale, ut cum eo qui sedisset surgere non posset; in quo quum adsesisset Juno, nec posset exsurgere; Vulcanus negavit se soluturum omnino, nisi prius parentes suos sibi monstrasset, atque ita factum est ut in Deorum numerum reciperetur. *Serv.* — *Cui non risere parentes.* Non me fugit quo pacto Quintilianus lectionem hanc acceperit, quam hic in numero figurarum esse dixerit, quantumque viri peritissimi sibi super hoc loco applaudere visi sint. Quæ vero in hoc disputent, alii viderint. Nos antiquissima hæc omnia exemplaria contulimus, in quibus omnibus scriptum observavimus *cui* dativo casu. In aliquot etiam *quoi*, Catulliano more, ut alibi: *Quoi non dictus Hylas.* Quo de genere scriptionis Quintilianus, Veteres ante se ait, *cui*, quod tribus jam literis enotari cœptum erat, *quoi* ad pinguem sonum usos: tantum ut ab illo *qui* distingueretur. *Pier.*

ECLOGA QUINTA.

(Vide Argumentum generale, vol. I, p. 139)

DAPHNIS.

ANALYSIS.

MENALCAS Mopsum invitat ad canendum, tum a loco umbroso, qui aptus; tum a cupiditate ostentandi ingenii. Mopsus cedit, ut qui minor, et vult canere; de loco tamen proposito ambigit, et alium proponit, 1—7. Præcedunt quæpiam ante cantum, in quibus major Menalcas materiam canendam proponit; junior Mopsus, ea rejecta, pro arbitratu eligit, quam vult ipse: est vero sparsa adolescentis arrogantia in omnibus, quæ ipse dicit; viri modestia et urbanitas in placando adolescente, 8—19. In hac oratione Mopsi, primo Daphnin deflent Nymphæ et mater; bestiæ mites, atque immites: deinde narrantur ejus præclare facta: tertio defletur calamitas, quæ secuta ejus obitum: quarto fiunt illi sacra, addito tumulo et elogio, 20—44. Menalcas laudat Mopsi carmina adductis comparationibus, parem facit magistro, sua qualiacumque promittit dicturum; hoc extremum gratum sibi fore ait Mopsus, cujus rei ratio duplex, 45—55. Daphnis canitur, ut Deus: ad ejus Numen omnia afficiuntur voluptate, requie, lætitia: deinde offeruntur illi, quæ Deorum sunt, aræ, lac, vinum, oleum; illique attribuuntur sacra: tertio, perpetua hæc fore promittuntur: quarto datur illi Numen non in pastores solum, sed etiam in agricolas, 56—80. Vicem reddit Mopsus Menalcæ, nam ejus quoque laudat carmina, adductis etiam comparationibus: deinde sibi mutuo dant, et commendant dona, 81—90.

EXPLICATIO.

1. O Mopse, invitant nos omnia ad cantum: vide hanc arborum opacitatem, hanc frondium dulcedinem, hanc ridentis

NOTÆ.

Menalcas. Virgilius hic intelligitur, qui obitum fratris sui Flacci deflet: vel, ut alii volunt, interfectionem Cæsaris. *Mopsus* vero Æmilius Macer Veronensis Poëta, amicus Virgilii. *Serv.*

1. *Cur non Mopse, boni.* Inducuntur duo pastores canere delec-

et blandientis naturæ suavitatem: vide ulmos commixtas corylis, ne aditus sit Soli nobis ut noceat: deinde, qui aptiores ad cantum, quam tu ipse, atque ego? tu peritus in flandis calamis, ego dicendis versibus: ergo, cur non sedemus? cur non canimus?

4. Tu major es, me tibi parere æquum est: modo ad umbras arborum sedeamus, ut tu ipse vis; modo huic antro succedamus, quod potius duco: nam umbræ arborum, quas laudas, incertæ sunt ex crebra commotione ventorum, qui quum arbores agitent, umbras perinde movent; antrum speciosum est, sylvestri labrusca diffusa per ambitum, unde rari pendent racemi: quo loco nullus pulchrior, et ad canendum aptior.

8. Pendet sententia ex superioribus: Mopsus quum de loco tantum dubitasset, in quo futurus cantus, certe de cantu ipso nunquam dubitaverat, imo se ad parendum alacrem dixerat: hanc alacritatem Mopsi ducit Menalcas pro argumento victoriæ alienæ, atque adeo veluti subterfugiens certamen, ait: non ego tecum certem; Amyntas solus certet, qui magnus cantor in his montibus: vel referri potest sententia ad quatuor versus Mopsi præcedentes, ut dicat Menalcas: certet tecum tantum Amyntas, non ego: nam versus, quos nunc fudisti, præclari sunt.

9. Hoc ipsum indignatur adolescens pastor, et respondet

tationem, unde et se laudantes sibi invicem cedunt. *Idem.*

5. *Sive sub incertas Zephyris motantibus umbras.* Dicit quidem verecunde se illi obtemperare debere: ostendit tamen quid sibi placeat. Nam ex ipsa laude antri, et ex arborum vituperatione, quarum incertas umbras esse dicit, ostendit suam sententiam esse meliorem. Incertæ autem umbræ sunt, et ex Solis circuitu, et ex mobilitate ventorum; quod ipse etiam dicit, Zephyris motantibus umbras. *Serv.*

6. *Antro potius succedimus.* Succedimus et dativo et accusativo casibus, secutus tam veterem, quam nostram consuetudinem, suo more jungit; sive umbras succedimus, sive antro; quum alibi secutus tantum antiquos, dativo tantum succedere junxerit; ac *nostris succede penatibus*, et *successitque gemens stabulis.* Sallustius tamen succedere accusativo junxit, sed ubi *prope* significat: *Quum murum hostium successisset, pœnas dederat:* hoc est, quum prope murum accessisset. Succedere autem idem significat, quod et subire id est, penitus intrare. *Serv.*

8. *Tibi certet.* Usurpatum est: nam hodie, certo tecum, dicimus. — *Tibi certet.* Verba contentionis amant dativum. Eclog. VIII, 55: *Certent et Cycnis ululæ.* Catull. Carm.: *Noli pugnare duobus.*

ita : quid tu mecum certare posse Amyntam putas? possit quidem, si certet superare Phœbum cantu : clarius; si Amyntas certet, aspiretque ad victoriam Phœbi, me quoque cantu aggrediatur, non aliter : et notanda est proprietas poetæ, qui juniori dat hos animos ex ingenita ætatis hujus arrogantia.

10. Exacerbatum juvenem lenit vir pastor, et primas offert in canendo, ac triplicem offert materiam, amatoriam, laudativam, contentiosam : ergo ait; cane amores Phyllidis reginæ Thracum, quibus complexa est Demophoontem, quibus sibi mortem attulit : aut laudes Alconis, peritissimi sagittarii : aut Codri Atheniensium Ducis jurgia, quibus, et morte sua victoriam patriæ peperit : potes tuto canere; nam Tityrus hædos servabit.

13. Nihil horum placet; imo experiar, id est, adducam in experimentum et periculum carmina quædam, quæ nuper condidi, atque inscripsi in fago : et, quum ea modulatus sum, notavi alterna, id est, alternatim; videlicet, inflans jam fistulam, jam canens carmen : itaque alternatio hic refertur jam ad flatum calami, jam ad sonitum oris : pergit pastor : hæc

10. *Phyllidis ignes.* Phyllis Sitonis filia, regina Thracum fuit. Hæc Demophoontem Thesei filium regem Atheniensium, redeuntem de Trojano prælio, dilexit, et in conjugium suum rogavit. ille ait ante ordinaturum se rem suam : et sic ad ejus nuptias reversurum : profectus itaque quum tardaret, Phyllis et doloris impulsa, quod se spretam credebat, laqueo vitam finivit, et conversa est in arborem amygdalum sine foliis. Postea reversus Demophoon, cognita re, ejus amplexus est truncum; qui, velut sponsi sentiret adventum, folia emisit. Unde etiam phylla sunt dicta a Phyllide, quæ antea petala dicebantur. Sic. Ovidius in Metamorphoseon libris. *Serv.*

11. *Aut Alconis laudes.* Hic Cretensis sagittarius fuit, comes Herculis; ita peritus, ut ictus ejus non falleretur; namque positos supra capite hominum annulos trajiciebat; capillos spiculis sagittarum rumpebat, sagittas sine ferro positis ex adverso gladiorum lanceārumve mucronibus findebat; cujus quum filium draco invasisset, tanta arte suam direxit sagittam; ut ea currens, in serpentis deficeret vulnere, nec transiret in filii corpus. *S.* — *Jurgia Codri.* Codrus dux Atheniensium fuit, qui orto bello inter Laconas et Athenienses; quum respondisset oraculum, illos posse vincere, quorum dux ab hostibus fuisset occisus; et hostes scientes a Codro abstinerent, habitu humili profectus est ad hostium vicina tentoria : et illic jurgio eos in suam cædem instigavit, quum a nullo fuisset agnitus : et sic locum fecit oraculo; nam Athenienses eo prælio vicerunt. *Serv.*

14. *Modulans alterna.* Secundum rhythmum componens. Al-

Daphnidem, nam Bacchi sacra (incipit enim primum a religione) nemo illo melius curavit: tigres enim, quæ feroces natura, (notanter Armenias designat, nam istæ generosiores) instituit, ut currui Bacchi subjungerentur; ut thiasi, id est, choreæ, Baccho inducerentur, ut thyrsi (nam hi sunt hastæ lentæ) foliis intexerentur.

32. A sacris, quæ ornavit, gradum facit ad ornamenta alia, rem explicans comparationibus rusticis: fuisti decus, et ornamentum tuis, et quidem omne, nam nihil extra te habuere: non aliter atque arbores decorantur vitibus, vites uvis, greges tauris, arva segetibus.

34. Vide quantum nocumentum mors tua nobis attulerit: Pales Dea pastorum; Apollo, qui versari nobiscum solitus, agros reliquit.

36. Privati te, privati numinibus quid non experti detrimenti sumus? nihil nobis pro votis successit: hordea, et grandia quidem, terræ commisimus; pro quibus lolium, quod infelix; avenæ, quæ steriles; agros occupant; et late malum dominatur.

38. Neque vero solum fructus nobis deterior accidit; sed ager violis prius, et narcisso floridus, jam carduis, et spinis horret.

32. *Vitis ut arboribus decori est.* Bene, ut pastores similitudines de rebus agrestibus sumunt. Hoc quoque ex Theocr. Idyll. VIII. Τᾷ δρυὶ ταὶ βάλανοι κόσμος, τᾷ μαλίδι μᾶλα, Τᾷ βοῒ δ' ἀ μόχθος, τῷ βωκόλῳ αἱ βόες αἰνταί.

35. *Pales.* Pabulorum Dea, Dea pastoralis, ut ait Servius, quæ cum Apolline νομίῳ religiose colitur. Sic Noster Georg. lib. III, 1: « Te quoque magna Pales, et te memorande canemus Pastor ab Amphryso. » Ovid. Fast. IV, 725: « Alma Pales faveas pastoria sacra canenti. » Tibull. Eleg. I, 1. Deum facit: « Hic ego pastoremque Deum lustrare quotannis, Et placidum soleo spargere lacte Palem. » Sic etiam in masculino Servius, loco citato in Georgicis. Huic sacra solvuntur 11. Kal. Maias die, quæ *Palilia* vocantur, de quibus Ovid. Fast. IV, 721. *Emm.*

36. *Grandia hordea.* Usurpative metri caussa dixit; nam triticum, vinum, hordeum, mel, numeri tantum singularis sunt. Unde plurali in prosa uti non possumus: vina tamen possumus dicere Ciceronis exemplo; qui ait in prætura: *Vina, cæteraque quæ in Asia facile comparantur.* — *Mandavimus.* Commendavimus vel seminavimus, et recte dicitur reddituris. *Serv.*

39. *Carduus.* Spinæ genus. *Paliurus.* Herba asperrima et spinosa; vel, ut quidam volunt, spina alba. Inter frutices Theophr. III, 17. et IV, 4. παλίουρος θαμνωδέστερος τοῦ λωτοῦ. Spinæ genus est, de qua Plin. XXIV, 13. et Salm. in Plin. p. 1037. et Meurs. in arboreto sacro c. 5.

40. Agite vero pastores, Daphnidem, ut Deum colite: itaque flores jacite, fontes arboribus inumbrate: ille jubet, et cum imperio; potest, ut qui Deus: erigite tumulum, addite carmen, cujus hæc sit sententia: Ego sum Daphnis ille, qui a sylvis viam in cœlum, et cum fama, reperi: cujus pulchritudinem inde colligas, quod formosum pecus quum paverim, longe ipse eram formosior.

45. Divinus es poeta, o Mopse, non tu humanus; neque ex illis, quos fama hactenus celebravit: dulcissimus est sopor in virente herba animantibus fessis; dulcissima aqua in æstate ad sitim restinguendam, si præsertim hauriatur a rivulo saliente, atque strepente inter glaream, in quo plus est voluptatis: his rebus carmen tuum comparo: hæc sententia: tuum carmen est tale quiddam, quale quiddam est sopor, quale quiddam est restinguere sitim, etc. Clarius: tam suave est; quam sopor, quam restinctio sitis aqua pura sedatæ.

48. Par es magistro tuo, non flatu solum calamorum, sed cantu, et voce oris: felix es, qui jam loco ejus eris: nam post illum eris jam nunc alter magister opinione mortalium.

42. *Superaddite carmen.* Duos versus carmen vocavit: nec mirum; quum etiam de uno *carmen* dixerit: ut, *Et rem carmine signo. Æneas hæc de Danais victoribus arma.* — *Superaddite carmen.* Id est, titulum, ἐπιγραφήν. pleraque monumenta inscriptionem habuere; vel in prosa: ut HIC SITUS. HIC JACET. HIC POSITUS, etc. vel in oratione ligata qualium titulorum vim collegerunt, Guth. de jure manium II, 26. Kirchm. de Fun. Rom. III, 19. Briss. de Form. lib. VII. Brevitas in epitaphio requiritur, ut monet Vossius instit. poët. III, 21. Ubi bene distinguit inter ἐπίγραμμα, quod alicui rei inscribitur, et ἐπιτάφιους, qui incidebantur sepulcro.

44. *Formosi pecoris custos, formosior ipse.* Si ad Cæsarem referas, hoc dicit; Boni populi, optimus imperator. *Serv.*

45. *Divine poeta.* Id est, qui cæteris anteponendus et multo præstantior es. Sic Cicero pro Archia, c. 7. *Divinum hominem Africanum.* Juven. Sat. X, 125. *Divina Philippica.* Quam notionem tradimus Ecl. III, 37. Sed recte poëtæ hoc titulo decorantur, *qui quasi divino quodam spiritu inflantur, quos Ennius sanctos appellat, quod quasi deorum aliquo dono commendati esse videantur*, ut Cic. pro Archia, c. 8. *Emm.*

48. *Nec calamis solum æquiparas, sed voce magistrum.* Videtur allegoria, quasi ad Theocritum et Virgilium respicere: hinc est: *Tu nunc eris alter ab illo.* Fabula de Calamo talis est; veteres Zephyro vento, unam ex horis conjugem adsignant; ex qua et Zephyro Carpon filium pulcherrimi corporis, editum dicunt; quem quum Calamus, Meandri fluvii filius, amaret,

74. Quinque deinde versus insumuntur in confirmanda hac apotheosi in omne ævum : hæc sacra tibi perpetua erunt, perpetuo fient : quamdiu Nymphis honos reddetur, quamdiu fiet agrorum lustratio, quæ sacra perpetua sunt pastoribus : deinde quamdiu aper in montibus deget, piscis in aquis : quamdiu apes thymo, cicadæ rore pascentur, tamdiu durabunt honores tui divini, nomen, laudes.

79. Quum hactenus promiserit, Daphnidem celebrandum a pastoribus, absolvit orationem hunc in modum : apage vero,

tamen mortalem fuisse manifestum est. Sane quæritur, cur duo altaria se positurum Apollini dicat ; quum constet supernos deos impari gaudere numero ; inferos vero pari, ut : *Numero deus impare gaudet.* Quod etiam pontificales indicant libri : sed constat secundum Porphyrii librum, quem Solem appellavit, triplicem esse Apollinis potestatem : et eundem esse Solem apud superos ; Liberum patrem in terris ; Apollinem apud inferos. Unde etiam tria insignia, circa ejus simulacrum videmus ; *Lyram*, quæ nobis cælestis harmoniæ imaginem monstrat ; *Gryphenæum*, quod et terrenum numen ostendit ; *Sagittas*, quibus infernus deus et noxius judicatur. Unde et Apollo dictus ἀπὸ τοῦ ἀπολλύειν. Hinc etiam et Homerus Apollinem, tam pestilentiæ dicit, quam salutis auctorem ; et Horatius ait, *condito mitis placidusque telo, Supplices audi pueros Apollo.* Unde Virgilius rationis hujus peritus, per altaria, supernum numen ostendit ; per parem numerum, infernam indicat potestatem. Varro Diis superis altaria ; terrestribus aras ; inferis focos dicari adfirmat. Alii, altaria eminentia ararum et ipsa libamina, ut, Æn. XII, 174. *paterisque altaria libant.* Serv.

68. *Duo.* Vetuste dixit, ut ambo. *Nam sæpe senex, spe carminis ambo Luserat.* Nam hodie hoc significantius duos et ambos dicimus. *Craterasque duo statuam tibi. Duos* quidem in codicibus aliquot veteribus legitur : quamvis in Oblongo, et plerisque aliis, *duas* insolito genere legatur. In Romano tamen, *duo* ad sibilum evitandum, quod *statuam* sequitur.

69. *Hilarans.* Ad vini copiam signandam dicit *Baccho*, non *vino*. Quid vero sententia Virgilii certius ? Alexis apud Ath. lib. II, inter vini laudes, ἱλαροὺς ὑμᾶς ποιεῖ : *exhilarat nos.* Male in vulgatis, ἱλαρούς. Et Mnasith. ibid. εὐθυμίαν φέρει : *fert lætitiam.* Lege multa in hoc Scriptore lib. XII. Horat. Car. I. *vino pellite curas.* Nonnus Dionys. XII, convivia vocat ἀτερπέα, injucunda, videlicet οἴνου μὴ παρόντος, ubi abest vinum.

70. *Ante focum si frigus erit, si messis in umbra.* Non frigori calorem opposuit ; sed messem, quæ est tempore caloris. *Serv.*

72. *Lyctius Ægon.* Cretensis : ut, Lyctius Idomeneus, a Lyctio urbe Cretæ. *Serv.*

79. *Ut Baccho Cererique.* Hæc enim duo sunt numina, quæ et rustici maxime colunt ; et quorum nomina communia sunt mortalibus

ut tibi tantum a pastoribus sacra fiant; non sic erit: eris enim agricolarum etiam Deus, illi tibi vota quotannis facient, ut Baccho et Cereri suis numinibus: et quia illi tibi vota facient, tu quoque ut unus e cælestibus, illos iisdem votis damnabis: quasi dicat, erunt tibi damnati, id est, devincti, atque obligati votis, quæ tibi fecerint, donec persolverint: vel damnabis illos votis, quæ fecerint, nisi persolverint, quæ promiserunt.

81. Dicit se habere nihil quod reddat pro tam dulci cantilena, quæ superat dulcedine, suavitate, voluptate, Austri sibilum blande insonantis, litora percussa fluctu maris, et fluvii impetum præcipitati per saxa.

85. Pendet ex superioribus: quasi dicat: etsi nihil habeas, quo me dones, tamen te ego prius donabo hac fistula; jamque illam in manus trado, cape: vide quanti apud me fuerit; nam ea me docuit divina carmina secundæ, et tertiæ Eclogæ: id est, canens ego cum hac fistula, didici carminum artem.

88. Non potest jam aliter facere, quin ipse quoque donet: et donat pedum, cujus duplex commendatio: prior; do tibi lubens, et sponte, quod non dedi Antigeni ab eo rogatus, et quidem merebatur, nam pulcher, et amore dignus: posterior a forma, et materia: habet nodos pares, habet æs in imo.

cunctis. Sic in Georgicis: *Vestro si munere tellus, Chaoniam pingui glandem mutavit arista.* Cererem propter aridos, Liberum propter humidos fructus. Itaque nunc Daphnim dicit colendum, propter pecudum proventus. *Id.*

81. *Reddam pro carmine dona.* Ille eum supra tantum laudaverat: hic et laudat, et de munere etiam cogitat. *Serv.*

82. *Nam neque tantum.* Quædam per comparationem laudata majorem emphasin habent, si negatio activa a parte orationis incipiat; ut *Non sic aggeribus ruptis quum spumeus amnis Exit. Nec sic immissis aurigæ undantia lora concussere jugis.* Id.

83. *Percussa litora.* A collisione fluctuum, adfluentium ad litus. Juvenal. Sat X. 148: « Hic est, quem non capit Africa Mauro Percussa Oceano. »

85. *Hac te nos fragili donabimus ante cicuta.* Bene anticipat et offert munus, quod ille se facturum esse promiserat. — *Cicuta.* Fistula, ut *septem compacta cicutis:* et fistulæ qualitatem per principia eclogarum ostendit; ut, *hæc nos, Formosum Corydon ardebat Alexin.*

88. *Pedum.* Baculum incurvum, quo pastores utuntur ad comprehendendas pecudes a *pedibus*: Gr. καλάβροψ, καλαύροψ: et a venatione γαλωβόλον etiam vocarunt: sed et κορύνη dictum est, a *clavæ* specie, quam præ se fert crassitie capitata.

89. *Non tulit.* Non impetravit, sæpius licet peteret a me. Ter. E. V, 8, 27. *Quodvis donum a me optato; id optatum feres.* — *Antigenes et erat tum dignus amari.* Aut pas-

torem quemdam pulcherrimum dicit; aut Choraulam significat, quem legimus admodum a Virgilio fuisse dilectum: non tulit autem, id non impetravit. — *Amari*, pro, dignus qui amaretur. *Serv.*

90. *Formosum paribus nodis.* Et ab arte et a natura laudavit, vel ab ære; ut si dicas, pulcher est equus sella, pulcher frænis. — *Paribus nodis.* Id est natura formosum; hoc est pulchrum ære artificium: vel *paribus nodis*, id est, pari intervallo. *Serv.*

ECLOGA SEXTA.

(Vide Argumentum generale, vol. I, pag. 152.)

SILENUS.

ANALYSIS.

In hoc proœmio dicit Poeta, se primum omnium donasse Latino poemate Bucolica Theocriti: deinde cœpisse se heroica canere, sed a Phœbo admonitum abstitisse; tertio, ex jussu hoc Phœbi excusat se, quod Vari res non attingat; quarto promittit, se in his rusticis Vari laudes celebraturum, 1—12. Pergit ad opus, in quo Satyri duo ligant Silenum somno et ebrietate plenum: fit illis comes Nympha Ægle, quæ faciem Deo interpingit colore rubeo. Ridet Silenus dolos, petit ut solvant, accingit se ad cantum, 13—26. Ludunt ad illum Fauni, et feræ ipsæ; flectuntur arbores; gaudent rupes. Canit Silenus primam orbis constitutionem ex atomis, enumeratioque partibus mundi peculiaribus omnia apte discriminat, 27—40. Post orbem conditum canit orbem renovatum a Pyrrha, Saturno, Prometheo. Adjungit alias fabulas, primam Hylæ, rapti a Nymphis in fonte, et inclamati ab Hercule: alteram Pasiphaes taurum perdite amantis; hanc mire exornat Pasiphaes infelicitate, dementia, turpitudine, erroribus; tauri incuria et neglectu, 41—60. Tertiam Atalantæ deceptæ malis aureis. Quartam sororum Phaetontis, quæ mutatæ in arbores. Quintam narrationem, quam ipse confingit, de Gallo, qui ductus est ad cœtum Musarum, et factus Poeta, ut olim Hesiodus, 61—72. Sextam Scyllæ mutatæ in marinos scopulos. Septimam Terei, Philomelæ, Prognes, qui versi in aves. Datur finis Eclogæ, cum laude Sileni, qui par Phœbo; cum nocte advenante, 74—86.

EXPLICATIO.

1. **Musa nostra, quæ Latina et Romana dignata est ludere, id est, abjecit se ad lusus Bucolicos Theocriti, qui Græcus et**

NOTÆ.

1. *Prima Syracosio dignata est ludere versu.* Character mixtus; nam et poëta præfatur, et cantare Silenus inducitur. — *Syracosio.*

Syracusanus : neque erubescimus sylvas tractare ad imitationem illius : nam primi omnium hoc fecimus.

3. Sed roges, Vare, cur me abjecerim ad sylvas? ad res pastorum? ad stylum Theocriti? Attende : quum majora canerem, quum Reges et prælia cogitarem, Phœbus præses carminum, aurem vellicavit, atque admonuit : non oportet, o Tityre, facere hoc pastorem; quin potius, oves pascere, carmen dicere humile, ac tenue : non superbire Heroicorum vatum stylo : inde, ne canas : (dicunt Donatus et Servius, poetam invasisse primum omnium res Romanas, sed omisisse territum asperitate nominum.) Non displicent, qui vocem *pingues* explicant, *ut pingues sint :* sed potest locus vulgariter accipi.

6. Nunc ergo, o Vare, Princeps maxime bellorum, scribam rusticum carmen, monente Phœbo : nam me hic Deus ad res tuas non vocat, quæ inclytæ : supererunt tibi multi, qui illas, qui bella tua, quæ magna, sublimius extollant.

9. Itaque, Vare, cano ea tantum, quæ jussa mihi res tuas non attingenti : aliqui hoc referunt ad imperium Cæsaris : mallem ad Phœbum. Sed si quis tamen humillima hæc legerit captus amore styli tenuis, videbit uti illa spirent laudes tuas : quia myricæ istæ, id est, tenues Eclogæ; pastoritium

Quia Theocritum præcipue sequitur; quamvis multi alii bucolica scripserint. *Serv.*

3. *Quum canerem reges et prælia.* Quum canere vellem : et significat aut Æneidem, aut gesta regum Albanorum : quæ cœpta omisit, nominum asperitate deterritus. Alii Scyllam eum scribere cœpisse dicunt; in quo libro Nisi et Minois regis Cretensium bellum describebat; alii de bellis civilibus dicunt : alii de tragœdia Thyestis. — *Cynthius.* Apollo a Cyntho monte Deli, in quo natus est. *Serv.* — *Vellere aurem*, est commonefacere. Virg. ult. vs. in Copa : « Pone merum, et talos : pereant, qui crastina curant. Mors aurem vellens, Vivite, ait, venio. » In auribus enim memoriæ sedes. Hinc antestatio apud Romanos, id est, testis factio, in qua solent vadantes adversarios suos, apprehensa auricula ejus, quem testari volebant, quo scilicet ejus rei memor esset, interrogare eundem, licet antestari? qui si licere responderet, obtorto collo reus in jus trahi poterat. — Aurem autem ideo vellit, quia memoriæ consecrata est; ut frons Genio; digiti Minervæ; genua Misericordiæ. *Serv.*

6. *Namque super tibi erunt*, etc. Eodem modo Virgilius se purgat Varo, quod res ejus præclare gestas non scriberet, quemadmodum Isocrates Philippo regi se excusatum vult. Vide Excursum II, de Varo, vol. I, pag. 217 et seqq.

9. *Non injussa cano.* Vel ab Apolline, vel ab Augusto, vel a Mæcenate. Sive, nihil injussa mens inchoat; et hoc ideo, quia dixerat,

hoc nemus, in quo versor, te canent; nam Phœbo ipsi, qui me vetuit res tuas magnas attingere, nulla pagina erit gratior, quam quæ Vari nomen gestat in titulo.

13. Satis jam proœmii datum ad rem rusticam: agite jam Pierides, redite in viam, et ludite. Chromis et Mnasylus duo Satyri pueri viderunt aliquando Silenum jacentem in antro, ac dormitantem: erant seni venæ inflatæ ex vino hesterno, ut semper.

16. Varie hic locus explicatur: mihi ita videtur capiendus: erant Sileno notæ omnes ebrietatis: nam jacebat in antro, dormiebat vino venas inflatus, habebat in manu cantharum:

Cinthius aurem vellit. — Hæc quoque. Licet vilia, sicut Theocriti. Et hoc dicit, si quis, licet rustica, legere fuerit ista dignatus: tuas tamen in his laudes inveniet. Nam per myricas et nemora, bucolica significat. *Serv.*

11. *Nec Phœbo gratior ulla est.* Nec enim pagina ulla Apollini est gratior, quam quæ Vari nomen gestat in titulo. Quod ideo dicit, quia hanc eclogam constat in honorem Vari esse perscriptam. Dicitur enim ingenti favore a Virgilio esse recitata: adeo ut quum eam postea Cytheris meretrix cantasset in theatro, quam in fine Lycoridem vocat, et spectaret Cicero; stupefactus, cujus esset, cœpit requirere; et quum eum tandem aliquando agnovisset, dixisse dicitur, et ad suam, et illius laudem: *Magnæ spes altera Romæ.* Quod iste postea ad Ascanium transtulit, sicut commentatores loquuntur. *Id.*

13. *Pergite Pierides.* Hortatur Musas ad referenda ea quæ Silenus cantaverat pueris. Nam vult exequi sectam Epicuream, quam didicerat, tam Virgilius, quum Varus, docente Sirone: et quasi sub persona Sileni, Sironem inducit loquentem. Chromin autem et Mnasylum, se et Varum vult accipi. Quibus ideo conjungit puellam; ut ostendat plenam sectam Epicuream, quæ nihil sine voluptate vult esse perfectum. Sane hoc de Sileno non dicitur fictum a Virgilio; sed a Theopompo translatum. Is enim apprehensum Silenum a Midæ regis pastoribus, dicit crapula madentem, et ex ea soporatum; illos dolo adgressos dormientem vinxisse; postea, vinculis sponte labentibus, liberatum, de rebus naturalibus et antiquis Midæ interroganti, respondisse; quem alii Mercurii filium, alii Panos et Nymphæ, alii ex guttis cruoris Cæli natum esse dixerunt. — *Chromis et Mnasylus.* Nomina satyrorum. *S.* Vide Excursum II° de Sileno a Satyris vincto. vol. I, p. 219 et sqq.

14. *Pueri.* Nonnulli, *pueri*, non absurde putant dictum, quia Sileni priusquam senescant, Satyri sunt ætate maturi, qui antea adolescentes fuerunt Fauni: hi Semidei sunt ejusdem familiæ, quanquam genere triplices.

15. *Inflatum venas.* Figurate locutus est, et *semper*, bene addidit, id est, consuetudine vini, et non interdum temulentum esse. *Id.*

tantum deerat nota una, quæ potissima, nam serta delapsa e capite procul jacebant. Sed Virgilius ponit notam, quæ deest ad communem ebrietatem, ut exaggeret ipsam ebrietatem: perinde ac si dicat: haberet notas omnes ebrietatis, si esset corona in capite: sed hanc esse lapsam major erat ebrietas: neque Turnebi, neque alia Brocensis explicatio mihi probatur: explicatio Turnebi, si quis nostram respuat, hæc est: erant serta tantum delapsa e capite, alioquin integra, illæsa, non rupta: vir quidam doctus, in Academia Salmanticensi, ita explicabat: erant serta Sileno, tantum delapsa e capite; inclinataque ante ipsos oculos: nam hic *procul* capiebat pro oculis.

17. Cantharus Bacchi vas *pendebat* e manu, quasi e clavo aut fuste: itaque non manus ipsa continebat, ut quæ ebrii, et non potentis administrare humana munia: erat *gravis*, ut multi capax meri: *ansa attrita* ex continuo usu bibendi.

18. Aggrediuntur illum subito, *injiciunt vincula ex sertis?* id est, injiciunt vincula sertacea: sicut injicere vincula ex ferro, erit, injicere vincula ferrea. Reddit rationem, cur illigaverint senem: nam sæpe illusi ab illo, quum sæpe voluissent canentem audire.

20. Timidi erant ex facinore, quod aggressi fuerant; ac tum oportune intervenit Ægle, quæ illis animos addidit et ademit metum, ut quæ pulcherrima inter Naiadas: putarunt enim fore ut, visa Nymphæ pulchritudine, minus irasceretur Silenus, imo potius gauderet se ab illa capi: inde est, ut jam Sileno videnti, id est, revocato ab ebrietate et somno, et sui compoti illa sola ausa fuerit pingere frontem, faciem, tempora moris rubeis.

17. *Attrita ansa.* Frequenti scilicet potu, et quia largus ponderosusque. — *Pendebat.* Manibus non emissum significat, vel ex zona pendentem. — *Cantharus.* Poculum ansatum Liberi patris, ut Macrob. V, 21. quo usus est Marius, Jugurthino, Cimbrico, et Teutonico bello feliciter gesto.

18. *Adgressi.* Ordo est, Chromis et Mnasylus adgressi Silenum, nam luserat ambo spe carminis; et *spe*, pollicitatione.

19 *Ipsis ex.* Ex ipsis: ut *transtra per et remos*, id est, per transtra. Hæc verborum transpositio amata Lucretio, lib. III, 10; *tuisque ex inclyte carthis.* Vide Gronov. Observ. III, 19. *Emmeness.*

20. *Timidis.* Timentibus. Nam timidus est, qui semper timet: timens vero, qui ad tempus formidat ex caussa. Aut revera timidis: quia pueris per ætatem naturaliter timor est insitus, et timentibus ne, dum vincula injicerent, expergefieret. — *Videnti.* Pro vigilanti. *Serv.*

23. Risit dolum, quo captus est in somno: et ait: quo me nectitis: solvite; satis fit, me, qui Deus sum, a vobis esse visum: non nos latuisse, ut soleo: scio quid vultis, audietis carmina, vos pueri: nam huic aliud erit mercedis, insinuat quid impudicum ad visam Æglen: vix hæc dixerat, quum statim incipit.

27. Ludebant saltabantque ad numerum Fauni, ac feræ ipsæ; quercus motabant apicem tam blanda cantilena illectæ, gaudio omnia ubertim redundabant: non ita canente Phœbo Parnassus lætabundus exsultat: non ita canentem Orpheum sui montes Rhodope et Ismarus demirantur, quantum agri illi, montes, sylvæ gaudent, stupent ad cantum Sileni.

31. Quid non agri gauderent, quid non stuperent ad cantum Sileni? ceterum ad explicationem quatuor versuum præmitto

24. *Solvite me pueri.* Quia putaverant eum corona ligari posse. — *Satis est potuisse videri.* Sufficit enim, quia potui a vobis, qui estis homines, videri. Quod ideo dicit, quia ὑμαθεῖ, quum volunt tantum videntur; ut Fauni, Nymphæ, Silenus. Potest et aliter intelligi, *Solvite me:* Sufficit enim quod talis vobis visus sum, ut etiam ligari possim. *Serv.*

30. *Rhodope et Ismarus.* Montes Thraciæ, in quibus Orpheus consueverat canere. Et hoc dicit; non tantum isti montes gaudent cantante Apolline vel Orpheo, quantum cantante Sileno lætatus est mundus. Namque etiam paulo post dicturus est: *Et invito processit vesper Olympo.* Serv.

31. *Namque canebat, uti magnum per inane coacta Semina.* Variæ sunt Philosophorum opiniones de rerum origine. Nam alii dicunt omnia ex igne procreari, ut Anaxagoras: alii ex humore, ut Thales Milesius. Unde est: *Oceanumque patrem rerum.* Alii ex quatuor elementis, ut Empedocles: secundum quem ait Lucretius: *Ex imbri, terra, atque anima nascuntur et igni.* Epicurei vero, quos nunc sequitur, nihil horum comprobant: sed dicunt duo esse rerum principia, corpus et inane. Omne enim quod est, aut continet, aut continetur; et corpus volunt esse atomos, id est, quasdam minutissimas partes quæ τομὴν, sectionem non recipiunt. Unde et atomi dictæ sunt, quas Lucretius minutiores dicit esse illis corpusculis, quæ in infusis per fenestram radiis Solis videmus: dicit enim illas nec visum posse recipere. Inane vero dicunt spatium, in quo sunt atomi. De his itaque duobus principiis volunt ista quatuor procreari, ignem, aerem, aquam, terram: et ex his cætera; ut illa duo elementa atomi et inane sint: hæc vero quatuor syntheta, id est, composita ex illis duobus, præstent originem aliis omnibus rebus. Hac autem ratione comprobat, ex atomis et inani originem rerum esse: quod nihil est in rerum natura, quod non et corpus habeat, et recipiat

ex doctrina Servii, Virgilium hic hæsisse Epicureorum sententiæ, qui dicebant, duo esse rerum principia, corpus et inane: per corpus intelligebant atomos, quas poeta hic vocat semina: per inane, spatium illud, in quo atomi: ab his duobus principiis dicebant, quatuor ista generari, ignem, aerem, aquam, terram: jam poetam capies: canebat, ut atomi conjungerentur in magno inani, quæ atomi erant semina terræ, animæ, id est, aeris, aquæ, ignis liquidi ac puri: deinde canebat, uti ex his quatuor principiis omnia exstitissent, excrevissetque orbis in magnam vastitatem et molem initio tener. Ergo: ab atomis et spatio quatuor elementa: ab elementis cetera omnia orsum habuere.

35. Sed extremi versus hanc habent sententiam: canebat etiam, uti solum, quod prius tenerum, cœperit se obdurare, et soliditatem accipere, Nereo, id est, aquis disclusis a solo, inclusisque et amandatis in pontum, quæ fluxu suo et lentitie soliditatem terræ impediebant: quo facto jam solum capiebat novas rerum formas: canebat etiam, ut terræ stupescerent novum Solem, et hactenus invisum: canebat, uti imbres caderent, ex nubibus summotis altius a terra; demum canebat, quando sylvæ primum inciperent surgere, attollique e terra in truncum, caudicem, ramos, brachia, comam: et, ut animalia jam ἔμψυχα, id est, viva errarent per montes, rara illa quidem, quod par in prima rerum omnium paucitate.

sectionem; et quia recipit sectionem, indicet etiam inanitatem. Ergo *uti magnum per inane coacta semina:* Canebat, inquit, mundi principium, id est quemadmodum collectæ et coactæ atomi per magnum inane, fuissent origo ignis, aeris, terrarum, et maris: nam *semina*, atomos dicit. Dicimus autem hæc atomus, et hæ atomi. *S.*

33. *Liquidi simul ignis.* Puri, i. e. ætherei, quem Cicero ignitum liquorem dicit. Lucretius: *Devolet in terram liquidi color aureus ignis.* — *Ut his exordia.* Ex seminibus, hoc est atomis. — *Primis.* Pro principiis, quæ enim Græci στοιχεῖα, nos principia appellamus. *Serv.*

36. *Et rerum paulatim sumere formas.* Canebat etiam quemadmodum terra rerum sumpserit formam. *Serv.*

37. *Jamque novum ut terræ stupeant lucescere solem.* Canebat quemadmodum post hæc stupeant terræ, Solis ortum. Alii *terræ* ad homines referunt, pro, qui in terra sunt. *Serv.*

38. *Altius atque cadant summotis nubibus imbres.* Quemadmodum cadant imbres nubibus in altum levatis. Naturale enim est, ut nubes, quum cœperint Solis esse vicinæ, ejus calore solvantur in pluvias. Unde in Georgicis ait, de signis serenitatis; *At nebulæ magis ima petunt.* — Pierius, *submotis ignibus*, submota æstate: sed male.

41. A prima orbis constitutione transit Silenus ad orbem renovatum. Hujus triplex renovatio: prima, facta post diluvium a Deucalione et Pyrrha lapidibus post tergum jactatis: altera a Saturno, qui agrestes mores commutavit in meliores, et vere aureos: tertia a Prometheo, qui dolens paucitatem hominum ignem e rota Solis furto surripuit, quo igne ex luto homines animavit: cujus audacia punita est atroci pœna vulturis, aut aquilæ excarnificantis devorantisque ejus viscera, jecur, cor, fibras, in monte Caucaso, ubi ligatus Prometheus.

43. Post orbem primo conditum, post renovatum, dilabitur jam ad fabulas: prima omnium continet raptum Hylæ: fuit hic puer Herculi in deliciis, illum secutus est in Colchica expeditione, ivit ad fontem ad aquam hauriendam, incidit, obiit; vulgarunt Argonautæ raptum a Nymphis ob pulchritudinem oris: ab omnibus in discessu tanto gemitu inclamatus est, præsertim ab Hercule, ut ea litora Hylæ nomen redderent: hæc omnia Silenus cecinit.

41. *Hinc lapides Pyrrhæ jactos.* Fabula talis est; Jupiter quum perosum haberet, propter feritatem Gigantum, genus humanum, scilicet, quod ex illorum sanguine editi erant mortales; diluvio inundavit terras, omnesque homines necavit, exceptis Pyrrha et Deucalione, qui in monte Atho liberati sunt: sed hi ex responso Themidis, saxis post tergum jactis, genus hominum reparaverunt: et Pyrrha quidem reparavit fœminas; Deucalio mares. Quod autem dicit *Regna Saturnia*, fabularum ordinem vertit. Nam quo tempore Saturnus regnavit, in terris non fuit diluvium. Alii Saturnia regna, pro Jovis accipiunt, cujus regno diluvium factum volunt sub Deucalione et Pyrrha; non aureo seculo, quo Saturnus regnavit. *Serv.*

42. *Caucasiasque refert volucres, furtumque Promethei.* Et hic fabulæ ordinem vertit, quæ talis est; Prometheus Japeti et Clymenes filius, post factos a se homines, dicitur auxilio Minervæ cælum ascendisse: et adhibita facula ad rotam Solis, ignem furatus, quem hominibus indicavit. Ob quam causam irati dii, duo mala immiserunt terris, febres et morbos: ipsum etiam Prometheum per Mercurium in monte Caucaso religaverunt ad saxum: et adhibita est aquila, quæ ejus jecur exederet. — *Caucasiasque refert volucres.* Bene volucres, in genere, sine distinctione: quia alii vulturem, alii aquilam cor Promethei erodere fabulantur.

43. *His adjungit, Hylam.* Hylas Thiodamantis filius, ob speciem Herculi fuit carissimus; quem secutus navigantem cum Argonautis, in finibus Ponti juxta Mœsiam, apud fontem Calciamnis, quum aquatum isset, a Nymphis raptus est, nec unquam potuit reperiri. Postea quum esset cognitum, quod perisset in fonte, ei statuta sunt

45. Secunda fabula continet res Pasiphaes, quæ Cretensium Regina, Minois uxor, Tauri amica: hanc consolatur amore, id est, recreat ab amore et insania, qua amabat perdite juvencum niveum, vocans illam felicem, nisi amasset, nisi fuissent armenta.

47. Convertit se Silenus ad tam infaustos amores, et veluti oblitus fabularum, quas inceperat, in hac una diu moratur: vocat virginem infelicem; vocat dementem: ait, ejus insaniam superare insaniam filiarum Prœti: prætulerunt se istæ Junoni in pulchritudine; irascitur Dea; immittit furorem, quo putent, se esse vaccas; putant, edunt mugitus, sed falsos; nam vere virgines: timent aratrum, si forte vident; quærunt cornua in fronte, sed lævi, id est, humana; nam feræ hirta sunt fronte, atque hispida: ergo; tu infelicior, tu insanior Pasiphae, nam illæ, aut illarum aliqua nihil unquam brutum amavit, qui amor, qui concubitus turpis, flagitiosus, abominandus.

52. Vide tuam infelicitatem: tu per montes erras; et illum quæris; ille vel non errat; vel si errat, te non quærit: ostendit primum; non errat, quia ad nigram ilicem pallentes herbas ruminat, et illi pro thoro est hyacinthus mollissimus, quo fulcitur: ostendit alterum; quia, si errat, aliquam vac-

sacra, in quibus mos fuerat, ut ejus nomen clamaretur in fontibus.

45. *Fortunatam Pasiphaen.* Cretensium regina, Minois uxore, quæ tauri amore flagravit, et enixa Minotaurum, crimen dementiæ suæ publicavit. Hanc amoris insaniam queritur Silenus, et verbis significat se compati, quod esse solatio miseris solet.

47. *Ah! virgo infelix.* Ad hoc attinet quod ait *solatur*: ut quod amat taurum, fortunæ magis videatur esse, quam morum. Virgo autem a viridiore ætate: nam jam mater fuerat Phædræ, Ariadnes, et Androgei. — *Quæ te dementia cepit.* Hic objurgare magis, quam consolari videtur; an quia consolantis et hoc officium est, ut merentem strictim et objurget. *Serv.*

48. *Prætides implerunt falsis mugitibus agros.* Prœtides, Prœti, et Stenobœæ, sive Antiopæ secundum Homerum, filiæ fuerunt, Lysippe, Ipponoë, Cyrianassa. Hæ se quum prætulissent Junoni in pulchritudine: vel ut quidam volunt, quum essent antistites; ausæ sunt vesti ejus aurum detractum in usum suum convertere: illa irata, hunc furorem earum immisit mentibus, ut putantes se vaccas in saltus abirent, et plerumque mugirent, et timerent aratra; quas Melampus, Amythaonis filius, pacta mercede ut Cyrianassam uxorem cum parte regni acciperet, placata Junone, infecto fonte, ubi solitæ erant bibere, purgavit, et in pristinum sensum reduxit. *Id.*

54. *Ilice sub nigra.* Vel umbrosa,

cam sequitur e magno grege, non te: tu ergo infelicissima, quæ quæris te non quærentem, imo quærentem alias.

55. Dictum hoc, non ex Sileni persona, sed ex Pasiphaes, Servius vult; videri Pasiphaen velle concitare Nymphas ad venandum, ut taurum plagis ac retibus cingerent: nam optat ipsa, ut hac diligentia Nympharum ferant, id est, offerant se tandem vestigia errantis bovis: apte hoc a poeta fingitur: errabat per montes Pasiphae, fatiscebat labore, ergo confugit ad Nymphas, quæ divinæ, et ideo potentes opem ferre: Nymphæ Dictææ, sunt Cretenses: geminatio illa, *Nymphæ, Nymphæ*, hanc habet sententiam: o Nymphæ Dictææ, non omnes, sed quæ estis Nymphæ nemorum.

58. Pergit Pasiphae cum aperta allusione ad ea, quæ supra Silenus dixerat: videlicet, aut jacet in molli herba, aut aliam sequitur e grege: ad hæc, inquam, alludens ait: forsitan illum aut herba captum, aut sequentem armenta vaccæ perducent ad Gortynia stabula: his indicat Nymphis, ubi possint taurum reperire.

61. Deinde cecinit Silenus Atalantam admirantem pulchritudinem malorum aureorum, quæ decerpta ex hortis Hesperidum, quibus ipsa morata in cursu, quibus adducta ad nuptias.

62. Deinde non tam canit sorores Phaetontis commutatas fuisse in arbores, quam ipse tunc commutat vivida cantus narratione: itaque circumdat illas musco corticis amaræ, id est, muscosa et amara cortice; erigit alnos a solo in altum, quasi tunc inter ipsos canentis modos in proceritatem excrescant.

vel revera nigra: nam ilex talis est. — *Pallentes ruminat herbas.* Revomit, et denuo consumit. *Atque iterum pasto pascitur ante cibo:* sic Ovidius. Ruminatio autem dicta est a ruma, eminente gutturis parte: per quam demissus cibus a certis revocatur animalibus. Pallentes autem, vel aridas, vel quæ ventris calore propria viriditate carnerunt. *Serv.*

61. *Tum canit Hesperidum miratam mala puellam.* Mala, quibus acceptis a Venere, Hippomenes vicit Atalantam puellam Sciriam cursu potentem, quæ multos sponsos superatos occiderat.

62. *Tum Phaetontiadas.* Clymenes et Solis filias: quæ dum extinctum fratrem flerent, conversæ sunt in arbores: ut hoc loco dicit, in alnos: ut in decimo, in populos; ubi etiam plenius hæc dicta est fabula. Mira autem est canentis laus, ut quasi non factam rem cantare: sed ipse eam cantando facere videatur. Sane ingeniosi hominis mentionem cum re, quæ animam non habet, miscuit: sorores Phaëtontis succina flevisse dicitur.

64. Deinde canit historiam Cornelii Galli poetæ, quam Virgilius confingit in gratiam amici: ea est talis: errabat fortasse Gallus ad flumen Permessum, offendit illum una e novem Musis, duxit ad montes Bœotiæ, sacros Apollini, ex vatibus: assurrexit illi statim honoris ergo universus Chorus Phœbi, videlicet, Musæ, Nymphæ, poetæ. Princeps omnium Pastor Linus, qui filius Apollinis, cui in capite corona ex floribus, atque apio amaro, allocutus est Gallum divinis versibus, hunc in modum: accipe hos calamos, quos tibi dant Musæ, dederunt prius Hesiodo, sed seni jam, tibi in juventa: his ille ita dulcissime modulabatur, ut ornos quoque ex montibus deduceret; his tu Hesiodo par, canes originem Grynæi nemoris, atque ita suaviter, ut quamvis Apollo plura habeat loca sibi sacra, tamen hoc uno potissime glorietur tuis versibus nobilitato.

74. Dicuntur jam hæc ex persona poetæ, non Sileni. Quid loquar, ut narraverit Silenus Scyllam Nisi filiam? de qua sparsit fama, conversam fuisse media sui parte in canes marinos,

67. *Ut Linus.* Apollinis filius: Ordo autem est, hæc illi ut Linus dixerit. — *Divino carmine.* Id est, vaticinans, qui divina canebat. — *Pastor.* Quæritur, cur *pastor* dixerit; nisi forte quod se Poëta sub pastoris persona inducit. *Id.*

72. *Grynæi nemoris dicatur origo.* Miraculum Apollinis, qui serpentem ibi occidit. Grynæum nemus, est in finibus Ioniis, Apollini a Gryno consecratum: vel a Gryna Mœsiæ civitate; ubi est locus arboribus multis, junco, gramine, floribusque variis omni tempore vestitus; abundans etiam fontibus, quæ civitas nomen accepit a Gryno Eurypili filio; qui regnavit in Mœsia, qui adversus Trojanos Græcis auxilium tulit. — Vide Excurs. III, de Gallo, de nemore Grynæo; vol. I, pag. 221 et seqq.

73. *Nequis sit lucus, quo se plus jactet Apollo.* Sensus hic est, Si tu Grynæum laudaveris nemus, in nullo se tantum Apollo jactabit. *S.*

74. *Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est.* Scyllæ duæ fuerunt, una Phorci et Cretheidos Nymphæ filia, pulcherrima: quam quum amaret Glaucus marinus deus, dum ipse amaretur a Circe, et eam contemneret; illa irata fontem in quo Scylla solebat se abluere, tinxit venenis: in quem quum descendisset puella, media sui parte in feram mutata est. Hanc postea Glaucus fecit deam marinam, quæ classem Ulyssis, et socios evertisse narratur. Quidam Scyllam hanc a Neptuno amatam dicunt, et per Amphitritem, conjugem Neptuni, metuentem pellicis formam, venenis Circes in monstrum marinum esse mutatam. Altera vero Scylla fuit, Nisi Megarensium regis filia: contra quos dum devictis jam Atheniensibus pugnaret Minos; propter filii Androgei interitum, quem Athenien-

quibus infestavit classem Græcam Ulyssis, quibus laceravit miseros ejus classis socios, qui in eos scopulos impegerunt: tu hic expende horrorem loquentis poetæ in re plena horroris, latrant monstra, vexant rates, lacerant nautas, idque in alto gurgite, et marinis canibus: omnia miserrima.

78. Quid loquar uti narraverit artus Terei mutatos, id est, Tereum mutatum in upupam? quid loquar, uti narraverit dapes miseras, dira dona, quæ Philomela paraverit Tereo? et quo cursu deserta petiverit commutata in Lusciniam? quid loquar, uti narraverit, quibus alis infelix Progne tecta sua supervolitaverit conversa in hirundinem?

ses et Megarenses dolo necaverant, adamatus ab Scylla est, Nisi filia: quæ ut hosti posset placere, comam purpuream parentis abscissam ei obtulit: quam Nisus ita habuerat consecratam, ut tamdiu regno potiretur, quamdiu illam habuisset intactam. Modo ergo Virgilius, aut Poetarum more miscuit fabulas, et nomen posuit pro nomine: ut diceret Scyllam Nisi, pro Phorci: sicut alibi: *Domitus Pollucis habenis Cyllarus;* quum Castor, domitor equorum fuerit. *Serv.* —Vide Excurs. IV, de Scylla, vol. I, pag. 224 et seqq.

76. *Dulichias vexasse rates.* Ithacenses, a monte: Dulichium insula est, ubi mons est Ithacus: in qua fertur habitasse Ulysses: eoque et ipse Dulichius, et Dulichias habuisse rates dicitur. *Vexasse rates* autem, per Tapinosin dictum est. Nam non vexavit, sed evertit; quod Probus vult hac ratione defendere: dicens *Vexasse* venire ab eo quod est veho, vecto, vexo; ut vexasse sit portasse, et sine dubio pro arbitrio suo evertisse. *Vexasse* est enim vis quædam alieni arbitrii, non enim sui potens est, qui vehitur. Bene ergo inclinatum verbum est: nam qui fertur, et raptatur, et huc atque illuc distrahitur, *Vexari* proprie dicitur. Cato in oratione de Achæis, *Quumque Annibal terram Italiam laceraret atque vexaret.* — Cicero in Verrinis, *Sed ut a barbaris prædonibus vexata esset.* — Item alibi: *fana vexata, direptæ urbes reperiuntur.* Serv.

78. *Terei.* Tereus rex Thracum fuit, qui quum Atheniensibus tulisset auxilium, ac Pandionis Athenarum regis filiam nomine Prognen duxisset uxorem; et post aliquantum tempus ab ea rogaretur, ut sibi Philomelam sororem suam videndam accersiret; profectus Athenas dum adducit puellam, eam vitiavit in itinere, et ei linguam, ne facinus indicaret, abscidit; inclusamque in stabulis reliquit, ementitus conjugi eam periisse naufragio. Sed Philomela rem, in veste suo cruore descriptam, misit sorori: qua re cognita Progne Itym filium interemit, et patri epulandum adposuit. Alii Tereum finxisse socero dicunt Prognen uxorem mortuam, et petisse Philomelam in matrimonium, et hoc dolore compulsam Prognen occidisse filium, et epulandum patri apposuisse: quos quum Tereus agnito scelere insequeretur, omnes in aves mu-

82. Canit Silenus, et respondent valles; canit omnia illa, quæ Eurotas audiit, quæ jussit lauros suas ediscere: audivit videlicet illa Eurotas canente apud se Phœbo, beatus tanti Numinis præsentia.

85. Cecinit Silenus donec nox advenit; nam paulo ante noctem oves coguntur ad stabula, recensetur numerus, procedit vesper: illud invito Olympo mire dictum, quasi cælum ægre ferret carère suavissimi cantus dulcedine, et vellet diem retinere!

tati sunt; Tereus in upupam; Itys in phasianum; Progne in hirundinem; Philomela in lusciniam. Quidam tamen eos navibus effugisse periculum, et ob celeritatem fugæ, aves appellatos volunt. *Serv.*

85. *Cogere donec oves stabulis.* Ordo est: cogere donec oves stabulis vesper jussit, et invito Olympo processit. Et ex eo quod dies invitus abscessit: et ex eo quod nimio audiendi desiderio vesper exortus est, cantilenæ voluptas ostenditur. Est etiam Solis laudatio, cujus lucis claritas tanta est, ut ea Olympus lætetur. *Serv.*

ECLOGA SEPTIMA.

(Vide Argumentum generale, vol. I, pag. 167.)

MELIBŒUS.

ANALYSIS.

Sedet Daphnis ad umbram, adveniunt illuc Corydon, et Thyrsis; horum greges describuntur, virtus corporis, peritia in canendo, 1—5. Jacitur semen ad sequentem disputationem: errantem enim Melibœum Daphnis videt, vocat, invitat etiam blandimento loci: ille, etsi invitus, cedit: comparant se ad certamen pastores, 6—20. Vult Corydon aut versus Codri æmulari poetæ magni, aut cedere arti poeseos: Thyrsis poetam alium Codro præponit, objiciens huic crimen invidiæ, et fascini, 21—28. Offert Corydon venatrici Dianæ caput apri, cervi cornua; promittitque eidem venatorios cothurnos: Thyrsis pauper suo Priapo lac, et liba; et majora, suppetente fœtura, 29—36. Corydon laudatam prius Galateam ad consortium invitat in eam noctem: Thyrsis, nisi hoc idem vehementer cupiat, diras sibi, et odium ejusdem Nymphæ imprecatur, 37—44. Consectatur Corydon commoda, et delicias agrorum; Thyrsis pastoralium tectorum, 45—52. Speciosa sunt omnia; et venusta in agris præsente Alexide; squallida, et deformia eo absente. Arescit ager et moritur abeunte inde Phyllide; virescit, et vivit ea adventante, 53—60. Corylus, quam amat Phyllis, præfertur arboribus, quas Dii ipsi amant: Lycidas, si maneat cum Thyrside, superat arbores, quæ a locis, ubi sunt, commendationem accipiunt, 61—68. Sententia Melibœi; victor est Corydon, 69—70.

EXPLICATIO.

1—5. Loquitur Melibœus hunc in modum: consederat fortasse Daphnis, ut est mos pastorum, ad umbram ilicis argutæ,

NOTÆ.

2. *Compulerantque.* Compellere proprie est in unum locum, vel diversa, vel diversorum animalia cogere. Cicero sic aiebat in Pisone: *omni pecore compulso.* Serv.

4. *Ambo florentes ætatibus.* Æta-

id est, vento susurrantis et sibilantis : itaque illum, et amœnitas umbræ, et sonitus blandientis arboris illectaverant : duo alii pastores Corydon, et Thyrsis in unum locum (in eum videlicet, in quo erat Daphnis) greges compulerant : sed quos greges? Thyrsis oves, capellas Corydon, et has plenas, tumentesque uberibus præ lactis copia : florebant vero pastores duo pari virtute corporum; quia nimirum Arcades; quod hominum genus forte, et robustum : erant denique pares cantu, pares responsione, id est, amœbeo, et responsivo carmine : quasi dicat : dispares erant in gregibus, nam alter oves, alter capras agebat : sed pares virtute corporis, patriæ conditione, cantus amœnitate.

6. Hic, *tunc;* vel in loco ubi erat Daphnis, caper mihi deerraverat, qui vir, et maritus est capellarum : deerraverat vero, quum fortasse ego essem occupatus defendendis a futuro frigore myrtis teneris : errans vero ipse quærendo, forte Daphnin aspicio : ille mihi statim, huc ades, scio quid quæras? caprum; mitte hanc curam, salvus est ille; hœdi insuper salvi sunt : vidi illos, et scio quo sint loci : tu vero, qui fatigatus es quærendo, sede ad umbram, quietem cape, si ces-

tibus, quasi diceret annis : rara locutio, per numerum plurativum : intelligit autem pubertatem : quare ab Ausonio utrumque simul conjunctum est : *Dum flos novus, et nova pubes. — Arcades ambo.* Non revera Arcades : nam apud Mantuam res agitur : sed sic periti, ut eos Arcades putares. Nam et paulo post dicturus est : *soli cantare periti Arcades.*

6. *Hic mihi.* Scilicet circa eam partem, in qua Daphnis sedebat. In Mediceo *huc* scriptum est, sed *hic* melius; hoc est, eo tempore *quo teneras defendo a frigore myrtos.* Et varie hic locus exponitur. Nam alii simpliciter accipiunt, Dum myrtos tego, et tueor, ne eas frigus exurat. Alii quia æstatis illud fuisse asserunt tempus, dicunt; *Defendo a frigore*, tego contra frigus futurum. Alii dicunt, Dum defendo, id est, dum mihi ad defensaculum præparo myrtos a frigore, id est, quæ sunt sine frigoribus. Solent enim pastores vendicare sibi loca aliqua propter frigus futurum. *Serv.* — Pro multiplici interpretatione, quam tradit Servius, una videtur congruere, Dum munio myrtos contra inimicum frigus, quod tolerare hoc genus fruticis non potest.

7. *Vir gregis.* Abusive : nam tantum hominum est. Sic alibi : *Quem legere virum.* Item Horatius, *Et olentis uxores mariti.* Acyrologia est; quod tamen ad Theocriti imitationem dictum est : qui ait, ὃ τράγε, τᾶν λευκᾶν αἰγᾶν ἄνηρ. Sic amant loqui Poetæ. Juvenalis de gallo Sat. III, 91 : *Quo mordetur gallina marito.*

9. *Caper tibi salvus et hœdi.* Aut quia in capro est spes hœdorum :

sare paululum potes ab labore, in quem natura te, mens, animus semper inclinant.

11. Priusquam quam explicem, præmitto: videri Daphnin, et Melibœum induci ut amicissimos, quibusque multa fuerit familiaritatis consuetudo, ita ut nosset alter vicissim res alterius: itaque vix Daphnis Melibœum viderat, quum jam callebat intimos animi recessus: hinc procedunt superiora illa, *caper tibi salvus, et hœdi;* quasi dicat, non caper solum, quem tu quæris, sed hœdi quoque deerrarunt: hinc etiam illa; *si quid cessare potes;* quasi intus nosset pastorem: ergo ait; non te solum angit capri tui cura, sed juvencorum: eam vero mitte; nam illi, ut solent, huc ad potum venient: non te egent ductore, non custode: *per prata* est, pascentes.

12. Conatur pastorem pertrahere ad quietem, proponitque fortissimum invitamentum: anxius erat Melibœus animo, fessus corpore: ademit anxietatem animi, rem ejus in tuto esse testificatus: pergit jam ad corpus, ut sic tandem illum ad quietem inclinet: ergo non contentus supra dixisse, *requiesce sub umbra,* quo parum motus pastor, addit nunc Mincium, virentes ejus ripas, teneras mollesque arundines tunc succrescentes, apiculas grate insonantes e quercu sacra: quem ista non moverent?

14. Multis expressum jam est Melibœi ingenium, et natura: indicatur enim fuisse supra modum rei suæ sollicitus: hic ergo ad ingenium recurrit, sententia hac: scio in tuto esse caprum, in tuto hædos, juvencos meos non egere me duce ad potum; video deinde amœnissimum locum ad quietem: sed quid faciam? pungit me denuo cura agnorum, qui depulsi a lacte; neque habeo Alcippen, aut Phyllida, famularum hæc sunt nomina, quæ illos domi concludant: sed non possum non acquiescere tuis, o Daphni, precibus, non tam invitatus amœnitate loci, quam quod videam Corydonem, certatorem

aut intelligimus, istum etiam hædos perdidisse, sed nescire: quod tamen ille quasi divinus indicat. Potest tamen etiam scire, sed levius damnum majoris contemplatione contemnere. *Serv.*

13. *Mincius.* Fluvius. Intelligamus Venetiam, quæ est haud longe a Mincio, cujus est delicias commemoraturus. Alii dicunt loca ipsa *prata juvenci* appellari. *Serv.*

14. *Neque ego Alcippen nec Phyllida habebam.* Has duas intelligamus amicas esse cantantium. Nam hoc dicit; nec Alcippen habebam, ut ille: nec Phyllida, ut alter, aut, ut plerique putant, nomen villicæ. *Serv.*

egregium, comparantem se ad certamen cum Thyrside. Itaque victus posthabui mea seria illorum ludo, id est, mea negotia illorum otio, meos agnos illorum cantilenæ.

18. Igitur cœperunt contendere amœbæo versu; voluere enim Musæ, ut alternos tantum versus dicerent, neque aliter illis flatum, et numen suppeditarunt: primas egit Corydon, Thyrsis secundas.

21. Invocat Nymphas fontis Libethri, quas ipse colit, vultque ut dent sibi carmen, non vulgare, sed quale solitus erat condere amicus ejus Codrus; nam hic non vulgaria faciebat, sed proxima Phœbi carminibus: aut, si non possit aspirare ad dignitatem tanti carminis, vult fistulam argutam, et canoram suspendere ex pinu, quæ Cybeli est sacra: atque in hunc modum artis poeticæ instrumenta relinquere, et consecrare.

25. Optaverat Corydon versus Codri, ut magni, et excellentis poetæ: hujus conatus, ut nullius gloriæ, irridens Thyrsis ait: pastores Arcades coronate hedera poetam (incertum, an se? an alium quemvis intelligat?) nondum factum, sed ad-

16. *Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum.* Figurate locutus est, magnum certamen, ille cum illo: ac si dicas, magna contentio est cum Cicerone Virgilius; et videtur nominativum pro genitivo posuisse, nam *Corydonis* facit. *Serv.*

21. *Nymphæ noster amor Libethrides.* Libethros fons est Bœotiæ, ubi coluntur Musæ: a Libethro Poeta, qui primus harmoniam tradidit, et arcem Musis consecravit. Alii locum in quo Hesiodus natus est: alii templum Libethridum Musarum dicunt; quod a Pierio Apollinis filio consecratum est; et sic ait Libethrides, ac si diceret Hippocrenides, a fonte Hippocrene.

22. *Meo.* Positus in hac particula magnus affectus amoris. Horat. Carm. IV. *Mecænas meus.* — *Codro.* Codrus Poeta ejusdem temporis fuit, ut Valgius in Elegis suis refert.

24. *Hic arguta.* Juxta quam frequenter canitur, ac per hoc *loquaci, garrula. Sacra pinu.* Matri deum conseerata. Sic supra, *Sacra quercu*, scilicet Jovi dicata. *Pendebit fistula.* Qui arti alicui valedicebant, instrumenta, sive musica, sive alia, in rebus aliis usurpata, diis consecrabant. Tibullus II, 5. « Pendebatque vagi pastoris in arbore votum Garrula silvestri fistula sacra Deo. » Horat. Od. III, 26. *Barbiton hic paries habebit.*

25. *Pastores nascentem Poetam.* Verecunde locutus est, non jam Poetam dicens, sed nascentem. Sane hoc loco carmen exprimitur Amœbæum. Nam quum Corydon petiisset, ut esset Codri similis: hic se adeo Codrum superare dicit, ut se in ejus invidiam possit movere. Hedera autem coronantur Poetæ, quasi Libero consecrati, qui et ut Bacchæ insaniunt (Sic

huc crescentem, assurgentemque, ut Codro ilia præ invidia rumpantur: vel si maligne, et contra animi sententiam illum laudaverit, coronate non hedera, sed baccare, ne quid illi futuro et crescenti noceat lingua Codri fascinans.

29. O Diana, Mycon parvus (credibile, hunc puerum fuisse Corydoni in deliciis, ut etiam Alexin) suspendit in tui honorem hoc caput apri, hæc cervi cornua; quod te propitia feliciter venatus fuerit: si hoc proprium, id est, perpetuum fuerit, faciet te Mycon ex marmore, stabisque evincta usque ad suras cothurno, qui habitus venatorius est.

33. Respondet alter: satis est, o Priape, exspectes a me sinum lactis, et liba hæc, quæ vides: ratio, cur tam parva offeram, quia custodis hortum pauperem: quasi dicat: pauper

Horatius: *Ut male sanis adscripsit Satyris Faunisque Poetas.*) vel quod semper virent hederæ, sicut carmina æternitatem merentur. *Serv.*

26. *Rumpantur ut ilia Codro.* Extremæ indignationis caussa, rumpi dicuntur ilia. Cic. in Vatin. c. 4: *Ut aliquando ista ilia, quæ sunt inflata, rumpantur.* Facetissima est comparatio apud Horatium Sat. II, 3. et Martialem Epigr. X, 69; stulti Otacilii, cum rana, quæ quum bovi invideret magnitudinem, rumpebatur. Sic Codrus invidia laborans ilia dicitur ducere, quum spiritus anhelantem et suspirantem deficit.

30. *Ramosa cornua.* Ut, *cornibus arboreis.* Plin. XI, 37. *Spargit cornua in ramos, ut cervorum.* Phæd. I, 13: *Ibi dum ramosa mirans laudat cornua.* Superbiunt enim cornibus, quibus amissis, invia petunt, et latent, velut inermes. — *Vivacis cervi.* Ut enim Plinius dicit in naturali historia. Cum se cervi gravatos ætate cognoverint esse, serpentes requirunt, et eos flatu ad se tractos, quum comederint, juvenescunt et revertuntur rursus in actum priorem; diu enim vivere dicuntur. *Serv.*

31. *Si proprium hoc fuerit.* Quod supra petierat scilicet, ut talia carmina faceret, qualia Codrus effecerat. Proprium sane veteres perpetuum, stabile, firmum. Terentius: *Ego deorum vitam ea propter sempiternam esse arbitror, quod eorum voluptates propriæ sunt,* id est firmæ et perpetuæ. Si *proprium*, alii hunc Myconem alieni pecoris custodem volunt, et sic dicere; interim hoc tibi caput Delia dedico: si proprium hoc meum pecus fuerit, plus dabo, id est simulachrum faciam. *Serv.*

33. *Sinum lactis.* Sinum, genus est vasis; quod quum significamus, *Si* producitur; quum vero gremium significamus, *Si* corripimus. *Sino* pro vase utitur et Plautus in Curculione, act. I; sc. 2, 12. *Invergere in me liquores tuos Sino ductim.* — *Sinum.* Δίνον Græcis, mutato *d* in *s*. Quod non adeo insolens, ut Turn. I, 16: excavatiorem sinum habet, quam poculum, Varr. de L. L. IV. — *Priape.* Deus Lampsacenus est Hellespontí; hortorum

sum adhuc, et modicus mihi hortus: feci te pro tempore ex marmore, faciam procul dubio ex auro, si fœtura gregem suppleverit: quod sic capio: acceperat pastor incommodum, et diminutus fuerat numerus ovium: igitur optat, ut nata soboles reducat gregem in pristinum numerum, et suppleat quicquid acceptum fuerat incommodi.

37. Post oblata Diis munera sunt jam in amoribus, quæ materia creberrima in re rustica: uterque cupit Galateam, et vult dare testificationem amoris sui erga illam, invitatque ad eam noctem: sed longe alia est illiciendi, et invitandi ratio: prior enim totus diffluit amoribus, et post effusam laudem triplicem, petit ut quum a pastu tauri redeant ad præsepia (est hæc periphrasis noctis advenientis) ad se veniat: posterior loquens cum eadem Galatea sibi tres diras imprecatur, nisi vere putet eam diem, in qua est, esse longiorem anno: quibus innuit quam ardenter noctem exoptet, qua ipse possit frui Galatea: inde in tauros invehitur, quasi ipsi longissima mora in pascendo diem detineant, et qua pastor ab tam cupito consortio retardatur.

45. Vult pastor, ut defendant solstitialem calorem a pecore fontes, herba, arbutus: fontes sua amœnitate, nam muscosi sunt: herba sua mollitie, nam mollior adhuc somno ipso;

Deus, manu tenens dextra falcem, qui avibus et furibus terrorem incutit Noster Ge. IV, 110: « Et custos furum atque avium, cum falce saligna Hellespontiaci servet tutela Priapi. »

35. *Pro tempore.* Pro necessitate, pro captu rei nostræ, pro viribus quæ sunt hoc tempore. *Serv.*

36. *Si fœtura gregem suppleverit.* Si tot agnos habuero, quot oves: hoc est enim *gregem suppleri per fœturam;* et fœtura est proventus, ipse fœtus vero quod nascitur. *S.*

37. *Nerine Galatea.* Amica Corydonis nobilis; *Nerine* autem patronymicum est Græcum. ut Ætine Ovid. Epist. Heroid. VI, 103: sic Adrastine, Nonacrine. vid. Priscian. lib. II, p. 585; et notas Ovidii nostri, vol. I, p. 133 et 134.

41. *Sardois herbis.* In Sardinia enim nascitur quædam herba, ut Sallustius dicit, apiastri similis: quæ herba comesa hominum rictus dolore contrahit, et quasi ridentes interimit. Unde vulgo σαρδίους γέλως. *Serv.*

43. *Si mihi non hæc lux toto jam longior anno est.* Impatientius ferebat sibi, gregem servanti, diutius amica carendum esse, ad quam festinabat; et *animo cupienti*, ut Sallust. in Jugurth. *nihil satis festinatur.* Crebræ occurrunt misere amantium querelæ, momenta annos esse. Ovid. Heroid. Epist. XVIII, 25: « Septima nox agitur, spatium mihi longius anno. » *Lux* pro *die* apud poetas vulgatur.

arbutus suo virore, sua umbra; nam tametsi hæc rara, fontes et herbam tegit: subdit rationem cur tantopere caveat pecori, quia jam æstas venit calida, et fervida, ac vere torrens: indicium vero advenientis æstatis sunt gemmæ vitium jam protuberantes turgentesque in palmitibus.

49. Vagatus est Corydon suis versibus per agros, et cavit suo pecori: opponit illi Thyrsis commoda, quæ pastores ipsi, non pecora, capiant ex tectis, non ex agris: sunt nobis focus, tædæ, ignis semper plurimus: hujus rei indicium postes ipsi, qui nigri præ fuligine: his tuti sumus a frigore, tuti a Borea, quem, tametsi omnium asperrimum, tantum curamus, quantum lupus curat numerum ovium, quantum flumina curant ripas, id est, tantum contemnimus Boreæ frigus, quantum lupus contemnit numerum ovium, quantum ripas flumina.

53. Ait, stare in agris juniperos, et castaneas, utramque hirsutam, et spectabilem; quæque poma strata jacere sub sua arbore; demum ridere omnia in agris præ lætitia: hanc vero tantam pulchritudinem commutari in squallorem, abeunte ex montibus Alexi: nam formosus est, et præsentia sua reddit omnia formosa: hujus tantæ vastitatis argumentum deducit a fluminibus, quæ quum perennia sint, tamen absente puero exarescunt.

57. Commutat Thyrsis sententiam in gratiam suæ Phyllidis, et ait, agrum arescere: herbam immori, ac sitire præ vitio aeris, nullum unquam humorem stillantis; Bacchum ipsum invidisse amœnissimis collibus umbras pampinorum, id est, ademisse umbras per invidiam, noluisseque ut colles vestirentur pampinis: adveniente vero Phyllide, agrum, et nemus virescere; Jovemque ipsum plurimum, id est, abundantissime descendere in herbas imbri læto.

47. *Jam venit æstas Torrida.* Jam venit, jam appropinquat: non enim dicit æstatem esse cum adhuc turgere gemmarum palmites dicat. Et bene tarde frondere vites commemorat in Venetia, quæ est provincia frigidior. *Torrida.* Calore sicca. *Serv.*

57. *Aret ager: vitio moriens sitit aeris herba.* Id est, Siccitas minatur frugibus et satis interitum. Noster Ge. I, 107: « Exustus ager morientibus æstuat herbis. » — *Moriens herba.* Ex philosophantium sententia, animatæ sunt herbæ; ideoque *mori*, *exspirare*, etc. dicuntur. Noster Ecl. X, 67: « Quum moriens alta liber aret in ulmo. » et Ge. IV, 330: *Interfice messes.*

60. *Jupiter et læto descendet plurimus imbri.* Sic alibi, *Conjugis in gremium lætæ descendit.* Aer enim in pluvias solutus, irrigabit arva pluviis ad fertilitatem sufficienti-

61. Dicit, quatuor arbores esse gratissimas suis Diis, populum Herculi, vitem Baccho, myrtum Veneri, laurum Phœbo, tantam vero esse Phyllidis virtutem, et quasi numen, ut, illa amante corylos, non has vincant illæ Deorum arbores, quantumvis inclytæ et pretiosæ suorum Numinum amore, et patrocinio.

65. Sententia est, arbores quatuor esse pulcherrimas, et commendari a locis, ubi sitæ sunt; fraxinum, quia in sylvis est; pinum, quia in hortis; populum, quia juxta fluvios; abietem, quia in montibus: si vero Thyrsin sæpe revisat pastor Lycidas, fore ut hic superet illas arbores, quia positus juxta suum Thyrsin, tanquam in loco debito.

69. Finis initio respondet: memini, inquit, hæc ab illis cantata, nam quid aliud meminerim, quam quæ Musæ meminisse volebant? addit, frustra Thyrsin contendisse; nam victus in litibus quatuor; in duabus tantum par; in nulla victor: quamobrem ex illo tempore nobis, id est, Latinis omnibus Corydon, nempe, Virgilius princeps est carminis: geminatio vocis indicat plausum, quo Virgilius acclamatus est Victor Græcorum.

bus, et necessariis. Inde *Jupiter pluvius.* Tibull. I, 7. — *Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.*

61. *Populus Alcidæ gratissima.* Quia ea velatus ab inferis rediit, quam Homerus ἀχερσίδα dicit, ab Acheronte ad superos translata; qua corona usus duplici colore foliorum, geminos labores superorum inferorumque testatus est. Qui Herculi sacra faciebant, et heroes, multis perfuncti laboribus, populeam coronam sumere consueverant.

62. *Formosæ Myrtus Veneri.* Myrtum ideo dicatam Veneri volunt; quia quum a mari exisset, latuit in myrto, ne nuda conspiceretur; vel quia fragilis est, ut amor inconstans; vel quia jucundi odoris, ut, *sic positæ quoniam suaves miscetis odores.* Serv.

65. *Fraxinus in silvis pulcherrima.* Bene singulis loca sua consignavit. *Fraxinus in silvis cedet tibi, pinus in hortis.* Non sic erunt pulchræ arbores in suis locis, id est, sibi aptis creatæ: sicut tu, si ad me frequenter venire curaveris. *Nec myrtus vincet Veneris, nec laurea Phœbi,* et ita adserit, *illas dum Phyllis amabit.* Non tam necessarium fuit dicere corylos: perinde enim est, ac si dixisset, *Phyllis amat corylos, corylos dum Phyllis amabit.* Serv.

70. *Ex illo Corydon, Corydon est tempore nobis.* Victor nobilis supra omnes: quam rem quasi rusticus implere non potuit. *Serv.*

ECLOGA OCTAVA.

(Vide Argumentum generale, vol. I, pag. 178.)

PHARMACEUTRIA.

ANALYSIS.

Jacitur fundamentum Eclogæ. Damonis, et Alphesibœi Musa cum præclaro Elogio prædicatur, 1—5. Asinii Pollionis favorem petit; ardet ejus facta et opera poetica laudare: huic Eclogam dedicat, 6—13. Describitur Aurora; Damon querelas comparat de fraudibus Nisæ sibi conjugio pactæ: vult ut Lucifer illas, et Dii audiant: vult illas canere Mænaliis versibus, 14—21. Reddit rationem, cur canere paraverit Mænaliis versibus, 22—25. Est jam in querelis, quibus dolet Nisam sibi abripi, Mopso dari: inde elicit monstra in ævum sequens. Marito invide gratulatur de nupta, 26—31. Insultat jam stultitiæ Nisæ, ut modo deformitati Mopsi, 32—36. Describit locum, ætatem, tempus, et circumstantias alias, quibus amare Nisam incœpit, 37—42. Qui Mopsi deformitati insultaverat, et Nisæ stultitiæ, insultat jam sævitiæ Amoris, objiciens illi natales feros, 43—46. Indicavit sævitiam Amoris ab ejus natalibus; nunc a credulitate Medeæ, 47—51. Redit ad impossibilia, 52—57. Moriturus Damon omnibus valedicit. Dat Poeta versus Alphesibœi canendos Musis, 58—63. Jubet venefica, afferri sibi quæ necessaria ad illiciendum Daphnin amoris philtro: adduntur carmina ad formam integram, 64—68. Carminum virtus prædicatur, 69—72. Incipit maga a ternario numero, qui potentissimus in hac arte, 73—76. Imperat famulæ partem laboris, 77—79. Adduntur nova sacra valida, et fortia, 80—84. Nihil sacris proficientibus fit imprecatio, 85—90. Additur validior et fortior magia, 91—94. Commendat maga herbas, et venena, quibus usa est in sacris istis, veluti admirabunda nihil sibi procedere, 95—100. Augentur sacra validissimo, et fortissimo genere magiæ, 101—104. Allucent felicia omnia; Daphnis accedit; victrix est maga; ideo a sacris cessat, 105—109.

EXPLICATIO.

1. Accingit se Virgilius ad canendam Damonis Musam, et Alphesibœi: quorum in certando tanta fuit suavitas, tanta in canendo modulatio, ut juvenca et lynces etiam attentissime illos audirent; illa admirabunda, et pastionis oblita, istæ stupore correptæ: quin etiam flumina mutarunt locum, in quo prius fluebant, ut illos cantantes sequerentur, ad quos cum jam pervenere, continuerunt cursus, ut audirent: ergo, audiamus tam novam, inauditam, inusitatam Musam pastorum.

6. Poeta rogat gratiam et præsidium Pollionis, ubicumque terrarum sit, sive Timavi scopulos superet, sive litora maris Illyrici prætervehatur: ostendit quanta cupidine ardeat tot laudes canendi.... venietne dies ille mihi jamdiu expectatus, quo liceat tua præclare gesta celebrare? aderitne mihi mox occasio toties exoptata, qua possim per terras omnes vulgare tuarum tragœdiarum carmina, quæ sola ex Romanis digna sunt Sophoclei cothurni majestate? interea Musa mea quæ sumpsit a tuis laudibus initium, eadem in ipsis desinet; hos

NOTÆ.

1. *Pastorum Musam Damonis.* Apud Theocritum est una ecloga, quæ appellatur φαρμακεύτρια; in qua inducitur mulier quædam sacris quibusdam pervertens mentem amatoris, a quo spernebatur: quam Virgilius transtulit ad hujus ecloge ultimam partem. Prima enim ejus pars conquestionem solam habet, amatoris decepti; quem nubendo alteri, antiqua sponsa fefellerat. In ea narratur etiam principium, et origo amoris, qui locus a Theocrito circa finem tractatur.

9. *En erit.* Ecce jam aderit. Nam, *en*, unum optantis est; ut, *en erit ille dies;* aliud confirmantis; ut, *en erit, ut liceat.* Serv.

10. *Sola Sophocleo tua carmina d. c.* Ac si diceret, quamquam impar sit ingenium meum laudibus tuis: nam tuæ laudes merentur exprimi Sophocleo tantum cothurno, id est, sublimi charactere, et gravi stylo, qualis tragœdias decet. Sophocles enim Atheniensis, tragicorum princeps exhibuit 123 fabulas, in quibus ter et vicies victoriam retulit; quarum postrema quum ei præter spem contigisset, repentino gaudio expiravit. Alii ideo hoc de Pollione dictum volunt, quod et ipse utriusque linguæ Tragœdiarum scriptor fuit. *Cothurnus* autem calceamentum tragicum; cujus usum quidam Sophoclem primum scenæ intulisse volunt.

11. *A te principium: tibi desinet.* Sic et Homerus, ἢν σοὶ μὲν λίξω,

igitur versus accipe, quos te, volente et jubente, inchoavi; et permitte, ut hæc humilis hedera qua cinctus sum, serpat inter victrices lauros quibus coronatum tibi splendet caput; id est, ut locus sit meis carminibus inter triumphorum tuorum pompam: ne dedignare meam tenuem camœnam, o gentium domitor.

14. Signat poeta exorientem Auroram ab umbra, quæ frigida vix decesserat: a rore, qui albente cælo in herba visitur, qui pecori tunc est gratissimus: in hoc puncto temporis Damon olivæ incubuit firmæ, ac tereti, ut pondus incumbentis sustineret.

17. Quam signatus affectus! miserum hominem, et malo

νέο δ' ἄρξομαι. Horatius, *Prima dicte mihi, summa dicende camœna.* Serv.

12. *Atque hanc sine tempora circum Inter victrices hederam tibi serpere lauros.* Allegoricῶs dicit. Debet etiam carmen meum florere inter tuos plures triumphos. Nam victores Imperatores lauro, hedera coronantur poetæ. Verecunde autem ait *Serpere*, hoc est humiliter procedere. Alii ideo lauri et hederæ simul mentionem factam accipiunt, quoniam Apollo carminum deus; idem Liber pater putatur. Quidam, sicut dictum est, in Pollionem dictum trahunt; qui tunc Illyricum petebat expugnaturus Salonas, et inde ad orientem ad Antonium profecturus. Lauro autem triumphantes coronantur; hedera poetæ: Pollio et Imperator est et poeta. Cur tamen triumphantes lauro coronentur, hæc ratio est; quoniam apud veteres a laude habuit nomen, nam laudum dicebant: vel quod hanc in manu habuit Jupiter, quando Titanas vicit; vel quod ea arbore Præfecti militum, Fidenatibus victis, se coronassent sub Romulo; vel quod semper vireat. Hedera autem ideo coronantur poetæ, quoniam poetas sæpe vino plurimo manifestum est uti; sicut et de Ennio ait Horatius; et Lyrici omnes in suis carminibus loquuntur; et hæc herba nimium frigida est, et vini calorem temperat, nam ideo et capiti imponitur. Varro ait, Liberum patrem propter calorem vini, hedera coronatum. Idem Varro etiam Musas ait hedera coronari. *Serv.*

14. *Frigida vix cælo noctis decesserat umbra.* Et bene ostendit amatorem tota nocte vigilasse; siquidem ortum Luciferum primus aspexit: et ad eum, quippe ut ad Veneris stellam, locutus est.

16. *Incumbens.* Propter amorem non se sustinens. — *Tereti.* Teres, est rotundum et oblongum, ut columna, arbor. Alii *tereti olivæ*, baculum de oliva accipiunt. *Serv.*

17. *Præque diem veniens.* Ordo est, nascere Lucifer, præveniensque diem almum age; sic alibi, *Ducebatque diem.* Et hoc dicit, Nascere dum queror, conjugis Nisæ indigno amore deceptus, et moriens alloquor divos: quamquam nihil mihi profuerit, quod sum eos sæpe testatus. Quam rem secundum Epicureos ait, qui dicunt,

aliquo implicatum, noctes vexant variis cogitationibus: nihil loquitur in tenebris, tantum secum curas volvit, et recurrente dolore sollicitatur: quum surgit lecto, quum erumpit dies, jam tunc ipse in querelas surgit, in voces erumpit: ergo ex hoc affectu optat Damon, ut Lucifer nascatur, ut diem præveniat, ad quem ipse, ut ad stellam Veneris amantium Deæ querelas deferat de violato amore Nisæ: optat cœlestes Deos alloqui jam ex vicina luce per cœlum apparente: nam tenebris, ut cœlum ipsum, ita quoque Dii tecti: reviviscunt omnia ad ortum diei, venti flant leniter, canunt volucres, virescit herba, mortales omnes, et animantia cetera, veluti de novo, recuperata vita, sibi plaudunt: unus Damon tunc moritur, et eam ducit extremam vitæ horam: illa, *quamquam nil testibus illis Profeci*, hanc habent sententiam: promissum fuisse conjugium Damonis cum Nisa Diis præsentibus, sed nihil profectum tam bonis testibus.

22. Ideo ad Mænalum pastor confugit, ut in quo totum nemus dulcissime cantillet, pini suaviter admurmurent; ut qui audiat semper canentes pastores, et ipsum adhuc Panem pastoralis musicæ auctorem.

26. Quum Nisa formosa nupserit deformi Mopso, conjicit pastor fore, ut amantes nihil non sperent: gryphes et equi, damæ et canes amicitias contrahent; nam illi jungentur coitu; isti una venient ad potum.

29. Despectus pastor, duo admonet pastorem sibi in amore prælatum; primum, ut faces incidat; alterum, ut nuces spar-

Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

18. *Conjugis.* Non quæ erat, sed quæ fore sperabatur. Sic in quarto Æneidos, *Quos ego sum toties jam dedignata maritos.* Alii, *indigno deceptus amore*, antique dictum accipiunt: *indigno* pro magno; ut indignas hyemes; vel impari, quia plus amabat, et minus amabatur.

26. *Mopso Nisa datur.* Honesta turpissimo, pulchra deformi. — *Quid non speremus amantes. Speremus* pro *timeamus*; ut, *hunc ego si potui tantum sperare dolorem*; vel quid non speremus perversi accidere, quum hoc mihi acciderit? Difficile esse putamus, qui aliquid amamus, ut ea, quæ amamus, assequi possimus. *Serv.*

27. *Jungentur jam gryphes equis.* Utrum idem jugum subibunt? ut dicuntur jungi jumenta. An coitu jungentur? Gryphes autem genus ferarum in Hyperboreis nascitur montibus, postrema parte leones sunt, alis et facie aquilis similes, equis vehementer infesti, Apollini consecrati. *Serv.*

29. *Tibi ducitur uxor.* Id est, sub tuo nomine aliis ducitur: ut eam non ipsi, sed aliis servituram significet; scilicet ejus corruptoribus.

30. *Sparge marite nuces.* Idem

gat jam maritus: illud, quia opus est facibus ad ducendam uxorem domum; istud, quia Hespero deserente Œtam montem, secumque noctem adducente, tempus jam appetit adeundi in thoro nuptiali ductam uxorem: sed observandum, hæc dici cum dolore animi indignantis prælatum alterum.

32. Ironice dicit, Nisam conjunctam fuisse cum indignissimo Mopso: inde elicit, quæ fuerit Nisæ stultitia, quum præ illo omnes despiciat, odio habeat canoram Damonis fistulam, et capellas; his notat Mopsum, et insuavem canendo esse, et minime divitem.

34. Quid ais pastor? certe Nisa te contemneret: nam quis amet hirsutiem in supercilio, horrorem in barba? ergo sententia ista est: pro te, o Nisa, induxi incultum et deformem habitum; abjeci me; nihil curavi elegantiam corporis, si te possem hac veluti pœnitentia permovere; tu tamen omnia contemnis: contemnis omnia, neque advertis Deum aliquem fore ultorem tantæ arrogantiæ: hæc summa est stultitiæ.

37. Vidi ego te parvam una cum matre mea legentem in sepibus, id est, hortis nostris mala perfusa matutino rore; eram vero ego dux et tibi, et matri meæ: ut tu parva, ego quoque

Varro spargendarum nucum hanc dicit esse rationem, ut Jovis omine matrimonium celebretur, ut nupta matrona sit, sicut Juno. Nam nuces in tutela sunt Jovis. Unde et juglandes vocantur, quasi, *Jovis glandes*. Nam illud vulgare est, ideo spargi nuces, ut, rapientibus pueris, fiat strepitus, ne puellæ vox virginitatem deponentis, possit audiri. Modo tamen ideo dicit, *Sparge marite nuces*, ut eum culparet infamiæ. Nam meritorii pueri, id est, catamiti, quibus licenter utebantur antiqui, recedentes a turpi servitio, nuces spargebant, id est, ludum pueritiæ: ut significarent, se puerilia cuncta jam spernere. Dicitur etiam ideo a novo marito nuces spargi debere; quod projectæ in terram tripudium solistimum faciant, quod auspicium ad reformandam optimum est: vel ideo a pueris aspergendas nuces cum strepitu et convicio flagitari, ne quid nova nupta audiat adversum, quo dies nuptiarum dirimatur. Quidam putant quod hæc esca ad incitandam Venerem faciat.

35. *Nec curare Deum credis mortalia quemquam*. Superbia tua damnata est turpi marito, dum credis nullum deorum curare mortalia. Quod Epicureorum est dogma. Inter Philosophos Diagoras Melius fuit, qui, quia negabat Deos existere, Atheos dictus. Epicurus Deos esse affirmavit, sed *nihil agere, nihil moliri, omni prorsus rerum procuratione, et administratione vacare;* ut Dido, Æn. IV, 379: « Scilicet is superis labor est, ea cura quietos Sollicitat. »

38. *Dux ego vester eram*. Dux vos præibam. — *Cum matre legentem*. Deest pronomen; et ideo vel hujus,

parvus; nam me tum annus cœperat tertius decimus, in qua jam ætate contingebam ramos a terra: proh, me miserum, ut vidi! ut perii! ut erravi! quasi dicat: miser sum, qui vidi, qui perii, qui erravi.

43. Jam sero tandem scio Amoris naturam, et genus: explicat quod hoc genus, objiciens huic Deo contraria omnia illis, quæ ipse habet: editus est ex Venere; attribuit illi Ismarum, aut Rhodopen montes Thraciæ: gestatus est in molli utero ejus Deæ; dat illi duras cotes, quibus conceptus fuerit: natus est in media Græcia; dicit natum inter Garamantas, extremos Africæ populos. Ergo: uterus tibi, o Amor, cotes sunt; parentes Ismarus et Rhodope; natalitium solum, Garamantes extremi; inde est, ut puer hic sit non humani generis, non humani sanguinis, sed totus saxeus.

47. Hic repræsentatur multiplex affectus Damonis, qui quum in primo versu, et alterius hemistichio affirmet, Cupidinem fuisse magistrum Medeæ ad parricidium, quo proprios filios interfecit, mox in altero hemistichio subsistit dubitabundus, ac matrem appellat crudelem, quasi illud scelus natum fuisset ab immani natura Medeæ: deinde in tertio versu utriusque culpam examinat, interrogans se in hunc modum: *Crudelis mater magis, an puer improbus ille?* Tandem in quarto sententiam absolvit, et utrumque condemnat, relinquens in incerto, paresne, an impares sint culpæ: ait enim: *Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.*

vel puellæ matrem intelligere possumus.

39. *Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus.* Id est, *tertius decimus.* Alter enim de duobus dicimus. Et vult significare jam se vicinum fuisse pubertati, quod de duodecimo anno procedere non potest. Bene cum annis jungit habitum corporis. Nam et in jure pubertas ex utroque colligitur. *Serv.*

43. *Nunc scio, quid sit amor.* Vel quasi jam juvenis, vel quasi spretus. Gravior enim amor fit ex despectione, vel ex desperatione. Terentius, *Perii: quanto minus spei est, tanto magis amo.*

44. *Extremi Garamantes.* Populi Africæ, sævi, quasi a consortio humanitatis remoti. Ut, *Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis.*

47. *Sævus amor docuit natorum sanguine matrem, etc.* Quasi novam artem insinuavit et infudit, et fabulam, omnibus notam, per transitum tetigit. Quis enim ignorat Medeam ab Jasone contemptam, suos filios peremisse? *Serv.*

48. *Crudelis tu quoque mater.* Utitur autem optima moderatione. Nam nec totum amori imputat, ne defendat parricidam: nec totum matri, ne amorem eximat culpæ:

52. Adeo visæ pastori sunt nuptiæ istæ deformes, ut redeat ad impossibilia, credatque inde evenire posse omnia, quæ natura exhorrescit, et nemo unquam vidit: nunc, id est, peractis jam his nuptiis, lupus fugiat ad visas tantum oves, et quidem ultro: quercus ferant mala; alnus Narcissum; myricæ electra: ululæ, quæ vere ululant, adspirent ad victoriam cycnorum, qui canunt suavissime: demum Tityrus, cantor rusticus, sit Orpheus; non quivis Orpheus; sed ille, qui in sylvis potens fuit, arbores trahens ad se: sit Arion; neque Arion quivis; sed ille, qui feras marinas cantu mulcebat: observa mentem poetæ; triplex est animantium genus; vegetans, sensile, rationale; ab omnibus advocavit sua impossibilia: sunt enim hic arbores, feræ, homines.

58. Humana jam nihil ad me pertinent, quum mori debeam: cuncta misceantur, occupet terram mare, tellus enim mihi jam necessaria non est: vivite sylvæ, id est, valete: ergo optat se præcipitem in undas dare ex rupe, et extremo hoc munere, morte sua donare Nisam: itaque sic cantum desinit.

62. Cedunt hæc in laudem Damonis, cujus Musa adeo sublimis, ut illam se assequi posse diffidat, et ita responsum Alphesiboei Musis dat, non sibi.

sed et illam quæ paruit, et illum qui coegit, incusat. Alii hoc loco cum amore matrem Venerem culpari volunt: eam enim *crudelem*, quia permittit; illum autem *improbum*, qui supra modum noceat; ita ut ad parricidia quoque sui violentia plures impulerit.

56. *Delphinas. Nas,* ideo brevis est, quia Græca declinatio est, sicut *Arcadas accensos monitu.* Nam omnia Græca nomina, quæ nominativo plurali *Es* terminant, ut Arcades, Naiades, delphines, accusativum pluralem corripiunt. *S.*

58. *Omnia vel medium fiant mare.* Medium fiat, id est, ut nihil sit nisi mare, hoc est diluvium fiat medium: optat enim confusionem elementorum. — *Vivite silvæ.* Valete, non enim bene optantis est, sed renuntiantis. *Serv.*

59. *Præceps aerii specula, etc.* Quidam hoc ideo dictum putant, quod apud Leucaten soliti erant se præcipitare; qui aut suos parentes invenire cupiebant, aut amari ab his desiderabant, quos amabant. Sic et in Citi, v. 301; et Æn. IV, 586. *Serv.*

60. *Extremum hoc munus morientis habeto.* Id est, moriar in invidiam tuam. Nam amare ait, *Munus.* Sic Mezentius, *Et hæc tibi porto Dona prius:* vel extremum hoc munus meum habeto, quod morior. Quem sensum damnat Heynius, vol. I, pag. 186: jure, an immerito tu videris.

63. *Dicite Pierides.* Bene animos erigit auditorum: nam superiora a pastoribus utcunque dicta sunt; sequentia, non nisi a numinibus poterunt explicari.

64. Versus isti Alphesibœi finguntur facti a quapiam pharmaceutria, id est, maga et venefica, volente adducere ad suum amorem conjugem Daphnin: fingitur vero hæc venefica loqui cum Amaryllide horum sacrorum administra: ergo, jubet maga Amaryllidi, ut paret quæ necessaria sunt ad magiam, aquam efferat, cingat tegatque altaria vitta molli, adoleat pingues verbenas, herbas omnes his sacris dicatas: thura mascula, id est, excellentissima, eximia, et præcipuæ bonitatis: addit caussam, cur hæc petiverit, ut insanum faciat Daphnin, qui sanus est, scilicet, ex non amante amantem efficiat; nam amatores insani sunt: adductis jam aqua, vitta, herbis, thure, ait nihil jam deesse præter carmina, sine quibus herbæ omnes inanes sunt, et inutiles ad incantationem: quia ergo ista deerant, subdit, *Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnin.*

69. Adjungit triplex effectum carminum, ut ostendat, nihil esse carminibus potentius: illis enim Luna ipsa deducitur e cælo: illis Circe mutavit Ulyxi socios in varias feras: demum cantando, dum cantiones fiunt, anguis frigidus, id est, nocens disrumpitur: quanta igitur ea est vis, quæ expugnat formas cælestes, humanas, ferinas!!

73. Circumdat Maga loquens cum Daphnide primum terna licia, quibus item color triplex: deinde separatim ducit ter

64. *Effer aquam.* Hic inducit mulierem sacris quibusdam pervertentem mentem amatoris, a quo spernebatur. *Serv.*

65. *Verbenasque.* Verbenæ dicuntur virgulta, quæ semper virent, jucundi odoris. Alii verbenas virgulta religioni apta. Alii proprie olivarum ramos. Nam ideo et pingues ait; quamvis hoc et de palma et de lauro dici possit. Alii rorem marinum dicunt; omnia tamen hæc a viriditate, verbenæ appellantur.

69. *Carmina vel cælo possunt deducere Lunam.* Vel, etiam: ut, *Vel Priamo miseranda manus.* Est autem argumentum a majore ad minus. Si hæc possunt facere carmina: cur non etiam facilia impleantur? quid enim facilius, quam ut Daphnis ex urbe rus redeat, ut civitatem deserat rusticus? Miros effectus veteres præbuerunt magicis carminibus. Lunam devocari, quid notius? Ovid. Heroid. ep. VI, 85, de Medea; et Metam. VII; 207.

73. *Terna.* Tria. Notanda est veterum superstitio, existimantium, Deos gaudere numero impare. Censorinus c. 20; Solinus c. 1, ad quem locum vide Salmas. et Apul. Met. lib. XI, et Serv. infra ad vs. 75, hujus Ecl. Numero autem ternario, in rebus divinis, imo in carminibus et incantationibus, utebantur.

74. *Licia circumdo.* Id est, tria alba, tria rosea, et tria nigra cir-

circum altaria effigiem ceream Daphnidis: et addit rationem, cur omnia sint terna, quia Deus gaudet eo numero, qui perfectissimus est.

77. Jubet Amaryllidi, ut nectat nodis tribus tres illos colores liciorum; vultque ut tum maxime nectat, quum ipsa jubet: Addit deinde, ut loquatur, dicatque *necto vincula Veneris*, quia scilicet veneficia hæc ex verbis habent complementum: mens magæ est, ita Daphnin implicare, et allicere ad amorem, ut colores illi inter se nodis implicantur.

80. Finge factam a maga duplicem imaginem, unam e limo, e cera alteram: utramque applicuit igni, qui erat in ara comparatus: quæ e limo, igne obduruit; quæ e cera, liquefacta est igne: optat ergo, ut simili ratione Daphnis obdurescat aliorum amoribus, et liquefiat in amorem sui.

82. Jubet maga, ut Amaryllis spargat molam, lauris urencumdo; et bene utitur liciis, quæ Synesius *συνδέσμους* appellat. Ut licia implicant stamen, sic vincula, certis verbis incantata, (quæ Plinius narrat XXVIII, 4) et ex diversis coloribus confecta, mentem hominum devinctam constrictamque tenent, juxta sententiam magicorum doctorum.

75. *Numero Deus impare gaudet.* Aut quemcumque superorum, juxta Pythagoreos; qui ternarium numerum perfectum summo Deo assignant, a quo initium, et medium, et finis est: aut revera Hecaten dicit, cujus triplex potestas esse perhibetur: unde est, *Tria Virginis ora Dianæ.* Quamvis omnium prope deorum potestas triplici signo ostendatur; at Jovis trifidum fulmen; Neptuni tridens; Plutonis canis triceps: Apollo, idem Sol, idem Liber, vel quod omnia ternario numero continentur, ut Parcæ, Furiæ, Hercules etiam trinoctio conceptus. Musæ ter ternæ, novem; et septem chordæ, septem planetæ, septem dies nominibus deorum, septem stellæ in Septemtrione, et multa his similia: impar numerus immortalis, quia dividi integer non potest; par numerus mortalis, quia dividi potest; licet Varro dicat Pythagoreos putare imparem numerum habere finem, parem esse infinitam; ideo medendi causa multarumque rerum impares numeros servari. *Serv.*

80. *Limus ut hic durescit.* Se de limo facit, Daphnidem de cera. Fecerat illa duas imagines; alteram ex limo, qui ex igne fit durior: alteram ex cera, quæ igne solvitur: ut videlicet mens amatoris ita duresceret ad illam, quam tunc amabat: omnesque alias, sicut ad ignem limus: et ad se ita molliretur et solveretur amore, ut cera ad ignem liquescit. — *Sic nostro Daphnis amore.* Durescat et liquescat; ut scilicet quam appetit desereus, me potius amet. *Serv.* — Hanc Servii sententiam confutavit Heynius, vol. I, pag. 188, nota 80: sed in seq. nota paginæ 189, Servium de *mola* consulendum suadet.

82. *Sparge molam.* Far et salem. Hoc nomen de sacris tractum est;

dis, nam istæ erant vice sacrificii: itaque sicut bos, agna, et sacra alia ante mactationem spargebantur mola salsa: sic vult, ut lauri urendæ eadem mola inspergantur: deinde jubet, ut lauros fragiles, id est, cum fragore, et crepitu sonantes, incendat, sed illitas bitumine, quo facilius concipiant ignem: huic incantationi additur forma verborum hæc: *Daphnis malus me urit, ego hanc laurum in Daphnide*, id est, contra Daphnidem: *malus* hic est, protervus, ac repugnans meis votis, nequedum victus his sacris.

85. Optat, ut Daphnis amet aliquam eo modo, quo bucula amare solet juvencum suum, quæ fessa taurum quærit; quæ per nemora et lucos errat; quæ amore perdita procumbit in herba viridi, juxta rivum aliquem, nec meminit decedere seræ nocti, id est, non primam solum noctem perfert, sed seram, in qua densæ jam tenebræ; neque illi aut cedit, aut decedit, adeo obstinate in herba hæret! ergo talis amor Daphnin teneat, nec mihi ulla sit cura illi medendi.

91. Aggreditur maga nonum aliud incantationis genus: vestes, quas hic exsuvias vocat, et cara pignora, Daphnidis grati olim, nunc perfidi infodit sub ipso limine, et terræ mandat, quod ubi factum est, ait, *debent hæc pignora Daphnin*, quasi ad eas exsuvias per occultam vim magicam Daphnis vel invitus devolvendus sit.

far enim pium, id est, mola casta, salsa (utrumque enim idem significat): ita fit: virgines Vestales tres maximæ ex nonis Maiis ad pridie Idus Maias, alternis diebus spicas adoreas in cornibus messuariis (l. corbibus messoriis) ponunt; easque spicas ipsæ virgines torrent, pinsunt, molunt, atque ita molitum condunt. Ex eo farre virgines ter in anno molam faciunt; Lupercalibus, Vestalibus, Idibus Septembribus, adjecto sale cocto, et sale duro. Igitur quod id sacris mola casta dicitur, ideo Virgilius in quinto Æneidis *farre pio* enuntiavit: quid enim est pium? nisi castum, quonium piare est propitiare, quod accidere non potest nisi caste inservitum erit rebus sacris. Hic autem dicendo *asperge molam*, rem ipsam proprio nomine memoravit, unde in secundo Æneidis, *et salsæ fruges*, et in quarto, *ipsam molam*. Serv.

89. *Nec sit mihi cura mederi.* Aut nolim ei magicis artibus subvenire: aut nolim cum ipso concumbere: ab utroque enim medicina amantibus venit, et mederi pro medendi.

92. *Pignora cara sui.* Proprie *sui*, non *sua*: nam sua pignora sunt, quæ quis de rebus suis dedit: sui pignora, quibus ipsemet pignori est. Officina autem magica efficacissime instruitur, si quid de corpore ejus habeant, in quem veneficium parant, quales sunt capilli:

95. Meminit supra verbenarum, has nunc commendat simul et venena: hæc commendatio procedit ab admiratione, qua stupet maga, se nihil proficere: est vero commendatio multiplex: a loco, nam lecta e Ponto, qui feracissimus venenorum: a persona dantis, nam dedit Mœris, qui inclytus in omni magia: ab effectis; hoc triplex, nam illis Mœris se in lupum convertebat, dabatque in sylvas; animæ e sepulcris excitabantur, et surgebant mortui; demum harum vi herbarum sata, et quæ jam radices egerant, alium in locum traducebantur: quibus effectis accedit fides ab ipsis oculis; ait enim maga, se tria hæc vidisse.

101. Aggreditur Daphnin fortissimo incantationis genere, ut qui nec tot carminibus victus esset, nec multiplici Numinum invocatione; est enim credibile inter incantandum sæpe vocatos Deos fuisse: itaque, qui nec Deos curat, nec carmina, expugnetur infestissime: sed quæ hæc expugnatio? quæ incantatio? combustæ jam erant igne verbenæ, thura, lauri, flores omnes; confusi cineres: hos jubetur Amaryllis foras ferre, jacere in rivum fluentem: sed diligenter admonetur, ut jaciat capite averso: et quia hoc extremum magni erat momenti, iterum idem præceptum inculcatur, hac forma, *ne respexeris.*

105. Dum jussa exequi moratur Amaryllis, omnia lætis ominibus arrident, itaque exclamat ipsa: aspice, hera, dum moror ferre cinerem foras, ex illo subito flamma emicuit, ac

ut videre licet apud Apuleium de Asino aureo: proxima autem vis est in vestibus. *Nan.*

97. *His ego sæpe lupum fieri.* Est enim opinio quosdam homines, artibus quibusdam in lupos mutari. De fabula luporum in homines conversorum, Plin. VIII, 22. Lycanthropia vero est morbus melancholicus, quo qui afficiuntur λυκάνθρωποι dicuntur: lupos enim imitantur, in quos se conversos putant: noctu exilientes, et ad diem usque inter sepulcra diversantes: eorum præpallet facies, sitibundi, etc. *Rhodig.*

99. *Atque satas alio vidi traducere messis.* Magicis quibusdam artibus hoc fiebat. Unde est in XII tabulis, *Neve alienam segetem pellexeris.* Quod et Varro, et multi scriptores fieri deprehensum animadvertunt. Sed explodendam, tanquam falsissimam, hanc opinionem, de frugibus transportandis, monet Senec. nat. quæst. IV, 7.

102. *Ne respexeris.* Nolunt enim se videri numina, nisi ex necessitate nimia. Unde pro miraculo dictum est, Æn. II, v. 591; *Alma parens, confessa deam.* Quod non faceret, nisi in periculo filii. *Serv.*

103. *Nihil ille deos, nil carmina curat.* Satis est, quod putat artem magicam nil valere. Quidam sic intelligunt, quamvis ille hæc omnia contemnat. *Serv.*

adeo nemine excitante ipse, sponte sua, altaria corripuit: bonum hoc sit omen, o hera : ego nihil scio ex his sacris; nam tantum sum tui ministra, sed certe magnum aliquid est, ignem ex mortuis cineribus illuxisse : audi et novam aliam conjecturam : Hylax canis Daphnidis latrat in limine ædium nostrarum : quid hac re certius? credimus Daphnin advenire? an vero qui amant sibi ipsi fingunt somnia? sed credimus, quare vos carmina parcite, id est, cessate; venit jam Daphnis ab urbe; adest; ecce illum.

106. *Sponte sua.* Sine igne subito ex ipsis cineribus flamma emersit. Hoc uxori Ciceronis dicitur contigisse : quum peracto sacrificio libare vellet in cinerem, ex ipso cinere flamma surrexit; quæ flamma eodem anno Consulem futurum ostendit ejus maritum; sicut Cicero in suo testatur poemate. — *Bonum sit.* Ampliorem reddit hanc formulam Cicero de divinat. I, 102 : *Majores nostri omnibus rebus agendis,* QVOD BONVM, FAVSTVM, FELIX, FORTVNATVMQVE ESSET, *præfabantur.* Idem docet Turneb. XIX, 27, plura Brisson. de form. lib. I.

107. *Nescio quid certe est.* Hoc non jungendum superiori, est enim aliud prodigium. — *In limine latrat.* In loco ubi amati vestes obruerat; canis enim latratus præ gaudio, domini demonstrat adventum. *Serv.*

108. *An, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt.* Sane qui suis votis blandiuntur, Græcis dicuntur ἑαυτοῖς ὀνειροπολεῖν, et *sua sibi conjectari somnia :* quod omnia in alimentum spei suæ rapiant. P. Syrus : « Amans quod suspicatur vigilans, somniat. » — *Qui amant.* Vocalis *i* non servat in metro quantitatem longam; nec patitur synalœphen; sed hiat et brevis fit.

ECLOGA NONA.

(Vide Argumentum generale, vol. I, pag. 192.)

MŒRIS.

ANALYSIS.

Aperit Mœris Lycidæ, quo statu sint agelli Virgiliani sub injusto possessore Ario, 1—6. Vix credit Lycidas. Persuadet Mœris; quin addit, vitam Virgilii fuisse in discrimine, 7—16. Miratur, et horret Lycidas potuisse tale facinus humana mente concipi. Laudantur quæpiam Virgilii carmina, primum ab Lycida, deinde ab Mœri, 17—29. Vult jam Lycidas audire versus ipsius Mœris; annuit hic; et quinque recitat, quos fecerat, 30—43. Adducit Lycidas Mœri in memoriam quinque alios, quos etiam Mœris recitat: deinde, ne dicat plures, fingit se præ senio memoria deseri, 44—55. Urget de novo Lycidas, multisque invitat, recusat Mœris; finis imponitur, 56—67.

EXPLICATIO.

1. Fingitur Mœris villicus Menalcæ, id est, Virgilii, festinabundus Mantuam ire; cujus ut festinationem vidit Lycidas, qui fortasse occurrit, ita rogat: o Mœri, quo te pedes ducunt? an in urbem Mantuam, quo via hæc ducit?

NOTÆ.

1. *Quo te, Mœri, pedes? An, quo via ducit, in urbem.* Hæc Ecloga dramatico charactere scripta est. Inducuntur enim duo pastores coeuntes in agro Mantuano: et hæc Ecloga continuum, ut Servius dicit, non habet carmen, sed de diversis locis Theocriti aliqua ad eam contulit. Sane hoc continet; Virgilius postquam pæne occisus est ab Ario centurione, Romam revertens, mandavit procuratoribus suis ut agros suos tuerentur, et ad præsens obsequerentur Ario. Ergo modo Mœris procurator ejus, secundum præceptum patroni, portat hœdos Mantuam, quos Ario offerat. Sequitur alter pastor, et eum,

2. Mœris occasione amici percontantis erumpit in querelas, quas hactenus cogitabundus premebat corde: rogas, an forte petam Mantuam; ego vero dico me, et herum meum Menalcam vivos pervenisse in eam calamitatem, quam veriti nunquam sumus; ut advena quidam, indignus qui nominetur, agelli nostri possessor sit, dicatque nobis: *mea hæc sunt, vos coloni veteres hinc migrate.*

5. Ecce nunc victi, et tristes, hoc scilicet sorti debemus versanti omnia, illi indigno possessori hos hœdos pro dono mittimus, quod donum male illi vertat: ut calamitatem suam amplificat Mœris! grave est, eo miseriæ pervenire, ut advena quispiam dicat, sua esse, quæ non sunt: gravius, proprium dominum cogi cedere ex agro suo: gravissimum, compelli, ut iniquo possessori det munera.

7. Respondet Lycidas: audieram ego aliter, nimirum vestrum Menalcam (Virgilium) suis carminibus servasse (recuperasse) agrum suum: ac tunc obiter Lycidas describit terminos agri Virgiliani, videlicet a clivo quopiam molli leniterque subducto ad aquam Mincii fluminis, et fagum, cui præ senio fracta cacumina.

11. Subdit Mœris: audieras, nam ita fama jactaverat, sed vana illa fuit: nam vide, o Lycida, quid possint columbæ contra aquilam, id scilicet nostra carmina contra hostes: ne-

quo pergat, interrogat: ille deflet suas miserias; et hinc jam variæ præstatur occasio cantilenæ. *Serv.* — *Urbem.* Mantuam: neglectis Grammaticis, quibus *Roma* tantum *Urbs* dicitur. *Taub.*

4. *Hæc mea sunt.* Alludit ad solemnem Vindicationis morem: de quo vide Not. Æn. X, 419: *Injecere manum Parcæ.* Plaut. Rud. IV, 3: *Hunc meum esse dico.* Ita qui servum vindicabat, injecta manu dicebat, HIC MEUS EST. Ovid. Am. I, IV, 40: *Et dicam, MEA sunt; injiciamque manus.* Consule Brisson. Formul. lib. V. *Taub.*

6. *Illi.* Ario centurioni. — *Quod nec bene vertat.* Quæ res in perniciem vertatur ejus; id est, malo omine hoc munus accipiat. Tractum autem hoc est ab Hectore et Ajace. Nam Hector dedit Ajaci gladium, quo se Ajax postea interemit. Hector vero baltheum accepit ab Ajace, quo circum patriæ muros tractus est. Postea inde et illud comicum natum est, *Dii bene vortant, quod agas.* Plerumque enim bona in pejus; mala mutantur in melius. *S.*

11. *Audieras; et fama fuit.* Benevolentiam quidem Augusti etiam fama vulgavit: sed eam belli Actiaci necessitas impedivit. — *Sed carmina tantum Nostra valent, Lycida, tela inter Martia.* Hoc etiam Cicero ait pro Milon. 10, *Silent enim leges inter arma.* Sensus tamen est, sed videlicet hoc tempore, id est, in hoc bello, poemata nostra non valde admittuntur. *Carmina* autem

que enim furor Martius permulcetur tam dulci blandimento, neque exaudiunt gladiorum sonitus tam suavem cantilenam.

14. Pergit Mœris, dicitque se ab sinistra cornice, quæ erat in ilice, admonitum, ut lites omnes, occasionesque litium cum milite Ario amputaret: cui nisi avi paruisset, futurum fuisse, ut nec ipse, nec Virgilius jam viverent; adeo impotenter ferus miles in rusticas opes pauperum involaverat!

17. Quum audisset Lycidas, quo in discrimine versata fuisset salus et vita Virgilii, erumpit in admirationem, cui adjungit doloris notam: heu, tantumne scelus humana mens concipit? heu, Virgili, pæne nobis rapte, atque una tecum solatia, et blandimenta tuorum carminum! quis, nisi tu, Maro, conderet, quæ in quinta Ecloga leguntur de Nymphis, de sparsis floribus, de umbra inducta fontibus.

21. Pergit Lycidas: vel quis, o Maro, nisi tu, faceret tria ea carmina, quæ tibi clanculum suffuratus nuper sum, quum ferres te ad Amaryllida, ubi deliciæ nostræ: recitat tria illa carmina, quæ abiens ad Amaryllidem Virgilius fecerat, quorum sententia est: ut Tityrus, dum ipse redeat, capellas pascat, pastas ad potum agat, caveat vero tunc ab occursatore, et feriente capro.

26. Recitat Mœris tria alia carmina, quæ Virgilius fecerat in laudem Vari, quam inchoavit, nec perfecit: quasi dicat: immo vero, o Lycida, quanto illa meliora, etiam si nondum perfecta! ferent, o Vare, ad cælum nomen tuum Mantuani Cycni, poetæ; modo salva sit, et incolumis Mantua, in quam redundavit clades vicinæ Cremonæ.

nonnulli, quibus sibi Pollionem intercessorem apud Augustum conciliaverat, accipiunt; quo fugato, rursus de prædiis suis fuerat Virgilius expulsus. *Serv.*

16. *Tuus Mœris.* Id est, Tuus amicus. — *Ipse Menalcas.* Pro Virgilio, qui dum agros suos defendit, pæne occisus est. *Serv.*

18. *Pæne simul tecum solatia rapta Menalca!* Cum suis enim solatiis periit poeta, qui necdum editis carminibus moritur. Virgilius autem illo tempore nondum aliquid scripserat: et dicendo *Solatia*, latenter tempora carpit Augusti, quibus carmina non oblectamento fuerant, sed solatio: quod infelicium esse consuevit.

28. *Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.* Bene ingemit Mantuanorum infelicitatem, quibus sola obfuit vicinitas Cremonensium. Nam Cassii, Bruti, et Antonii copias Cremonenses susceperant: quos etiam ipsos bene excusat, dicens *miseræ Cremonæ;* quæ etiam si vellet, minime tamen tantis copiis posset resistere. *Nimium* autem *vicina;* id est, usque ad pe-

30. Delectatus Lycidas carminibus, quæ audierat a Mœri, petit plura ut recitet, comprecans per illa, quæ Mœri esse possunt jucundissima: incipe, inquit, si quicquam habes, quod canas; sic apes tuæ non incidant in taxos Corsicas, quæ nocuæ sunt melli: sic vaccæ tuæ incidant in Cythisum, quo distentent ubera, nam ea herba proficiens est lacti: redit postea ad se, et reddit rationem, cur velit alienam Musam audire: nam ego quoque, inquit, poeta sum, et talem me pastores prædicant: sed ego illis non credo, quum nondum æquem aut Varum, aut Cinnam, optimos poetas, sed videar esse inter illos, qui veri sunt olores, merus anser.

37. Vult Mœris annuere votis Lycidæ, et ipse secum tacitus mentem volvit, donec revocat in memoriam versus quinque plenos omnis suavitatis, quos recitat. Theocritum imitatur longe superat. Primum hæc imitatio, *huc ades, o Galatea*, miro affectu valet; nomen *Galateæ* delicias spirat; hortatur pastor ad contemptum maris, proposita rerum terrestrium jucunditate: ad ornandum ver advocat colorem purpureum,

riculum. Nam ortis bellis civilibus inter Antonium et Augustum; Augustus victor, Cremonensium agros, quia pro Antonio senserant, dedit militibus suis; qui quum non suffecissent, his addidit agros Mantuanos: non propter civium culpam; sed propter vicinitatem. *Serv.*

30. *Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos.* Taxus venenata arbor est, quæ abundat in Corsica: hæc autem insula Græce Cyrne dicitur, a Cyrno Herculis filio. Unde fecit hanc derivationem *Cyrneas taxos*, id est, Corsicanas: quibus pastæ apes, mella amarissima faciunt. *S.*

33. *Me quoque dicunt Vatem pastores.* Magna verecundia suum meritum extenuat. Nec enim ait, probant, sed dicunt: nec docti, sed pastores: quibus tamen ipse non credo. *Serv.*

35. *Vario videor.* Varius poeta fuit: de hoc Hor. I; S. 10; 44: *Varius ducit* forte epos, ut nemo. Item I, Od. 6: *Scriberis Vario fortis, et hostium Victor.* Nam Varus dux fuit, cui supra blanditur; qui nonnulla carmina scripsit. Nonnulli sane Alfenum Varum volunt; qui licet jurisconsultus et successor Servii Sulpicii esset, etiam carmina aliqua composuisse dicitur; sed hoc, teste Horatio, falsum est, qui Varium poetam laudat. *Serv.*

39. *Huc ades, o Galatea.* Theocriti versus sunt, ἐξέλθοις γαλάτεια, καὶ ἐξελθοῦσα λάθοιο, quibus inducit Cyclopem usum, quum in scopulo sedens, amicam suam Galateam de fluctibus invitaret ad terras. Cyclops enim dicitur Nympham amasse Galateam; quæ quum Acin quemdam pastorem amaret, et Polyphemum sperneret, ille iratus Acin necavit: qui postea Galateæ miseratione in fontem mutatus est: qui hodieque ab Acine, Acinius dicitur, ab illius nominis derivatione. Vide Theocrit. Idyll. XI, 43 — 62.

omnium principem : fundit flores circa fluminum ripas; excitat populum candidam et antro imminentem; spargit densa umbracula intextis vitibus et pensilibus pergulis. Itaque a floribus jucundis, ad ingentem et speciosam arborem; ab opaco antri frigore ad vitem fructiferam ducit Galateam. Atque iterum invitans; *huc ades*, deterret a ludendo per maria, fluctibus adversum litora collisis et insanientibus. Si Græca contuleris, quantum Marone inferiora invenies!

44. Non satiatur Lycidas audiendo Mœrin, imo inescatus dulcedine suavissimorum carminum, quæ audivit, pergit hunc in modum : optima sunt quæ recitasti, sed quid dicam, qualia illa sunt, quæ te ego canentem, solum audieram nocte quapiam serena, et innubi? memini certe rhythmos, et cantum; verba exciderunt.

46. Recitat Mœris quinque carmina, quæ petit Lycidas : continent illa divinitatem Julii Cæsaris conversi in sidus : fingit vero Mœris se loqui cum Daphnide : quid o Daphni, mirabundus suspicis antiquos ortus siderum! ecce tibi astrum aliud lucentissimum Julii, qui Veneris altissimum sanguinem trahit : est hic conversus in sidus multo commodo terrarum, ut illo oriente segetes suis fructibus maturescerent, uva tumesceret, et colorem duceret : quamobrem, Daphni, tuto pyros insere; tui enim nepotes fructus carpent : sed vide qua majestate loquatur de Cæsare : *astrum* nominat, non stellam, nam illud sublimius : dat illi verbum *procedo*, quod Deorum est, uti *incedo :* signat elegantissime menses Julium, et Septembrem a frugum, et uvarum maturitate; quasi horum mensium, qui lætissimi sunt sua ubertate, fertilitas tota ex Cæsariana stella proveniret : innuit denique extremo versu sempiternam pacem futuram dono sideris Juliani, ut credat Daphnis, se non bellorum civilium turbine abripiendum, sed habiturum filios ac nepotes, qui possint perfrui fructibus arborum ab se satarum : quasi hoc sidus secum allaturum sit pacem, non clades bellorum.

46. *Daphni, quid antiquos.* Pro antiquorum. Non opus est, dicit, ad arandum, serendum, metendum, observare posthac veteres illos et consuetos ortus atque obitus siderum : sufficit pro illis omnibus, una stella Julii Cæsaris : nec opus est, ut alia imploremus numina, præter numen faustum et propitium Augusti, sub quo procedunt nobis omnia felicissime. Quum Augustus Cæsar patri ludos funebres celebraret, die medio stella apparuit : ille eam confirmavit parentis sui esse. Unde sunt versus isti compositi.

51. Fingit Mœris sibi nihil amplius memoriam suppeditare, cui etiam sua est senecta, ut reliquis mortalium rebus: ergo ait: ætas omnia atterit, memoriam quoque: memini, puer quum essem, me æstivos etiam dies, qui longi sunt, cantandis carminibus consumsisse: exciderunt jam tot carmina; memoria me deserit, quin vox ipsa: forsitan me lupi viderunt priores, quando loqui non possum: sed nihil refert, me jam loqui non posse, satis hæc sunt, veniet divinus vates Virgilius, qui hæc tibi, et sæpe, referat.

56. Confugerat Mœris ad memoriæ fragilitatem, ne diceret versus plures: non admittit excusationem Lycidas, neque credit, urgetque hunc in modum: tu, caussas excusationesque afferendo, incendis producisque studium et desiderium tui audiendi.

57. Invitat deinde ab opportunitate silentii, quum nihil obstrepat, quominus audiatur Mœris; non mare; aut auræ.

59. Deinde sic urget: media jam via peracta est (hoc colligit ex sepulcro Bianoris incipiente jam apparere) restat media altera, ad quam peragendam necessarium est solatium aliquod carminis: ergo sedeamus hic, et canamus hic, ubi media est via, ubi densæ frondes, quas et hinc agricolæ decerpunt, ad ornandam sepulturam Bianoris: tuto hic hœdos depone: licet enim deponas, quiescasque paululum, locus tamen erit adventandi in urbem. *Objicis:* non possumus quiescere, ne tarde euntes nox occupet, et simul pluviæ: do hoc tibi; ergo eamus, dum modo continuo cantantes, sic enim

53. *Nunc oblita.* Aut omissa, vel figurate, quorum ego oblitus sum: et ostendit Mœrin nullum suum; sed omnia Menalcæ carmina retulisse. Non uno ostendi potest exemplo activa deponentia crebro sumi passive: Cic. de Off. I, 139: *O domus antiqua, heu, quam dispari dominare domino.*

54. *Lupi Mœrim videre priores.* Hoc etiam Physici confirmant: quod vox detrahitur ei, quem primum viderit lupus. Unde etiam proverbium hoc natum est, *Lupus est in fabula:* quotiens supervenit ille de quo loquimur, et nobis sui præsentia amputat facultatem loquendi. Theocr. Idyll. XIV, 22: Οὐ φθεγξῇ; λύκον εἶδες. Plin. VIII, 22: *Sed in Italia quoque creditur luporum visus esse noxius: vocemque homini quem priores contemplentur, adimere ad præsens.* Tritum nimis est, quam ut Plautinum illud illustretur, Stich. IV, 1, 71: *Lupus est in sermone.*

57. *Tibi silet æquor.* In tuam gratiam. Et hoc dicit; ut possis canere; cuncta siluerunt. *Serv.*

63. *Nox pluviam ne colligat ante, veremur.* Aer enim aut cum ortu Solis, aut cum occasu mutatur frequenter: quod Æneide etiam sæpius indicatur. *Serv.*

nos via minus lædet : est enim hic *licet* idem quod dummodo : et *usque* idem quod, continenter, perpetuo, jugiter : pergit pastor, solvitque aliam objectionem, quin, si fessus es hoc onere hœdorum, ego te illo levabo, dummodo eamus cantantes.

66. Desine, Lycida, petere plura carmina, et agamus id negotii, quod nunc instat, quodque est sub manus; id est, viam conficiamus, hœdos portemus possessori iniquo : quum vero Virgilius venerit, tum melius, atque tutius canemus, metu liberi, possessionibus recuperatis.

63. *Nox pluviam ne colligat ante, veremur.* Aer enim, aut cum ortu Solis, aut cum occasu mutatur frequenter : quod Æneide etiam sæpius indicatur. *Serv.*

64. *Usque eamus.* Jugiter eamus, sed *Cantantes* : ita enim minorem itineris sentiemus laborem. *Serv.*

65. *Cantantes ut eamus.* Cantando quomodo tempus fallatur, multis exemplis enarrat Ovid. Trist. IV, 1. — *Hoc te fasce levabo.* Si cantantes ierimus, hœdorum te onere ipse relevabo. Nam fascem ait onus : sic Ge. III, 347 : *Injusto sub fasce viam quum carpit.* Serv.

66. *Desine plura puer.* Ac si diceret, nimii desiderii es : desine plura dicere. — Blanda objurgatio, quum quis quasi puer ineptire videtur, et nimis acriter in re levi instat. — *Quod nunc instat, agamus.* Nos Centurionem placemus : nam cantare otiosorum est. *Serv.*

67. *Quum venerit ipse.* Menalcas, id est, Virgilius, cujus adventu sperabat securitatem : sed non Augustus, qui Actiacis bellis fuerat occupatus; ut male judicavit in suis notis Servius.

ECLOGA DECIMA.

(Vide Argumentum generale, vol. I, p. 202.)

GALLUS[1].

ANALYSIS.

Invocat Arethusam, cui, ut adveniat, blanditias dicit, 1—8. Queritur, Nymphas non venisse ad fletum Galli, quum illum fleverint arbores, montes, oves, 9—18. Addit, pastores, et Deos quoque accessisse ad mœrentem Gallum: illos admirabundos, istos objurgatorios, 19—30. Convertit se Gallus ad pastores, quibus res suas canendas committit: optat illorum cantus, vitam, amores, 31—41. Invitat ad amœnitatem pastoralis vitæ Lycoridem, quam dolet versari in Alpibus, ubi immania frigora, 42—49. Quærit Gallus dolori suo remedium triplex, et concludit cedendum esse amori, 50—69. Absolvitur Ecloga cum commendatione amoris erga Gallum, 70—77.

(1) Hic est Caius Asinius Gallus orator, Asinii Pollionis filius, qui ante omnes primus Ægypti præfectus, fuit eximius poeta: nam et Euphorionem (ut supra diximus) transtulit in latinum sermonem, et amorum suorum de Cytheride libros scripsit quatuor. Hic primum in amicis Augusti Cæsaris fuit: postea quum venisset in suspicionem, quod contra eum conjuraret, occisus est. Fuit autem amicus Virgilii; adeo ut quartus Georgicorum a medio usque ad finem ejus laudes teneret; quas postea jubente Augusto, in Aristæi fabulam commutavit. Hic autem Gallus amavit Cytheridem meretricem libertam Volumnii, quæ, eo spreto, euntem Antonium ad Gallias est secuta: propter quod dolorem Galli nunc videtur consolari Virgilius. Nec nos debet movere, quod quum mutaverit partem quarti Georgicorum, hanc eclogam sic reliquit. Nam licet consoletur in ea Gallum, tamen altius intuenti vituperatio est; nam et in Gallo impatientia turpis amoris ostenditur: et aperte hic Antonius carpitur inimicus Augusti, quem, contra Romanum morem, Cytheris est in castra comitata. *Serv.* — De Gallo vide Vol. I, p. 203 et 221.

EXPLICATIO.

1. Petit Virgilius ab Arethusa, quæ Nympha, et fons Siciliæ, ut aspiret ad extremam hanc Eclogam, in qua dicenda paucula carmina in gratiam Galli : cur de hac re Eclogam condat, ratio est duplex, ut hinc Lycoris habeat reprehensionem, hinc Gallus solatium : prima ratio latet in illis, *sed quæ legat ipsa Lycoris :* ut legat illa vulnus, quod indigne attulit repulsa sua tam bono amatori : altera in illis ; *neget quis carmina Gallo?* id est, quis neget hoc solatiolum Gallo? ergo, fave Arethusa, ut Gallum consoler, ut Lycorin reprehendam.

4. Concede mihi extremum hunc laborem, sic accidat, quod optatissimum est, ut videlicet, labenti tibi subtus mare Doris amara non misceatur : ad signandum mare *Doridem* dixit, alludens ad Nympham Arethusam : alius poeta diceret : o Arethusa, non se tibi mare salsum misceat : quanto melius; non se Doris misceat Arethusæ, non Dea maris Nymphæ Siciliæ : ergo incipe, o Arethusa, ut ego, et tu una mecum, dicamus amores Galli, quibus tam anxie vexatus est : adest opportunitas inspirandi mihi : nunc enim mihi est otium a cura capellarum, quia nunc pascuntur. Posset quis objicere : nemo te audiet, versus perdes, jactabis carmina inani studio sylvis et montibus : solvit hoc : non, inquit, o Nympha, canimus surdis; sylvæ istæ et nemora, amorem Galli miserantes respondent, reddunt omnia quæ dicimus; Echo remittente voces.

NOTÆ.

1. *Extremum laborem.* Non quod mihi laboriosum est (nam scribere, apud poetas ludus est; ut, *et ipsum Ludere quæ vellem calamo permisit agresti*) sed rem tibi laboriosam, scilicet ut Nympha virginitate gaudens, præstes de amoribus cantilenam. Unde et rogat dicens, *Concede.* Et verecunde pauca postulat, et eam adjurat etiam. Invocatio cum Propositione. Et *extremum laborem* vocat, ultimi carminis Bucolici poema. Ita Hercules apud Propert. IV, IX, 17: *nostræ labor ultime clavæ.* Postremum autem hoc Bucolicum fuit, scil. scriptione; sed tempore prius Bucolico quinto, in quo cædes Cæsaris defletur.

2. *Ipsa.* Quæ amata sprevit amorem. — *Lycoris.* Pro Cytheris; licet enim poetis alia nomina pro aliis ponere. De Galli amoribus hi versus increbuerant : « Gallus et Hesperiis, et Gallus notus Eois, Et sua cum Gallo nota Lycoris erit. » Nobilis satis fuit meretrix. Ovid. de arte am. III, 537 : « Vesper et Eoæ novere Lycorida terræ. »

7. *Simæ.* Græcum est nomen : id est pressis naribus. Unde et simias

9. Queritur admirabundus, Naiades tunc non repertas neque in alienis, neque in propriis locis, ut Gallum solarentur amore indigno, id est, magnò, atque nimio pereuntem: non in alienis; nam neque in Parnasso, neque in Pindo: non in propriis; quia non in Aganippe, qui fons in Aonia, scilicet in Bœotia, celeberrimus fuit Nympharum concursu.

13. Admiratus fuerat Nymphas non venisse ad sólatium et fletum Galli; crescit ea admiratio ex fletu arborum, montium, ovium: perinde ac si dicat; vos non flevistis, Nymphæ, quum fleverint arbores, lauri, ac myricæ; quum fleverint montes, Mænalus, et Lycæus; quum fleverint oves, quæ miserum Gallum circumstabant.

16. Dicit oves pabulo abstinuisse, et flentes stetisse circum Gallum, quem hortatur ne pœniteat ovium, et pecoris, et hoc duplici ratione: prior; nam neque oves pœnitet flere amores

dicimus: quod epitheton Theocritus dat præcipue apibus. Vide Plin. XI, 37: *Et altior homini tantum, quem novi mores subdolæ irrisoni dicavere, nasus. Non alii animalium nares eminent. Avibus, serpentibus, piscibus foramina tantum ad olfactum, sine naribus. Et hinc cognomina Simorum, Silonum.*

10. *Indigno.* Vel meretricio, vel magno. Nam et Ennius ait, *Indignas turres*, id est, magnas. Alii *indigno*, non quia Cytheris pulchra non fuerit, sed quia Gallus ab ea spretus sit. *Serv.*

11. *Nam neque Parnasi vobis juga, nam n. P.* Parnasus mons Bœotiæ, Pindus Thessaliæ, ambo Apollini et Musis consecrati. Quamvis Παρνασσος duplici σσ apud Græcos scribatur, antiqua tamen omnia exemplaria *Parnasi* legunt unico *s*, quod nemo mirabitur, si legitur apud Vel. Longum: Veteres neque in his; *fuisse*, *ivisse*, *abesse*, et similibus, *ss* geminasse; adeo putabant eam literam, vel unicam satis per se sonare. *Parnassum* per duplex *ss* mavult scribi Dausquius; quem adi, si penitius hanc disputationem percipere sit lubitum.

13. *Illum etiam lauri, etiam flevere myricæ.* In Rom. codice legitur: *Illum etiam lauri, illum flevere.* In Longobardico una plus dictione plenior versus est: *Illum etiam lauri, illum etiam flevere myricæ*, idque ter repetitum *cum pinifer illum etiam* majorem habere movendi vehementiam videtur: quamvis non displiceat, *Illum etiam lauri, etiam flevere*, quod ea exilitas propria sit, et Bucolici characteris, et personæ miserabiliter aliquid deplorantis. *Pier.*

16. *Stant et oves circum.* Hunc versum et duos sequentes retraxit post octavum in sua versione Dorica Josephus Scaliger; et plures alii probaverunt audacem hanc trajectionem, cujus causam refellere conabimur infra, p. 341; nam si ad arbitrium suum refingere veterum scripta licuerit, quis finis erroribus, quis tandem calumniis erit modus?

Galli: quo loci illud *nostri* hanc habet significationem: non pœnitet illas neque tui, neque mei; tui flentis tuos amores; mei canentis amores tuos: posterior; nam Adonis, qui formosus, et carus Veneri, oves quoque pavit.

19. Post fletum arborum, montium, ovium, accedunt ad solatium, et lacrymas Galli, triplicis generis pastores, ovium, boum, capellarum: hos comprehendit duobus primis versibus: nam Opilio dictus, quasi ovilio: deinde bubulci, et hi tardi a tarditate boum: postremo Menalcas uvidus, a rore nocturno et matutino, et pinguis ab glande hyberna; quibus verbis signatur fuisse caprarius: nam capræ perlibenter querceta amant, et arrodunt; et credibile est pastorem eodem quoque cibo usum: ait vero, hos simul omnes rogare ab Gallo, unde is amor natus, tam novus, tam insolens.

21. Post triplex genus pastorum, accedunt quoque ad lacrymas Galli, Dii tres, Apollo, Sylvanus, Pan: omnes aut Dii rusticorum, aut certe ipsi Dii rustici: primus insaniam objicit, et vere; quoniam Lycoris, inquit, quæ olim tua fuit cura, ita te contemsit, ut etiam mala omnia tuis deliciis præposuerit, malueritque sequi Antonium vel per Galliæ nives, et castra horrida; tu ergo insanus, qui hanc ames: alter Sylvanus nihil loquitur, tantum ejus habitus describitur ex triplici circumstantia: nam venit cum agresti honore capitis, id est, cum corona ex agrestibus frondibus; manu una ferulas, altera lilia quatiebat: postremus Pan Deus Arcadiæ: hujus non habitus solum, sed verba exprimuntur, quibus usus ad Gallum: habitus, nam erat rubens baccis sanguineis, id est, purpurascentibus moris ebuli, atque etiam minio; verba plena sunt acerbitatis: quis, inquit, erit modus tuis lacrymis, non curat hæc amor: non satiatur lacrymis, nam crudelis; sicuti

18. *Formosus Adonis.* Adonis διὰ τὸ κάλλος a Venere adamatus, post per apri ictum exstinctus. Filius fuit Myrrhæ, quæ gravida ex Cynara patre, ejusque vim fugiens in silva se abdidisse fertur; et mutata dicitur in arborem ejus nominis.

21. *Unde amor iste.* Id est, tam impatiens, tam turpis. Alii sic intelligunt *unde*, quod non dignus illo a quo fastidiebatur. *Serv.*

22. *Galle, quid insanis.* Vult spem amoris desperatione sanare.—*Tua cura Lycoris.* Pæne irrisorie dictum est *tua cura*, id est, pro qua tu ita sollicitus es, te relinquit. Et bene quum alii interrogent, quasi deus Apollo divinat. *Serv.*

27. *Minio.* Pan non solum dicitur habere faciem miniatam, sed cornua, apud Sil. Ital. lib. XIII. De minio sic Plin. XXXIII, 7: *Invenitur in argentariis metallis minium, et nunc inter pigmenta mag-*

neque herbacea satiantur rivis, neque apes cythiso, nec capellæ fronde; ubi triplici comparatione, quod vult, efficit: itaque ex tribus Diis, primi sermo describitur; alterius habitus; tertii et sermo, et habitus.

31. Advenerant pastores, advenerant Dii; illi admirantes insolentem amorem Galli, isti objurgantes: fingit igitur amœnissime poeta, Gallum veluti aversum a Diis increpatoribus, totum se ad pastores convertisse, quia isti non in se acerbi fuerant: ergo ait Gallus, o vos pastores Arcades, amores meos cantabitis in Mænalo, in Lycæo, vestris montibus: cur his tantum amores suos canendos permittit? quia soli Arcades periti cantus.

33. Quo melius illos alliciat, vult jam ipse illorum quoque amores canere vicem persolvens: perinde ac si dicat: vos cantabitis meos amores; ego felix essem, et jucunde morerer, si vestros canerem.

35. Parum ei est visum, velle amores Arcadum canere; vult jam a se, a suo genere, a Romano cive degenerare propter amorem Arcadum: vult esse pastor cum illis, gregum custos, uvarum vinitor.

37. Fingit esse quod optaverat: nimirum, unum e pastoribus Arcadum: hac supposita fictione narrat, quam amicam, quem amasium habiturus esset; qualiter cum illis vitam agitaturus: itaque ait: certe tunc, sive Phyllis mihi esset amica, sive Amyntas amasius, seu quicunque alius furor, id est, amor;

næ auctoritatis, et quondam apud Romanos non solum maximæ, sed etiam sacræ; ubi plura. Non tantum miniata fuit Deorum facies, sed et tituli, et librorum inscriptiones minio pingebantur. Ovid. Trist. I, I, 7: « Nec titulus minio, nec cedro charta notetur. »

31. *Tristis at ille, tamen.* Alii *tamen* superioribus jungunt: sed melius, ut sic legamus, *Tamen cantabitis:* ut sit sensus, Licet ego duro amore consumar, tamen erit solatium, quia meus amor erit vestra cantilena quandoque. Videtur enim neque objurgationes, neque consolationes recipere obstinate moriturus; nihil enim ad dicta ab eis respondet. *Serv.*

34. *Ossa quiescant.* Hinc confirmat se esse moriturum. — Simile est quod sepulcris inscribebatur, *sit tibi terra levis,* his literis majusculis S. T T. L. Quod ad verbum pæne interdum poetæ usurpant. Ovid.: « Ascaniusque suos feliciter impleat annos, Et patris Anchisæ molliter ossa cubent. »

36. *Aut custos gregis, aut maturæ vinitor uvæ.* Ac si diceret, quid mihi cum urbibus, ubi meretrices tam pulchræ sunt, quam perfidæ? Vinitor autem, vel pastos, vel cultor vinearum. *Serv.*

nemo horum me fugeret, ut nunc Lycoris, sed una mecum jaceret inter salices sub vite : quin Phyllis serta mihi legeret, Amyntas caneret, amori meo gratificantes : explico parenthesin : nominavit Gallus Amyntam; is nigellus quum esset, fucum sibi facit Gallus, hac ratione : quid si Amyntas amasius tuus sit, qui fuscus est? nihil id mea; amabo illum; gratus erit : nam violæ nigræ sunt, vaccinia nigra sunt, et tamen grata : sic color Amyntæ plenus venustatis : an non pulcher sit, etiam si fuscus? hic vaccinia sunt hyacinthi. (Recurre ad illud, 2, Eclogæ, *vaccinia nigra leguntur* : vol. I, p. 93.)

42. Redit ad insaniam, qui jam Phyllide, aut Amynta contentum se fore dixerat : nam hoc est amatorum ingenium : invitat itaque Lycorim a fontibus, qui gelidi : a pratis, quæ mollia : a nemore; ubi, si quum ipsa sit, consenescat, nec mutet sedes ante mortem.

44. Nihil magis contrarium fontibus, pratis, nemori, quam Martis arma, tela, hostes : illa enim plena sunt amœnitatis, ista horroris : vere insanus est amor, vere mentes commutat; nam quum muliercula tam mollibus deliciis indulgere posset, Gallum efficiendo beatissimum inter fontes, prata et nemora, maluit in exercitu, in castris, in præliis inter vulnera et cruorem versari, alium amatorem sequendo. O flagrantem amoris insaniam!

46. Qui proposuerat Lycoridi amœnitates vitæ rusticæ, ut invitaret; jam, ut deterreat proponit incommoda, quæ eadem in bello Antonii patitur; quum procul sit a patria : hæc duo sunt; nives, non quæcunque, sed Alpium; frigora, non quæcunque, sed Rheni : tu ergo *dura* es, et ipsas Alpes superans

38. *Seu quicumque furor.* Omnis enim amor plenus furoris est. — *Quid tum si fuscus Amyntas?* Quasi ei objectum sit, quod Amyntas fuscus esset, sic respondit : Quid deinde si fuscus est? non ideo deformis; nam et violæ et vaccinia, nigricantes flores, venusti habentur. Propert. II, XIX, 77 : « Vidisti pleno teneram candore puellam; Vidisti fusco: dulcis uterque color. »

40. *Mecum inter salices.* Videlicet, alteruter, vel quisquis ille, vel illa fuerit. *Serv*

42. *Hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori.* Ac si diceret, quid te juvat inter frigora Gallicana demorari? et quum optasset aliud, iterum ad amatum rediit. *Serv.*

45. *Tela inter media, atque adversos detinet hostis.* Ex affectu amantis ibi se esse putat, ubi amica est : ut *Me*, sit meum animum. Non ubi vivunt, sed ubi amant, amore insano qui conficiuntur, et vigilantes, et somniantes, agere dicuntur. De hac Servii sententia vide Vol. I, p. 209 et 210, Not. et Var. Lect.

47. *Ah dura.* Quæ me tam fide-

duritate, quæ *sine me sola* esse potes inter has nives, inter hæc frigora: deinde cum magno affectu recurrit ad mala eadem: ah, ne te lædant Rheni frigora; ah, ne glacies Alpium, quæ aspera est, secet plantas tuas, quæ teneræ.

50. Superior pars Eclogæ continuit lacrymas Galli, et amorem ejus miserandum: jam hic vult emergere ex tantis incommodis, et sibi solatium quærere, idque per versus duodecim: hoc solatium ad triplex caput reducit: ad versus, quorum cantilena dolori suo lenimen quæret: hos, inquit, canam stylo Theocriti pastoris Siculi, nam ego illos Latinos feci ex Græco Euphorione Chalcidensi: ad domicilium quod deinceps habiturus est in sylvis inter spelæa, id est, loca ferarum, ubi amores suos scribet in arboribus: ad lustrationem montium, erra-tionem, et venatum: nam una cum Nymphis montem Mænalum collustrabit, venabitur apros, nulla illum amore ardentem frigora impedient, quominus eam partem Arcadiæ, quæ frigidior est in monte Parthenio, suis canibus circumdet: in hac tertia voluptate diutius persistit, et sibi videtur ire per rupes, per lucos agitatione arborum sonantes, sagittas torquere, tanquam hæc res medelam allatura sit furiis amoris, quibus æstuat; aut tanquam Deus ille, malus et improbus Cupido, mitescere aliquando possit malis mortalium.

lem spernis, et Gallicana potes frigora sustinere! — *Alpinas nives.* Non mirum *Alpes* esse *infames frigoribus*, ut Livius XXI, 31: vel *gelidas* dici, ut Lucanus I, 183: nam in iis videas *nives cælo prope immistas*, ut Livius XXI, 32:

48. *Me sine sola vides.* Hinc est, *Sola domo mœret vacua;* nam meretrix sola esse non potest. — *Ah te ne frigora lædant.* Inconstantem animum expressit, miserantem et optantem. *Serv.*

50. *Ibo, et Chalcidio quæ sunt mihi condita versu Carmina, etc.* Eubœa insula est, in qua est Chalcis civitas: de qua fuit Euphorion, quem transtulit Gallus.

53. *Incidere amores Arboribus.* Amatoria levitas, perscribere nomina amorum: quæ ut quondam in urbibus ad parietes exarabantur, sic in agris incidebantur in cortices et stipites arborum. Vide notas Ovidii, Tom. I, p. 101 nostræ Editionis.

55. *Mixtis lustrabo Mœnala Nymphis.* Ὑπαλλαγή, pro immixtus Nymphis; multis enim unus miscetur. *S.*

59. *Partho Cydonia.* Luxuriosa magnificentia: siquidem ad arma unius sagittarii instruenda, diversarum gentium artificia contraxit. Æn. XII, 858: «Parthus sive Cydon telum immedicabile torsit.» *Cydonia* autem *spicula* sunt Cretica. Nam Creticæ arundines inprimis idoneæ ad jacula et sagittas habitæ.

60. *Tanquam hæc sit nostri medicina laboris.* Jam quasi ad se recurrit: et illud quod supra audiit, respicit, *Amor non talia curat. S.*

62. Quis non miretur hunc tam perplexum, et varium amatorem? ecce jam recantat, quæ nuper placuerant: tria hæc erant, carmina, sylvæ, erratio per montes: ergo ait: non placent jam sylvæ, nec Nymphæ sylvarum Hamadryades; non carmina: hactenus recantavit res duas: in re tertia, id est, erratione per montes, insumit quoque plures versus, ut supra etiam in eadem amplectenda: ait itaque: non illum malum, et improbum cupidinem, mutare possunt labores nostri, etiam si perlustremus, non dico Arcadiam, quæ temperatior pars; sed intemperantissimas regiones atque summe inter se distantes; Thraciam ad septemtrionem, quæ frigidissima; Æthiopiam ad meridiem, quæ calidissima est: illam signat per Hebrum amnem gelidissimum, per Sithonias nives; hanc per arentes arbores, per sidus cancri ignes ejaculantis: inde colligit Amore tandem vinci omnia, et parendum Amori.

70. Orsus hujus Eclogæ fuit ab Arethusa, et cœtu Naiadum: desinit in Pierides, cum quibus loquens, ait: satis esse, si hæc luserit, sedens præsertim, occupatusque in texenda fiscella ex hibisco, quo innuit tenuem stylum Bucolicorum: petit vero, ut quæ ipse minima fecit in gratiam Galli, Musæ faciant maxima, id est, honorem dent et dignitatem his quæ ipse fecit: reddit rationem, quare hoc optet, quia Gallum amet in dies atque in dies magis, imo in horas pæne singulas: quod ornat comparatione alni crescentis attollentisque se initio veris, ac sese in omnem partem ramorum foliorumque viriditate diffundentis.

63. *Ipsæ rursus concedite silvæ.* Propter illud, *jam mihi per rupes videor, lucosque sonantis Ire.* Concedite vero hic, abite; supra aliter, *concede laborem.* Serv.

65. *Nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus.* Manifestius hoc dicit, amore se carere non posse: nec si Hebrum Thraciæ fluvium mediis frigoribus bibat: nec si æstibus nimiis fuerit in ardenti provincia. Dicit autem hoc secundum Physicos, qui morbos, aut a contrariis, aut a similibus asserunt posse depelli. — *Bibamus.* Id est, apud Hebrum vivamus, sedes habeamus. Sic Virgilius Æneidos septimo: *Qui Tybrim, Fabarimque bibunt.*

68. *Versemus.* Pascamus, quoniam qui pascit, huc et illuc agit pecus; quod est versare, ut est in Æn. XII, 664: *tu currum deserto in gramine versas;* aut exerceamus et tractemus, ut in undec. Æn. 704: *Consilio versare dolos ingressus;* et item in sec. Æn. *Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.* Serv.

69. *Omnia vincit Amor, et nos cedamus Amori.* Cuivis enim facilius quam amori repugnatur. Amor suis legibus et Deos habet obnoxios, ut Ovid. Heroid. ep. IV, 12:

75. Præmisit, se sedendo texuisse hoc carmen, ideo nunc ait, *surgamus;* quia noctis umbra gravis est, et nocua cantantibus : adeo hoc verum, inquit, ut vel umbra etiam juniperi, quæ grata alioquin, et amœna, gravis sit, si in ea sit cunctatio : imo in universum umbræ frugibus nocent : mox se ad capellas convertens, ait, domum ut cant, tum quia jam saturæ, tum quia apparet Hesperus.

« Quicquid Amor jussit, non est contemnere tutum : Regnat, et in dominos jus habet ille Deos. » *Domina Venus,* ut Petronius, nec regibus, nec principibus parcit.

75. *Surgamus : solet esse gravis cantantibus umbra. Juniperi gravis umbra; nocent et frugibus umbræ.* In codicibus aliquot antiquis totus ille versus, *Juniperi gravis umbra; nocent et frugibus umbræ;* desideratur. Sed enim et numerus ipse, et figura, et repetitio, collectioque pastoralis adeo videtur, ut non sine invidia demi possit. *Pier.* — De gravitate umbræ juniperi, et an noxia sit, varie disputatum est. Sunt etiam qui legant *Cunctantibus,* pro *cantantibus,* et talem inde sensum eliciunt : Surgendum a cantu; quod umbra adventantis noctis gravis sit, atque adeo etiam juniperi. quæ alioqui grata; si ergo in noctem sub ea cuncteris, etc. De his vide Notam et Var. Lect. Tom. I, p. 213.

77. *Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.* Verecunde se capellarum dicit esse pastorem, id est, vilissimorum animalium; nam Bucolica scribens, debuit se dicere, boum esse pastorem : sed vitans arrogantiam, ultimum se voluit esse, non principem in scribendis Bucolicis : quamvis alii dicant, ideo eum etiam capellarum se memorasse pastorem, quod apud nonnullos de capris propter abundantiam lactis vel fætuum, major fructus putetur; ut ipse ait, *Densior hinc soboles, hinc largi copia lactis.* Et item, *Quo minor est illis curæ mortalis egestas.* Serv. — *Hesperus.* Ἕσπερος, qui Latine *Vesper;* Catullo *Noctifer,* LXI, v. 7; Plauto etiam *Nocturnus,* item *Vesperugo* dictus Amphitruone, act. I, scen. I, v. 116, et 119.

ECLOGA DECIMA

GRÆCIS VERSIBUS DORICE REDDITA

A JOSEPHO SCALIGERO,

LUGDUNI BATAVORUM, ANNO 1600.

ΥΣΤΑΤΙΟΝ χαρίσαιο πόνον μοι τόνδ' Ἀρέθοισα.
Παῦρά τιν' ἀείδωμες (ἀναγνοίη δὲ Λυκωρὶς)
Γάλλῳ ἐμῷ. Τίς κεν Γάλλῳ φθονέσειεν ἀοιδᾶς;
Οὕτω Σικελίδος σοὶ ὑπερχομένᾳ βυθὸν ἅλμας
Μή ποτε συμμίσγοι ἰὰ κύματα Δωρὶς ἀδευκής.
Εἴπωμες, φέρε, Γάλλω ἀμηχανίοντας ἔρωτας,
Σιμαὶ ἴως Θαμνῶνος ἀποτρώγοισι χίμαιραι.
Ἄδομες οὐ κωφοῖς· ἄδουσι γὰρ ἅλσος ἐπαχεῖ.
Μᾶλα πέριξ ἔσακε, καὶ ἡμέας οὔ τοι ἀτύχθη·
Οὔ τι τὺ, θέσπι ἀοιδέ, τὸ ποιμνίον αὐτὸς ἀτύζευ·
Καὶ γὰρ ὁ καλὸς Ἄδωνις ἐφ' ὕδασι μᾶλα νομεύει.
Εἶποιτ' ἄν, τί νέμος σκιερὸν, τίνα τέμπεα, κῶραι
Ναΐδες, ἔσχ' ὑμᾶς, ὅκα τάκετο Γάλλος ἔρωτι;
Οὔτε τὸ Παρνασσοῖο γὰρ ὑμέας, οὔτε τὸ Πίνδω
Αἰπὺ κλέτας κατέρυκ', οὔτ' Ἀονία Ἀγανίππα.
Αὐταί μιν κλαύσαντο θάφναι, κλαύσαντο μυρῖκαι·
Μαίναλος αὐτὸν ἔκλαυσ' ὑπ' ἐρήμῳ κείμενον ὄκρει·
Τοὶ σκόπελοι ψυχρῷ μιν ἀνωδύραντο Λυκαίῳ.
Ἦνθεν ὁ μαλονόμος, βραδινοὶ τοὶ βωκόλοι ἦνθον·
Ὁ δρῦς χειμερινὰς βαλανίζων ἦνθε Μενάλκας·
Καὶ, πόθεν οὗτος ἔρως; πᾶς πεύθεται. Ἦνθεν Ἀπόλλων·
Γάλλε, τί μαίνεαι; φατί. Τεὸν μελέδαμα Λυκωρὶς,
Βᾶσα διὰ ψύχευς, διά τε ςρατῶ, ἔσπεται ἄλλῳ·
Ἦνθε καὶ ἀγροτέρῳ Σιλβανὸς κράτα πυκαζὸς

Στέμματι, νάρθηκας χλοερὼς, κρίνα θ' ἁδρὰ τινάσσων.
Καὶ θεὸς Ἀρκαδίας Πὰν ἦνθε, τὸν εἶδομες αὐτοὶ
Κινναβάρει καὶ χυλῷ ἐρευθόμενον χαμαικτᾶς.
Πᾷ ϝασεῖ τόδ'; ἔφασ'· οὐ τῶνδε μέμαλεν Ἔρωτι.
Οὐ δακρύων κεκόρεσαι Ἔρως, ὑγρότατος ὁ λειμών,
Ταὶ ξουθαὶ κυτίσοιο μέλισσαι, φυλλάδος ἀ αἶξ.
Καὶ ὃς συγνάχων· Ἀσείτε τάδ', Ἀρκάδες, εἶπεν,
Ὧρσιν ὑμετέροισι, μόνοι δεδαῶντες ἀείδειν
Ἀρκάδες. Ὡς μαλακῶς τότε λείψανα τἀμὰ κέοιτο,
Αἴ ποκ' ἐμῶς ὑμὰ σύριγξ ἄσειεν ἔρωτας.
Ὤφελον ἐξ ὑμέων εἷς ἔμμεναι, ἢ τις ἀμορβὸς
Ποίμνας, ἢ ϝαφυλᾶς πυρναίας ἀμπελόεργος.
Αἰ παρ' ἐμὶν τόκα Φυλλὶς ἦν, αἶκ' αὐτὸς Ἀμύντας,
Αἶκ' οἷϝραμά τι ἄλλο (τί δ' αἰ μέλας ἐϛὶν Ἀμύντας;
Ἔϝσι καὶ ἀμφότερον τό, τ' ἴον μέλαν, ἄ θ' ὑάκινθος)
Ὧδ' ἐν ταῖς ἰτέῃσιν ὑπ' ἀμπέλῳ ἦν μετ' ἐμεῖο·
Ἄνθε' ἐμὶν τόκα Φυλλὶς ἀπέδρεπεν, ᾇδεν Ἀμύντας.
Ὧδε ψυχρὸν ὕδωρ, μαλακὰ πόα ὠδε, Δυκωρί·
Ὧδ' ἄλση· σὺν τοὶ τέλεον χρόνον ὧδε βιώην.
Ἀλλά με νῦν ἀτέραμνος ἔρως μετὰ μῶλον Ἄρηος
Ἔντε μέσοις ὅπλοις, ἔντ' ἀντιβίοισι κατίσχει.
Φεῦ, τύ δέ μοι γλυκερᾶς πάτρας ἄπο (πῶς κε πιθοίμαν;)
Ἄλπεων τὰς χιόνας, τό, τε Ῥήνω ψῦχος ἄτλατον
Χωρὶς ἐμεῦ λεύσσεις· ἃ μή τυ ψῦχος ἰάψαι,
Ἃ μή τυ κρύϛαλλος ἐπιτμάξαι πόδας ἁβρούς.
Χαλκιδικοῖς φέρ' ἰὼν τάπερ ἐξεπόνασα μέλεσσι
Ποιμενικῷ καλάμῳ Σικελοῖο βοτῆρος ἀεισῶ.
Κέκρικ' ἐνὶ σπείεσσι δυηπαθέειν, καὶ ἀν' ὕλας,
Ἔνθ' ἀπαλοῖσιν ἔρωτας ἐμὼς φλοιοῖσι χαράττειν·
Φλοιοῖς ἀλδήσκουσι συναλδήσουσιν ἔρωτες.
Μαίναλα μὰν τείως καταθεύσομαι ἄμμιγα Νύμφαις·
Χλούνιας ἀγρευσῶ. Ψῦχος δέ με κωλύοι οὐδέν
Παρθένια σκυλάκεσσι περιϝοιχιζόμεν ἄλση.
Ἤδη ἀνὰ σκοπέλως δοκεω, ἀνὰ δρυμὰ φέρεσθαι,
Καὶ Πάρθοις κεράεσσι Κυδώνια θυμὸς ἄνωγεν
(Ὡς ἂν ἐμὰς μανίας ἄκος ὂν μέγα) τόξα τιταίνειν.
Πλάν γε θεὸς τῆνος μαθέτω βροτέοισι κακοῖσιν

Ἰλήκειν. Ἀλλ' αὐταὶ Ἀμαδρυάδες καὶ ἀοιδαὶ
Οὐκέτ' ἐμὶν φίλαι ἐντί. Πάλιν χαίροιτί μοι ὕλαι.
Οὐ τῆνος καμάτοις ἀλλάσσεται ἡμετέροισιν·
Οὐ μὰν κὴν Ἔβρον πίνωμες ψύχει μέσσῳ,
Σιθονίας νιφάδας ὑποδύντες χείματος ὑγρῷ·
Οὔτ' ἦν, φλοιὸς ὅκα πτελέαις ἔνι κάρφεται αὖος,
Αἰθιόπων βόσκωμες ὄϊς ὑπὸ Καρκίνω ἄζρον.
Πάντα γε νικᾷ Ἔρως· ἠττώμεθα κ' ἄμμες Ἔρωτος.
Ταῦτα μὲν ὑμέτερον ποιητὰν, μέσφα κάθηται
Καὶ τάλαρον πλέκει ἐκ μαλίχας, ἀρκείτω ἀείσαι,
Πιερίδες. Γάλλῳ δ' ὔμμες μεγαλύνετε ταῦτα,
Γάλλῳ, τοῦ καὶ ἀν' ὥραν ἀέξεται ἵμερος ἄμμι
Τόσσον, ὅσον κλάθρα μάλ' ἀείρεται εἴαρος ὥρᾳ.
Εἶα δὴ ἀνῳῶμες. Σκιὰ ἀδόντεσσιν ἐπαχθὴς,
Καὶ σκιὰ ἀρκεύθῳ βλαβερά· σκιὰ λήϊα βλάπτει.
Σοῦσθε κορεσθεῖσαι (νὺξ γὰρ πάρα) σοῦσθε χίμαιραι.

EDITORIS ADNOTATIO

AD PRÆCEDENTEM ECLOGAM.

Post hanc Eclogæ Virgilianæ metaphrasim, reperta nobis sunt in margine recentis cujusdam libri ea doctissimi viri verba, quem, si fas esset, libenter nominarem: Σκαλίγερος οὗτος δαιμόνιόν τι χρῆμ' ἐστὶν ἀνθρώπου, τὰ Δία καὶ Μούσας. Sed tu, Lector erudite, quis fuerit, facile conjeceris, si dixerim neminem vivere nunc illo peritiorem γνησίως Ἑλληνίζειν.

In Editione autem Josephi Scaligeri, quam anno 1615 publicavit Pet. Scriverius, notandum illud inprimis monebat, Jos. Scaligerum post versiculum hunc, *non canimus surdis; respondent omnia sylvæ*, retraxisse tres versiculos alieno loco positos; *stant et oves circum, etc.*; et hujus vetustissimæ trajectionis fidem certam venire ex *absurditate vulgaris lectionis* et sententiæ concinnitate, si tres hi versus, ut indicabat, transponerentur.

Scriverius nimium temere de *absurditate Lectionis vulgaris* et de *concinnitate sententiæ* pronuntiasse mihi videtur, quum *certe reponendos* asserit post octavum Eclogæ decimæ, tres versiculos, *Stant et oves*

circum, etc. Hanc trajectionem probavit, sed non in suam Editionem admisit Heynius; vide varias lectiones hujus Eclogæ, vol. I, pag. 206, ubi tamen in alios lapsus errores, affirmat *tres hos versus* pariter a *Scaligero*, *Poetices libro* V, cap. 5, *retractos* fuisse; et *nihil suavitati carminis detractum* fuisse, si cum ovibus *etiam upiliones* et *subulcos* omnino poeta *omisisset*: qua quidem opinione summus ille vir et in veritatem et in judicium peccavit; namque Jul. Cæs. Scaliger, l. c. nedum Virgilianæ orationis immutet vulgatum tenorem, et tollendos inde pastores censeat, hanc enumerationem, qualis est, Theocriteæ primæ collatam, laudat vegetiorem, mirificis auctam numeris, atque etiam interpositis sententiis, quasi clavis in toga, eleganter illustratam; denique totam hanc vocat *divinam*, et ait Apollinem ipsum, quum pastor esset, nunquam jucundioribus, aut magis teretibus numeris cecinisse. Nihil enim rationi poeticæ, nihil ingenio Maroniano convenientius! postquam Siculi fontis Nympham ad Galli solatia invocavit, alias alloquitur Nymphas præsides fontium qui de Parnasso et Helicone in Permessum profluunt; et ad has recte sermonem convertit; namque Gallum noverunt inter Permessi flumina errantem, Ecl. VI, 64; ut in montes Aonios ductus, viderit universum Apollinis chorum, id est, Musas, Nymphas, vates, honoris ergo sibi assurgentem: eas igitur merito reprehendit, quod non illum amore pereuntem sublevaturæ venerint, dum flebant illius sortem lauri Phœbo dilectæ, et myricæ genus signantes Bucolicum; deinde montes et saxa, quæ immitia et sine sensu; postremo ipsæ oves, quæ pastus oblitæ, pastorem suum circumstabant, ad hujus lacrymas intentæ et ipsæ pariter lacrymabundæ; dum custodes oviuin et omnes Dii rustici simul ad solandum accedebant. Ita jam in Ecl. V, 21, Daphnim fleverant primo Nymphæ, deinde arbores et flumina, bestiæ mites atque immites; postremo Dii ipsi, inter quos Pales et Apollo: ergo ubique idem ordo lucidus, eadem facundia, idem divinus vates!

De duabus aliis trajectionibus quas ibi proponit Scriverius, pariter suo loco, id est, Georg. IV, v. 290; et Æn. X, 714, infra dicemus; et manus, quæ textus antiquos audent immutare, temerarias et profanas jure incusabimus.

P. VIRGILII MARONIS

GEORGICON

LIBER PRIMUS.

(Vide Argumentum generale, vol. I, p. 245.)

ANALYSIS.

Proponit, quid dicturus in libris quatuor Georgicorum, 1—5. Invocat numina, quæ præsident rebus rusticis, quas continent quatuor libri Georgicorum, 6—23. Augustum speciatim, in cujus potestate relinquit, eligat, quam velit divinitatis rationem ex terrenis, marinis, cælestibus numinibus: nam quartam illi denegat infernorum Deorum classem, 24—42. Incipit a præcepto arationis, quæ inchoanda vere primo, 43—49. Dicit, ante arationem, prædiscendam esse naturam loci, qui arandus. Hujus rei occasione indicat varias terrarum leges, mores, ingenia, 50—63. Redit ad præceptum de aranda terra, signatque tempus, quo aranda pinguis, quo tenuis. Deinde ait, novales agros utilissimos esse ad proventus, quos si habere non possit pauper agricola, adhibet modos duos; quibus terra novitatem induat: videlicet mutationem seminum, et stercorationem, 64—83. Mutationi seminum, et stercorationi adjungit ustionem, et caussas cur hæc fiat. Agit in fine de occatione et obliqua aratione, 84—99. Docet quæ anni tempestas melior: quæ cura agricolæ post creditum semen terræ, in curando solo sterili, in eodem rigando; in fertili depascendo; in avertendis lacunis ab utroque. Harum rerum occasione docet in fine, quæ sint pestes satorum, 100—121. Ex occasione pestium digreditur ad ævum Saturni et Jovis: docetque, uti sub illo fuerint tranquilla omnia, et plena opum, sub hoc agitata, et plena inopiæ: ex qua inopia natæ sunt artes ad vitam tolerandam, 122—146. Origo prima agricolationis, caussa ejus originis; labores hujus artis, remedia contra labores, 147—159. Enumerantur instrumenta agricolarum octo, quatuor ad arandam terram: quatuor ad parandam messem: docetur rusticorum providentia: sistitur in aratro, ut quod potissimum instrumentum, explicantur ejus partes præcipuæ, quæ septem sunt, 160—175. Docet, uti paranda sit area, ne ab herbis, pulvere, pestibus bestiarum infestetur, 176—186. Præfert amygdalus vaticinium anni fertilis, aut infœcundi. Omnium frugum semina qua me-

dela a nonnullis curentur, sed quæ vera : agrestia omnia in pejus ruunt : similitudo, qua hoc probatur, 187—203. Necessitas Astrologiæ. Præcepta sementis, quibus docet hordeum, linum, papaver serenda inter Æquinoctium Autumni, et Brumam : fabam, medicam, milium Aprili mense: triticum et far mense Octobri: viciam, faselum, lentem, eodem, 204—232. Dividitur sphera cæli in Zonas quinque, media a calore, extremæ duæ a gelu atque imbribus inhabitabiles, duæ reliquæ ex temperie habitabiles. Polus Arcticus superior; Antarcticus inferior : ille perpetuo lucet, nam ursæ, et qui illas anguis amplectitur, nunquam occidunt : iste aut perpetuis tenebris damnatur, aut a nobis lucem mendicat quadam vicissitudine. Astrologia utilis ad cognoscenda tempora tempestatis, messis, sationis, navigationis, cædendæ materiæ, 233—256. Non frustra Astrologiam sciri, quum pendeant ex ea, quæ necessaria sunt rustico : ex qua occasione docet, quid faciendum agricolæ hyemante cælo ; et subnectit, quid festis diebus, 257—275. Transit ad observationem quatuor dierum Lunarium, nam constituit discrimina quinti, noni, decimi ; admiscet fabulas huic narrationi, 276—286. Pergit ad distinctionem noctium et dierum. Æstiva nocte secanda prata, hyberna inspicandæ faces, texendæ telæ, coquenda sapa : æstiva die secandæ segetes, terendæ messes : autumnali aranda et serenda tellus : cruda hyeme lætandum, gaudendum, epulandum : ita tamen, ut incumbatur legendis glandibus, baccis, olivis, myrtis, interim etiam aucupio et venationi, 287—310. Accidit tempestas initio autumni : exitu veris : describitur prima ab segetibus erutis a radice expulsisque in altum, altera ab eversis satis. Excurritur in fine ad tremores terrarum, ferarum fugas, pavores hominum, 311—334. Duplex cautio ad evitandas tempestates, altera, cognitio cæli et siderum, altera, religio erga Deos, præsertim Cererem, cujus sacra describuntur, 335—350. Dividuntur tempestates in fulmina, pluvias, ventos ; eorum præscientia in Astrologiam, et Experientiam : relicta Astrologia adducuntur decem prognostica sumta ab Experientia, quibus indicium fit tempestatis ventorum in mari, 351—369. Pergit ad prognostica pluviarum, quæ duodecim, 370—392. Facit transitum ad prognostica serenitatis, quæ novem : reddit rationem, cur illa sumantur ab avibus, 393—423. Prognostica certiora sumenda a Sole et Luna. Lunæ tria afferuntur : obscura pluviam indicat, rubens ventos, pura serenitatem, 424—437. Dein de Sole multa, hac distinctione, ut prius dicantur, quæ pendent a sole oriente, deinde quæ a sole occidente, tertio quæ conjunctim ab utroque, 438—465. Persequitur præsagia Solis prodigiosa, quæ præcesserunt bellum civile Augusti atque Antonii contra Brutum et Cassium, 466—497. Absolvit librum cum precatione ad Deos pro salute Augusti, qui unus potest subvenire everso orbi, ac bellorum tumultibus concusso. Dilatat hanc cladem, tum ex malis imminentibus, tum aptissima comparatione, 498—514.

N. B. Quæ V. D. VOSS nobis suppeditavit, et e Germanico sermone in Latinum convertit CL. DE GOLBÉRY, designantur his duabus literis, *V. G.*

EXPLICATIO.

1. Ita rem disponit his versibus loquens cum Mæcenate, ut lætæ segetes, et terræ aratio sustineant argumentum libri primi : vites ulmis adjungere, secundi : cura boum, et cultus habendo

NOTÆ.

Georgicon. De Georgicis complures scripta memoriæ prodiderunt, quorum indicem expromit Ursinus in Virgilio collatione Græcorum illustrato p. 82. et seqq. *E.*

1. Hi quatuor versus, quasi sequentium librorum textus et argumentum, huic præponuntur : 1° agricultura; 2° arborum cultura; 3° res pecuaria ; 4° res apiaria.

De siliqua et calamo, ad arborum arbustorumque varietatem, tum ad animalium vitam, denique ad apum mirabilem artem pulcherrima progressione poeta lectorem perducit. *V. G.* — *Quo sidere terram.* Quo tempore : ex sideribus enim tempora colliguntur. Sane sidus proprie est quod in se plures continet stellas, sed a poetis confuse ponitur. *Serv.* — Siderum mutationes, ut in tabulis astronomicis veterum computatæ, erant agricolis romanis pro calendario. — *Terram vertere ;* scilicet aratro. Lucret. I, 212. vertentes vomere glebas. *V. G.*

2. *Mæcenas.* Sunt qui *Mœcenas*, alii *Mecœnas*, nonnulli *Mecenas* plane sine ullo diphthongo. Sed rectius ex Rom. cod. per æ diphthongum primam, per e simplex secundam scribendam esse syllabam, testes luculenti sunt Pierius et Dausquius. Græce Μαικήνας. — C. Cilnius Mæcenas, Octaviani Cæsaris, qui postea Augustus appellatus est, inter familiarissimos celeberrimus. Mæcenas poeseos amator ac renumerator Virgilium impulit, ut opus hoc inciperet. Natus erat tunc poeta annos XXXIII, nec unquam ad LV ætatis annum, quo mortuus, emendandi finem fecit. — *Vites.* in Italia maritantur arboribus, præcipue putatis ulmis, quarum frondes pabulum præbent pecori. (Vid. infra II, v. 89.) — Hæc igitur imago utilissimas arborum agrestium varietates complectitur, tam sterilium, quam frugiferarum. *V. G.* — *Ulmisque adjungere vites.* Quod rei rusticæ scriptores *maritare* appellant, ut Colum. IV, 22. *Qui possint vel sua maritare statumina, vel si qua sunt vidua in propinquo propaginibus vestire.* Sic Horat. in laud. vitæ rust. Epod. II, 9 : « Aut adulta vitium propagine Altas maritat populos. » Quas autem maritas arbores habeat vitis exponit Plin. XVII, 35, nempe, *ulmum populum*, etc. et XIV, 1. *Vites in Campano agro populis nubunt : maritasque complexæ*, etc. Sic Catull. in carm. nupt. 54, *ulmum* indigitat *maritum* : « At si forte eadem est ulmo conjuncta marito; » Inde *vitis* dicitur vidua, quæ his arborum sustentaculis est destituta, et *arbores viduæ*, quando vitem non amplec-

pecori, id est, ut habeatur, tertii : experientia, quæ necessaria ad apes, quarti : quum in fine ait : *Hinc canere incipiam*, orditur non ab apibus, sed ad segetibus : incipiam orsum cantus mei ab his quatuor rebus rusticis, non ab armis : expendat Lector Veneres, quæ sparsæ in versibus : segetes dicit *lætas*, quæ vox auditorem afficit proposito statim risu et lætitia agrorum : maluit *sidere* excellenter, quam *tempore* vulgariter : in illis, *ulmisque adjungere vites*, innuit conjugium vitium cum ulmis : quum dicit *cultus*, quid aliud significat, quam agricolationem, quæ horum librorum argumentum? Quum de apibus, *experientia*, se rei rusticæ experientissimum professus est, nam nulla fere res inter rusticas majore eget experientia : quum apes *parcas* nominat, attingit signatam illarum naturam; est enim frugi animal, parcum, atque laboris sui retinentissimum.

5. Post propositionem invocat principe loco Solem et Lunam : adjungit rationem, nam hi e cælo annum ducunt. Ab invocato Sole et Luna, qui duo necessarii ad segetes, arbusta, pecora, mellificia, pergit ad invocationem illorum Deorum,

tuntur. Juven. VIII, 77 : « Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos. » Horat. IV, Od. V, 30 : Et vitem viduas ducit ad arbores. »

4. Quum in carminibus vocales verborum ultimæ vocalibus primis sequentium elidantur, quidam legunt *pecori atque apibus;* sed male et contra codices. *V. G.* — *Experientia.* Id est, usu nata doctrina. Hoc est ἡ πεῖρα, vel notitia. — *Parcis.* Servatricibus frugum, quæ. mella custodiunt. — *Apibus parcis.* Sunt qui legunt *parvis*, sed rectius *parcis.* Aristot. hist. anim. IX, 40. φειδομένας. et Plin. XI, 21 : *præparcas.* Mart. XIV, 222. *Huic uni parca laborat apis.*

5. *Hinc*, pro *ex his*, horum partem. Sic infra Ge. II, 444; III, 308; hinc *ex his.* Sic Ge. II, 243; *huc*, in *hæc :* III, 490; *inde*, pro *ex ea.* Horatius, Sat. I, IV, 6, *hinc pendet Lucilius;* pro *ab his.* Ovidius, Fast. V, 509; *minor inde*, pro *ex iis*, *eorum.* Servius interpretatur *dehinc*, *deinceps;* sed nullum adducit exemplum, quo interpretationem suam fulciat : alii volunt, inter quos ipse Heynius, vol. I, pag. 247, hoc vocabulum *hinc* idem significare quod *nunc;* id vero Mancinellus merito absurdum declarat. *V. G.* — *Vos, o clarissima mundi Lumina.* Siderum et Rusticorum Deorum invocatio. Quum cujusque invocationis causa indicetur, manifestum est verbis, *o clarissima mundi Lumina*, designari *Solem* ac *Lunam;* quippe qui annum cælo ducentes, eum in menses diesque dividant. Bacchus enim et Ceres, in certis tantum mysteriis, sole ac luna commiscebantur. Hic vero consueto funguntur munere, advocanturque frumenti et vineæ datores; ut ne Varronis quidem testimonio indigeamus, in princi-

quorum opera necessaria est ad singula : pro segetibus libri primi invocat Cererem; pro arbustis secundi Bacchum; pro pecoribus tertii Neptunum; pro mellificiis quarti Aristæum; adjungitque simul rationes, cur hos, non alios invocet : ergo

pio operis de R. R., hæc quatuor numina seorsum adducentis; primo Solem et Lunam, quorum tempora observantur, quum quædam seruntur et conduntur; secundo, Cererem et Liberum quod horum fructus maxime necessarii ad victum; ab his enim potio et cibus venit. — *Mundi Lumina. Mundus* hic pro cælo; quomodo veteres sæpe usi. Ennius apud Macrob. VI, 2 : *Mundus cæli vastus constitit silentio.* Lucret. V, 1435:... *Mundi magnum et versatile templum* Macrob. I, 11. *Mundus proprie cælum dicitur*, etc. Arnobius, *Vertigo mundi*, etc. Apuleius de Deo Socrat. *Suspicientes in hoc perfectissimo mundi* (ut ait Ennius) *clypeo.* Qua quidem notione et *Orbis* apud Horat. Od. III, 3 : « Si fractus illabatur orbis, Impavidum ferient ruinæ. » Notat et Joseph. Scaliger apud Manil. innumeris locis *Mundum* accipi pro cælo, item pro Deo ipso : adeoque sexfariam ab eodem Poeta usurpari, quotfariam et κόσμος a Græcis. *Taubm.*

6. *Labentem.* Currentem, vel cito transeuntem. — *Quæ ducitis annum.* Quorum cursu tempora computantur. Nam per Lunam, mensis : per Solem, annus ostenditur. Vel certe deducitis per duodecim sidera, aut ducitis, pro finitis; ut, *noctem custodia ducit :* et alibi, *hic noctem ludo ducunt.* Serv. — Hinc et Ciceroni. *Sol moderator et dux temporum, et princeps reliquorum luminum* dicitur. Etiam Plinius II, 4, *Sol*, inquit, *non temporum modo terrarumque, sed siderum etiam ipsorum cælique rector. Hunc mundi esse totius animum ac mentem, hunc principale Naturæ regimen ac numen credere decet.* Et *Luna* ab Horat. Carm. Secul. 35, *Siderum regina* appellatur.

7. *Liber et alma Ceres.* Probus, Macrobius, et hos secuti, *Clarissima Lumina* Liberum et Cererem appositive hic dici autumant : et pertendit Macrobius I, 18, 19 et 21. Saturnal. Appollinem et Bacchum eundem esse. Alludit et Lucanus lib. V, 73 : « Parnassus Mons Phœbo Bromioque sacer, cui numine misto Delphica Thebanæ referunt trieterica Bacchæ. Ita fuerit *Liber* quidem Sol, et *Ceres* Luna. Eruditi tamen plures hæc distinguenda merito censent. — *Alma Ceres.* Id est sancta, sive pulchra : vel certe, alens; ab *alendo. Ceres*, quæ est ipsa *Terra*, dicta quasi *Geres*, a gerendis frugibus : a Græcis etiam δημήτηρ nominata, quasi γημήτηρ. De qua Cic. De N. Deor. et alii. Obiter tamen notetur, quod idem Cic. ibid. lib. II, 60, refert : *Cum frugem, Cererem; vinum, Liberum dicimus, genere nos quidem sermonis utimur usitato, sed ecquem tam amentem esse putas, qui illud, quo vescatur, deum credat esse?* T. — *Si*, nonnunquam in invocationibus, pro *quia* sumitur. — Vox *tellus*, telluris incolas significat, non Tellurem Deam. *V. G.*

8. *Chaoniam glandem.* In Epiro, olim Chaonia appellata, fuit civi-

Bacchum et Cererem invocat: hanc, quia glandem mutavit in frumentum: illum, quia vinum invenit; quod aquis (Acheloum enim pro aqua ponit) misceretur: porro Baccho adnectit Faunos et Dryades: nam Fauni et Dryades ministri erant Bacchi, et Dii, ac præsides rerum sylvestrium: vocat vero Faunos *Numina præsentia*, quia non a longe, ut cælestes res

tas *Dodona*, ad quam nemus totum querneum Jovis ibi reddentis oracula: inde poeta glaudem epitheto *Chaoniam* ornat. In meridionalibus regionibus, invenitur quoddam quercus genus, dulces ferens glandes, quæ, in Palestina, columbarum ovo pares, deficiente frumento, in farinæ locum adhibentur: nomen arbori *Esculus*. Quin et Varro testatur, helluones Romanos hujusmodi glandes ex Iberia arcessisse: nullo modo igitur cognomen βαλανφάγοι, quod apud Herodotum ab oraculo tribuitur Arcadiis, iis dedecori esse potuit: insuper vocabulum *glans* plura complectitur fructuum genera nucleis prædita, v. g. palmulas, (φοινικοβάλανους) castaneas nuces. Hæ a Romanis *juglandes* dictæ; eodem modo Græci castaneas majores voce Διὸς βάλανοι appellant. Apud Ovidium, de Art. Am. III, 183, *castaneæ*, allusione ad Virgilii Eclog. II, 52. vocantur *Amaryllidos glandes*. *V. G.* — *Glandem mutavit arista*. Elegans usus verbi *mutare*. Sallust. *Nemo nisi victor pacem bello mutavit*. Horat. Od. I, 16: « nunc ego mitibus Mutare quæro tristia. » Ibidem Od. 29. *Libros Panætii mutare loricis Iberis*, id est, Philosophiæ studio omisso, militiam sequi. Et notum est, Græcos etiam verbo ἀλλάττειν sic uti.

9. *Acheloia pocula*. Achelous, filiorum Oceani ex Thetide (quorum numerus ad tria millia) natu major. Ephorus, apud Macrob. Saturn. V, 18, inquit, aquam in jurejurando, in precibus et sacrificiis, nuncupari nomine Acheloi: veterum enim sermone Acheloum magnam significare inundationem, ut refert Hyginus I. Ætolus quis nomine Kerasus, velut alii, Stafilus, vineæ inventor, ad vinum miscendum fluvii Acheloi aquam adhibere instituit; quo facto in pluribus Græcorum comœdiis: vinum dicitur *mixtum Acheloo*. V. G. — *Uvis*. Id est vino. Antea enim aut aquam aut meracum vinum bibebant. Propert. II, 22; « Ah pereat quicunque meracas repperit uvas, Corrupitque bonas nectare primus aquas! » Jam quis τῆς τοῦ οἴνου κράσεως inventor sit; utrum Melampus et Nigripes, an Staphylus; aut etiam Amphitryo, qui ante tempora Iliaca Athenis regnavit; incertum est. Videatur eruditissimus Casaubonus ad Athen. II, 6. et IV, 27. *Taubm.*

10. *Præsentia numina* dicit, quod semper adsunt agricolis opem latura, quum contra alia numina non nisi precibus et sacrificiis arcessita accedant, Ge. I, 347: Ecl. I, 41: eadem ratione Pindarus Pyth. IX, 114, Aristæum *proximum* gregis custodem dicit. *V. G.*

11. *Faunique*. Ex antiquo Italiæ Fauno, qui postea Arcadicus Pan, et pariter e Faunis cum Fauna

agrorum contuentur, sed ipsi adsunt, versanturque inter sylvas: ab his pergit ad Neptunum, nam tellus ab eo percussa, equum edidit: et quidem de equis agit copiose in libro tertio: demum contendit ad Aristæum pro quarto libro, quem Deum notat a nemoribus, et Cæa insula, ubi ejus juvenci tercentum,

procreatis, Panes facti sunt, quos Græci simos, cornutos, caudatos, et pedibus hirci insignes esse putabant; Ecl. VI, 27. Codex Gothanus pr. exhibet *Satyrique;* verum antiqui scriptores, inprimis Macrob. V, 17. vividam præcedentis *Fauni* iterationem laudant. *V. G.*

12. *Tuque o, cui prima frementem Fudit equum*, etc. Antiquissimi libri, *Fudit aquam*, plerique habuerunt: — quidam enim digni quibus fidem habeamus, (v. g. Herodot. VIII, 55; Apollodor. III, 14; Pausanias, I, 48; Himerius Orat. II, 7; Aristides, Panath. 183.) ferunt Neptunum, in certamine cum Minerva, puteum aqua plenum creasse: alii (Geop. IX, 5.) portum et navium stationem: unde grammatici, Virgilium a communi sententia recessisse minime credentes, *aquam* loco *equum* legi jubent. Sed quid agricolis cum aqua marina? Accedamus igitur Probi et Cerdæ sententiæ, secundum quam Neptunus in Thessalia rupem tridenti percutiens, primum equum fudit, et inde, cognomina duxit ἵππιος et πετραῖος. Vide in Lucan. lib. VI, 396: « Primus ab æquorea percussis cuspide saxis Thessalicus sonipes, bellis feralibus omen Exsiluit, primus chalybem frenosque momordit Spumavitque novis Lapithæ domitoris habenis. » *V. G.* — *Prima.* Multi pro olim accipiunt; ut, *Prima quod ad Trojam pro charis gesserat Argis.* Alii prima ideo quod post Scythium, Arionem genuit. Servius: *prima tellus*, id est, litus; ut, *primaque vetant consistere terra.* Taubmannus: *Attica*, quia Athenienses se *primos* homines prædicabant; indeque et cicadas ex auro capillis implexas gestabant: ut hoc argumento se terra genitos indicarent. Parrhasius *prima* vult significare idem ac *primum.* I, 7. Ab eo discedere, nisi qui lolio victitat, potest nemo.

13. *Tellus percussa tridenti.* Lucan. lib. VI. *Primus ab æquorea percussis cuspide saxis Thessalicus sonipes, bellis feralibus omen, Exiliit*, etc. Alii fabulantur aliter. Hinc Neptunus, *equestris* dictus, ἵππιος et ἱππαγέτης. Cur autem τριαινύχῳ δορὶ, (ut Lycophron loquitur) id est tridente fuscina (ut Scalig. interpretatur), inducatur, unde et *Tridentifer* Nasoni dictus; fieri putant, vel propter triplicem aquarum naturam; liquidam, fœcundam, et potabilem: vel propter tria aquarum genera, marinam, fluvialem, et stagnantem: vel propter triplicem ejus potestatem; æquoris scilicet tollendi, placandi, et servandi: vel etiam, ut tres orbis terrarum partes indicarent, quam ambit Oceanus. Vide Fulgent. in Mytholog. *Taubm.*

15. *Ter centum.... dumeta.* Arbusta nondum elata quorum frondes pascuntur juvenci. De fertilitate Ceæ, quæ maris Ægæi insula,

id est, multi pascuntur dumeta pinguissima; fertur vero ille invenisse in ea insula opificium reparandi mellis.

16. Nemo putet confuse, et turbide invocata Numina a poeta : ecce iterum non contentus præcedenti invocatione recurrit ad quatuor alia numina pro iisdem quatuor libris, et simul rationes adjungit, cur hos Deos invocet : ergo Panem invocat pro tertio libro, quia is ovium custos : Minervam pro secundo, quia oleam invenit : Triptolemum puerum pro primo, quia is aratri repertor : Sylvanum pro quarto, quia huic Deo sacra sunt sylvestria omnia, ut nemora, valles, montana : in quibus locis frequentissima apiaria : deinde illi cupressus est sacra : poeta enim plantam sumsit, quæ frequens est in hortis, in quibus alvearia sunt; nam ut dixit Varro, *Ager floreus, in quo sunt horti apibus congruentes, et floribus.* Porro Sylvanus fingebatur ferens cupressum integram in manu.

21. Post invocata Numina peculiaria his quatuor libris, Deos reliquos, quos ipse ignorat, qui tamen prodesse possint rei rusticæ, in unum colligit, ac pariter omnes simul invocat, sed cum distinctione hunc in modum : adeste Dii, et Deæ omnes, qui arvis studetis, tum semine aliquo post sationem in-

est una ex Strophadibus ; vide Theophrast. ; qui ait, ficum agrestem, quæ alias bis, Ceæ ter in annum ferre. *V. G.*

16. *Ipse nemus linquens patrium, Pan ovium custos.* Pindarus, Pana ex Penelope filium dicit, unde multi *patrium* pro *paternum* accipiunt, eo quod Pan non Arcas sit, sed Ithacesius, ut a patre, non a patria, vox hæc videatur detorta; quia in Arcadia genitus. *Saltusque Lycæi.* Montis Arcadiæ. *Serv.*

18. *Adsis.* Verbum solemne. Æn. I : *Adsit lætitiæ Bacchus dator.* Tibull. I, 1. *Adsitis divi.* III. El. ult. *Candide Liber ades.* — *Favens.* Pro volens et per hoc propitius, *Favere* enim veteres etiam velle dixerunt. — *Oleæque Minerva inventrix.* Illa olea quam jacta hasta creatam Minerva e solo eduxit, quaque, tanquam meliori munere, Neptunum contendentem vicit, temporibus Plinii, Pausaniæ, et Himerii adhuc visenda stabat. *V. G.*

19. *Uncique puer monstrator aratri.* Triptolemum Celei regis filium indicat. Ovid. Metam. V, 649; eundem appellat Juvenem : sed nulla hic de Ægyptiaco Osiri mentio. *V. G.*

20. *Silvane.* Antiquus Latii deus plantationi et sationi præerat. *Ab radice,* nec truncum a radice separatum gerens. Catul. LXIII, 289: *Peneos tulit radicitus altas Fagos.* Vid. vol. I, p. 250. *V. G.*

21. *Diique deæque omnes.* Post specialem invocationem, transit ad generalitatem, ne quod numen prætereat; more Pontificum, per quos ritu veteri in omnibus sacris post speciales deos, quos ad ipsum sacrum quod fiebat, necesse erat invocari, generaliter omnia numina invocabantur. — *Studium quibus arva tueri.* Nomina hæc nu-

fuso ad crescentium frugum propagationem, tum imbribus e cælo missis, ad utilitatem recenter satorum : itaque particulas enclicitas *que*, *que*, quæ sunt in penultimo et ultimo versu, accipio pro *tum*, *tum :* quasi his tantum duobus modis propagari res rustica a Diis possit, nam cetera inventa et laboris mortalium sunt : duo illa, Deorum.

24. Post tot invocata numina, convertit se ad Augustum mire adulans, nam et ejus divinitatem late prædicit et relinquit in ejus voluntate, quis Deus esse velit, et e quorum numero, remque agit distinctione quadruplici : nam Dii aut sunt terrarum, aut maris, aut cæli, aut infernorum : tuque, o Cæsar, da mihi cursum facilem, tu quem mox, id est, post vitam, incertum est, quæ Deorum concilia habitura sint :

minum in Indigitamentis inveniuntur, id est, in libris pontificalibus : qui et nomina deorum, et rationem ipsorum numinum continent : quæ etiam Varro dicit. Nam (ut supra diximus) nomina numinibus ex officiis constat imposita. Verbi causa, ut ab occatione, deus Occator dicatur : a sarritione, deus Sarritor : a stercoratione, Stercilinius : e satione, Sator. Fabius Pictor hos deos enumerat, quos invocat Flamen sacrum Cereale faciens Telluri et Cereri, Vervactorem, Reparatorem, Inporcitorem, Insitorem, Obaratorem, Occatorem, Sarritorem, Subruncinatorem, Messorem, Convectorem, Conditorem, Promitorem. *Serv.*

22. *Quique novas alitis — nonnullo semine fruges.* Id est, aliquo, et hoc dicit ; qui a nobis jacta semina vestris seminibus alitis. Semina autem dicit deorum, cæli temperiem, pluvias, teporem ; Vel *nonnullo semine* ab hominibus scilicet jacto ; ut, *quippe solo natura subest ;* Seu rorem. *Serv.* Hunc sensum male Cerda et alii sequuntur ; nam poeta mihi velle videtur, suos quoque Genios iis statui frugibus, plantis, quæ, *nullo* de *semine*, sed sponte sua veniunt, quarumque semina nobis sunt incognita. Nam de iis, quæ seruntur, statim subdit : *Quique satis largum cælo demittitis imbrem.*

23. *Satis.* Segetibus ; ut, *Sata læta, boumque labores. Largum* autem *cælo demittitis imbrem ;* per hæc aquam et terram significari vult. *Serv.* — *Imbrem.* Quem Orpheus δάκρυον Διὸς vocat : et bene dixit *largum :* quum *imber* sit *agmen aquarum largius e concretis effusum nubibus,* ut Apul. loquitur. *T.*

24. *Tuque adeo, quem mox quæ sint habitura deorum Concilia, incertum est. Adeo* hic præcipue : quidam *adeo* abundare putant antiqua figura, ut, *omne adeo genus in terris.* Et jam adulatur Augusto, quem inter deos invocat ; nec totum tamen dandum est adulationi, sed et veritati : nam quum omnes Imperatores post mortem sint inter deos relati, Augustus vivus divinos honores emeruit, quod etiam Horat. testatur dicens, *Præsenti tibi maturos largimur honores : Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.* Unde male quidam cul-

nam hoc situm in tua voluntate, et eligere ipse potes, quis esse Deus velis; adeo tu supra omnes Deos: incertum est, velisne urbes invisere; velis curam terrarum; velis ut te orbis maximus, caput tuum cingens et honestans myrto matris tuæ Veneris, accipiat auctorem frugum, et potentem supra tempestates, illasque moderantem, ne noceant frugibus.

29. Est jam in secundo membro distinctionis: sive sis Deus maris, quod immensum; et nautæ colant tua sola Numina,

pant Virgilium, dicentes eum, aviditate laudandi, citum interitum Augusto optasse; quum ad rem, quæ tunc fiebat, respexerit. *Mox*, possumus tamen pro *post* accipere; Horatius, *Mox daturos Progeniem vitiosiorem*: id est, postea. Potest et *mox* ad vitæ humanæ brevitatem referri. Nam ipse ait in decimo Æn. *Rhœbe diu (res si qua diu mortalibus ulla est) Viximus*. Sane sciendum, mire eum laudasse, quod ait, *Quem mox quæ sint habitura deorum Concilia, incertum est*. Id est, nondum scimus, quis deus esse velis: nam deum fieri, maximum est: in potestate autem habere, *quis* deus velis fieri, plus esse quam maximum constat. *Serv.* — Diis jam invocatis, adscribitur Cæsar Octavianus, sub cujus imperio sperat poeta agriculturam, tunc civilibus bellis agrorumque partitionibus funditus eversam, ex integro renasci posse. *V. G.*

26. Τὸ *velis* et ad *urbis invisere*, et ad *terrarum curam* pertinet: eadem ratione, Ecl. V, 46, 47; *quale*: Ge. lib. III, 23, 24, *videre*: Horatius I, od. 2, 49; *ames*. V. G.

27. *Auctorem frugum*. Qui frugibus et cæteris rebus originem præstes. — *Tempestatumque potentem*. Aut bonarum tempestatum: ut, *Unde hæc tam clara repente tempestas?* Aut *tempestatum* ait *temporum*: sicut ubique Sallustius. *Serv.* Aliter Cl. *Voss*: *tempestates*, non hic sunt anni tempora, sed mutationes cæli procellosæ, quas ad maturandas fruges temperat Cæsar. In Æneid., I, 80, *dicitur* Æolus *tempestatum potens*, quia ventos et turbidos et serenos mittere potest. *V. G.*

28. *Materna myrto*. Quæ in honorem est Veneris, a qua Augustus originem ducit per Caium Cæsarem. *Serv.* — Myrtus ipsis reipublicæ fatis conjuncta erat: Plinius duas memorat perantiquas, ante Romuli delubra positas, quarum altora *patricia* appellata, altera *plebeia*. Patricia multis annis prævaluit exuberans ac læta; quamdiu senatus quoque floruit, illa ingens: tunc plebeia retorrida ac squalida; quæ posteaquam evaluit, flavescente patricia, Marsico bello languida auctoritas patrum facta est, ac paulatim in sterilitatem emarcuit majestas. *V. G.*

29. *An deus i. v. m.* Id est, an pro Neptuno coli te velis: et *immensi maris*, cujus mensura non potest comprehendi. *Venias* autem aliqui pro *sis* accipiunt, ac si Græce diceret οὖσα, sive ἐπάρχουσα; *ire* veteres pro *esse* dicebant. *Serv.*

30. *Numina sola colant. Sola*, magna, præcipua, id est, supra alios deos marinos, quasi melior

non Neptunum, non alios Deos : et tibi serviant omnes maris insulæ, Thule etiam, quæ omnium extrema; Tethysque, Dea maris, emat te in suum generum undis omnibus, quæ ditissimæ sunt; quo pretio quid majus?

32. A Diis terrarum et maris ascendit ad cælestes, quæ erat

sit futurus, et Neptuno, et cæteris diis marinis. *Serv.* — *Numen*, nutus, auspicium, voluntas, imperium : obliviscamur tandem istam hujus verbi falsam interpretationem, quæ e numine Deum facit; nec miremur, si uni deo plura tribuantur numina. — *Thule.* Vide Acta Erudit., 1753 ; pag. 147. Ex quo Pytheas Massiliensis oceanum pernavigavit, Thule omnium opinione ultima erat insula : existimabatur enim jacere sub sexagesimo gradu, ultra Britanniam. Et ipse Erathosthenes hanc iniit sententiam : credebatur insuper mare navibus nullam concedere navigationem ultra Thulen, quod ventis careret; sed hæc fabulosa terra, non nisi falsa de orbe notione, et erronea graduum supputatione excogitata est : nec magis quærenda Thule, quam Cerne, Basilia, et aliæ insulæ ejusmodi. Perperam igitur pro una Scoticarum insularum habita est, vel pro parte Norvegiæ proxima, vel demum pro ipsa Islandia. *V. G.*

31. *Tethys emat omnibus undis.* Tethys est uxor Oceani, nympharum mater. Quod autem ait *emat*, ad antiquum nuptiarum pertinet ritum, quo se maritus et uxor invicem emebant, sicut habemus in jure. Tribus enim modis apud veteres nuptiæ fiebant : usu; si verbi gratia, mulier anno uno cum viro, licet sine legibus, fuisset : farre; cum per Pontif. Max. et Dialem Flaminem per fruges et molam salsam conjungebantur, unde confarreatio appellabatur; ex quibus nuptiis patrimi et matrimi nascebantur : coemptione vero atque in manum conventione; quum illa in filiæ locum, maritus in patris veniebat; ut, si quis prior fuisset defunctus, locum hæreditatis justum ulteri faceret : et bene *Serviat*, quia quandocunque in manum convenerat, omnia protinus, quæ doti dicebantur, marito serviebant. Hanc Tethyn, Cic. in Timæo, *Salaciam dicit;* sed Eugenius, interpres Græcus, eam male confundit cum Nereide Thetide, quæ Pelei uxor et Achillis mater : multa differunt inter duo illarum nomina; orthographia; quantitas; inflexio; differunt et natales; attamen utraque pro mari sumitur. Hinc oritur error apud plurimos.

32. *Tardis te mensibus addas.* Æstivis mensibus succedas : in locum *Libræ*, inter *Virginem* et *Scorpium :* id est, in mensem Septembrem. *Tardos* vocat menses æstivos, quia dies mensium illorum longiores sunt, et mora Solis in horizonte diuturnior. Unde menses ipsi, quamquam reipsa non pigriores ceteris, tamen hominibus, qui die præsertim inter se agunt, longiores dici possunt. Adde quod civili dimensione, dies quilibet duodecim in horas dividitur ab ortu Solis ad occasum : nox item duodecim in horas, ab occasu So-

tertia pars distinctionis: assignat autem Cæsari locum inter Erigonen, Virginem, atque inter Chelas, brachia Scorpii: clarius assignat Cæsari locum Libræ; nam Libra est inter Vir-

lis ad ortum: unde fit, ut æstivæ horæ per diem hybernis multo sint longiores, per noctem breviores: contra hyeme, diuturnæ, breves; nocturnæ, longiores.

33. *Qua locus Erigonen i. C. s.* Ægyptii duodecim esse asserunt signa; Chaldæi vero undecim. Nam scorpium et libram unum signum accipiunt. Chelæ enim scorpii libram faciunt. Iidem Chaldæi volunt æquales esse partes in omnibus signis; sed pro qualitate sui, aliud signum XX aliud XL habere: quum Ægyptii tricenas esse partes in omnibus velint. Modo ergo secundum Chaldæos locutus est, dicens posse eum habere locum inter scorpium et virginem; nam Erigone ipsa est virgo. Sciendum deinde est voluisse majores in his signis esse deorum domicilia: ut Solis est Leo; Lunæ vero Cancer. Cæterorum vero quinque planetarum bina sunt signa, prout se ratio siderum sequitur. Nam primus circulus a terra, Lunæ est; secundus Mercurii; tertius Veneris; quartus Solis; quintus Martis; sextus Jovis; Saturni ultimus. Sed remotis Sole et Luna, quorum sunt domicilia Leo et Cancer; hi quinque ordine quo eorum sunt circuli, bina possident signa, unum a sequentibus, et unum a superioribus: ut Mercurii sint Virgo et Gemini: Veneris, Libra et Taurus: Martis, Scorpius et Aries: Jovis, Sagittarius et Pisces: Saturni, Capricornus et Aquarius. Unde per hæc loca siderum, Augustum et fortem propter Scorpium, id est, Martis domicilium, atque justum propter Libram; et prudentem propter vicinam Virginem, id est, Mercurii domicilium fore significat. Vel certe ideo inter Scorpionis brachia, quæ sunt Libra, et Erigonem, quæ est Virgo; quia Libra æquitas, Virgo justitia. Sane hæc Erigone Icari filia fuit, tantæ pietatis in patrem, ut quum eum vidisset mortuum, omni se luctu ac mœrore conficeret; ob quam rem misericordiæ deorum inter signa locum virginis, sub Justitiæ vocabulo, jussa est obtinere. Chelas autem sequentes ideo ait, quia, sicut dictum est, ipsæ sunt Libra. Bene autem Augusto inter Virginem et Scorpium, id est, inter justitiam et virtutem, locum tribuit: (nam Chelæ, Scorpii brachia sunt; quæ sexaginta partes in cælo sunt:) ut solum fore significet. *Serv.* — *Chelasque sequentes.* Χηλαὶ, forfices Cancrorum, itemque ungula bisulca et bipartita instar forficis Cancrinæ: cujusmodi Scorpio cælesti affinguntur, quæ Noster hic *brachia* Scorpii indigitat. Etiam Ovid. Met. XV, 42. *Concava brachia cancri* dixit. Hæ autem *Chelæ Scorpii* Libram faciebant: et pro Libra sæpius ponuntur. Manil. lib. II. *Scorpios in Libræ consumit brachia.* — Sciendum enim Veteres mathematicos Libram ignorasse, atque undecim tantum Signa adseruisse: et Scorpium in sexaginta partes digessisse, ut duorum Dodecatemoriorum spatium occuparet: unde et *Duplex* Germanico dicitur: *Scorpios hinc*

ginem et brachia Scorpii : quum autem Scorpius non contentus loco suo et parte Zodiaci extendat Chelas ad locum, in quo est Libra, addit poeta; Scorpius contrahit sua brachia, et relinquit tibi plus justa cæli parte : quia nimirum Cæsar occupabit non solum totum spatium Libræ, sed etiam spatium illud, quod occupant Chelæ Scorpii, atque adeo plus justa parte : quum vero Libra signum sit autumnale, et signa autumnalia sequantur post æstatem, signate inquit poeta addendum Cæsarem mensibus tardis, id est, æstivis.

36. Concludit poeta hac ratione : modo si unus e Diis terrarum, e Diis maris, e Diis cælestibus, quidquid demum ex tribus istis eris, (nam te nec Tartara Regem suum sperent, nec

duplex, quam cætera, possidet orbem, Sidera, per Chelas geminato sidere fulgens.

34. *Ipse tibi. Tibi* in tuum honorem et gratiam : *Ipse autem*, ultro, sua sponte. — *Jam brachia c. a. S.* Ideo Augusto merito juxta Scorpium locum adsignat, quia sidus hoc supra Romam positum creditur. Varro tamen ait se legisse Empedocli cuidam Syracusano a quadam potestate divina mortalem adspectum detersum; eumque inter cætera tres portas vidisse, tresque vias : unam ad signum Scorpionis, qua Hercules ad deos isse diceretur : alteram per limitem, qui est inter Leonem et Cancrum : tertiam esse inter Aquarium et Pisces. Argute itaque eam viam et sedem tribuit Augusto forti Imperatori, quam habuit deus fortis. — *Ardens Scorpios. Ardens* ad illud refertur, quia Martis est domicilium : nam Scorpii tempus frigidum est, quippe cujus November mensis est; vel ad cupiditatem Augusti recipiendi. *Serv.*

35. *Justa plus parte.* Secundum Chaldæos, qui Scorpium dicunt spatium duorum signorum tenere. Ergo et loci spatio te invitat. *Serv.* — *Plus justa parte*, id est, plus duodecima cæli parte brachia contrahit : in tabulis enim scorpius locum duorum tenet signorum; (Erath. cap. 7 : Ovid. Metam. II, 197 :) quippe porrigens Chelas, signum amplectitur inter seipsum et Virginem positum. — *Ardens* dicitur non solum propter lucem cuique stellæ propriam; sed etiam quod, secundum veterem astrologiam, pueri sub scorpio nati bellicosi sunt et fervidi. *V. G.*

36. *Quidquid eris.* Ordo est, quidquid eris, da facilem cursum. Cætera enim per parenthesin dicta sunt. — *Nec sperent Tartara regem. Nec sperent* dixit, quasi beneficium de quocunque venerit. Rejicitur quarta divinitatis species, quasi Augusti numen adeo sit excellens, ut superis potius, quam inferis accenseri mereatur; quantumvis Elysii regnum immodicis Græcorum laudibus efferatur; adeoque ab ipsa Proserpina huic adspectabili cælo prælatum fuisse prædicetur. — Tartarus non hic pro loco pœnis destinato sumendus, sed omnino infernale significat regnum. Multum abest, quin apud Virgilium eadem infernorum notio

tu hoc cupias; quamvis Græcia Elysios campos miretur, quamvis Proserpina infernis locis permulsa nolit matrem Cererem

sit, quæ olim apud Græcos : hæc enim, tum scientia de mundi figura, tum morum progressu paulatim immutata est. Hinc multa vana et erronea eruditio a doctis cumulata est; præsertim in disceptationibus de sexto Æneidos libro. Homerus, et poetæ qui immediate post eum vixerunt, regnum Hades, Aidis, Plutonis, Orci, in media locant terra; ibique pravos ac bonos promiscue esse asserunt, ut apud nos homines, exceptis tamen perpaucis qui diis infensi pœnas dent. Iidem docent, Tartarum, Titanum carcerem, tantum sub terra profunditatis habere, quantum cælum supra terram habet altitudinis. Elysium contra esse insulam in Oceano terram cingente; vel potius constare pluribus insulis, ubi quidam tantum, iique Jovis amicissimi habitent, immortalitatem consecuti. At postquam philosophia, audaciore conjectura, terram esse sphæram in vacuo natantem et libratam intellexisset, atque prævaluisset opinio de post mortem remuneratione, evanuit antiquus ille Tartarus. Tunc infernale regnum in terra, et a quibusdam in media terra statutum, et in Elysium et Tartarum divisum. (Georg. I, v. 243.) Illic a dextra, nobilissimi quique virtute et ingenio regionem colunt amœnissimam, quam vestit aer purus, astraque splendida illuminant : scelerati vero in gurgite includuntur, quem circumdant triplex murus, ignifer Phlegeton, et æstuans Acheron. Virgilius in Æn. lib. VI, 577 : « Tum Tartarus ipse Bis patet in præceps tantum, tenditque sub umbras, Quantus ad ætherium cæli suspectus Olympum. » Cui profunditati spatium excogitari non potest, nisi supponamus Virgilium communem opinionem esse secutum, scilicet terram esse planam ac rotundam, disco similem; cælum autem supra convexum, et in ejus vertice deorum esse sedem, cui nomen Olympus. *V. G.*

39. *Nec repetita sequi curet.* Ceres quum raptam a Plutone Proserpinam filiam diu quæsisset : tandem aliquando eam esse apud inferos comperit : pro qua re quum Jovis implorasset auxilium; ille respondit posse eam reverti, si nil apud inferos gustavisset. Illa autem jam Punici mali in Elysio grana gustaverat : quam rem Ascalaphus Stygis filius prodidit. Unde Proserpina ad superos remeare non potuit. Hinc ait Lucanus, lib. VI, 740 : *Quæ te detineant Ætnæa dapes.* Quam necessitatem modo Virgilius Proserpinæ tribuit voluntati. Sane Ceres a Jove postea meruisse dicitur, ut Proserpina sex esset cum matre mensibus, sex cum marito : quod ideo fingitur, quia Proserpina ipsa est, quæ et Luna, quæ toto anno sex mensibus crescit, sex deficit; scilicet per singulos menses quindenis diebus; ut crescens apud superos, deficiens apud inferos esse videatur : *Nec sequi curet Proserpina matrem,* ad admirationem Elysiorum posuit, quod matri prælati sunt. *Serv.* — Idem Lucanus loco citato addit plura de eadem; et alibi, lib. VI, 699 : *Cælum matremque perosa Per-*

repetentem sequi, da mihi cursum navigationis facilem; annue cœptis audacibus; una mecum in viam ingredere, miseratus agrestes ignaros viæ, et assuesce jam ut Deus vocari.

Pars prima. 43. Incipit primum præceptum ab aratione, quæ inchoanda incipiente vere: addit vero, tunc putandum

sephone: uterque poeta Proserpinæ voluntati tribuit, quod alii necessitati in inferis manendi.

40. *Da facilem cursum.* Meo scilicet poemati. — *Atque audacibus annue cœptis.* Verecunde suas vires extenuat, et commendat operis difficultatem dicendo *Audacibus.* S.

41. *Ignarosque viæ mecum miseratus agrestes Ingredere.* Aut viæ, id est, rationis, aut artis mecum ignaros miseratus rusticos juva; aut rusticis ignaris fave mecum, id est, quibus etiam ego his scriptis plurimum collocaturus sum.

42. *Et votis jam nunc assuesce vocari.* Id est, vivus adhuc: nam Augustus vivus divinos honores meruit. Inter mortales dum moraris, vota tibi, tanquam Deo, o Auguste, patiaris nuncupari ab agricolis. — *Jam nunc,* id est, continuo, nulla interjecta mora. Elegans est usus harum particularum pro *statim.*

43. Nunc agriculturam, hujus libri propositum, aggreditur; — Res ante sationem; initium arationis, vere novo, v. 43 et 64; nonnunquam in præcedente autumno; quod pro locorum habitu et cæli more fit. — Ver erat apud Romanos, a VII, vel VI ante Idus Februarias, ad VI ante idus Majas. Incipiebat enim zephyro, alias favonio, spirante, Georg. II, 330. — Verba *vere novo* non astrologorum more de certo ac præfinito die intelligenda; sed ita ut primos anni clementiores dies significent, qui, ut Col. II, 4, mense februario, nonnunquam idibus januariis, aratorem in pingues siccosque colles vocant. Plinius XVIII; 65, 2: « Neque enim eo die vocantur ad munia, quo favonius flare debeat, sed quo cœperit... Ab eo die, quisquis ille fecerit, quo flare ceperit, non utique VI Id. Februarii, sed sive ante, quando prævernat; sive post, quando hiemat. » *V. G.* — *Vere novo,* et anni initio accipiamus, et prima parte Veris. Nam anni quatuor sunt tempora divisa in ternos menses; qui ipsorum temporum talem faciunt discretionem: ut priore mense Ver novum dicatur; secundo adultum; tertio, præceps: sicut etiam Sallustius dicit, *ubique nova æstas, adulta, præceps.* Sic Autumnus novus, adultus, præceps. Item Hyems nova, adulta, præceps vel extrema: unde est, *Extremæ sub casum hyemis.* Sane sciendum Xenophontem scripsisse unum librum Œconomicum: cujus pars ultima agriculturam continet: de qua parte, multa ad suum hoc opus Virgilius transtulit; sicut etiam de Georgicis Magonis Afri, Catonis, Varronis, Ciceronis quoque libro tertio Œconomicorum, qui agriculturam continent. Nam primus præcepta habet, quemadmodum debeat materfamilias domi agere: secundus, quemadmodum foris paterfamilias. Illud quoque sciendum est, in his libris non esse obscuritatem in quæstionibus, sicut

ver incipere, quum nives in montibus solutæ, cadant in planum; quum terra flante zephyro sese laxet resolvatque putrefacta gleba: has duas notas agricola quum viderit, putet jam esse novum ver: tunc ergo taurus ingemat depresso altius aratro; tunc vomer splendescat attritus frequenti sulco: de-

in Æneide, nisi in paucis admodum locis. Sed in hoc tantum esse difficultatem, ut res positas intelligamus; id est, τὸ χείμενον; sicut hac prima quoque ejus præcepta significant. Nam hoc dicit agrum fertilem, id est, pinguem et herbosum, bis debere arari; semel verno tempore, ut et herbæ adhuc teneræ et sine semine avellantur; et æstatis calore, ut superfluus humor siccetur, vel glebarum putrefiat durities; et semel Autumnali arandum cum seminibus. Agrum vero tenuem et sterilem Autumnali tantum tempore arandum; ne si etiam Verno araveris, exiguus ejus humor siccetur æstate. *Serv.* — *Canis montibus.* Albis ex nive. Quod proprie competit capillis, qui *cani* sunt. Hic de nivibus, sic vice versa nives pro *canitie.* Horat. od. IV, 13: « Te quia rugæ Turpant, et capitis nives. » Idem de pratis od. I, 4: «Nec prata canis albicant pruinis.»

44. *Liquitur. Liquor* quum nomen est, *Li* brevis est: quum ad verbum venerit, producitur: ut liquor, liqueris, liquitur: nam mutavit naturam: sicut humus, *hu*, brevis est: humanus producitur. Item itur, *i* producitur: iturus corripitur. *Liquitur* autem, *defluit, resolvitur.* — *Et zephyro putris se gleba resolvit.* Quo tempore Favonii flatu arva laxantur, quæ fuerant præclusa frigoribus. Ipse alibi, *Rura gelu tunc claudit hyems. Putres* autem glebas, *solubiles*, quas tepor efficit et aratrum. *Serv.* — *Zephyro.* Latinum est vocabulum, Favonius. Plin. XVIII, 77: *Ipse leniter pluvius, tamen est siccior Favonius, ex adverso ejus ab æquinoctiali occasu, Zephyrus Græcis nominatus.* Gell. II, 22: *Favonius, qui Græce vocatur Ζέφυρος.* Ut Favonius a fovendo vel a favendo, sic Ζέφυρος, quasi ζωηφόρος, ut Voss. in Etym. Plauto in Mercat. V, 2, 35. *Ventus*, dicitur *serenus, faciens tranquillitatem.* Vel ut Colum. II, 21: *Favonius habetur eximius, qui lenis, æqualisque æstivis mensibus perflat. Veneris prænuntius appellatur.* Ut venuste Lucret. V, 736: « It Ver, et Venus, et Veneris prænuntius ante Pennatus graditur Zephyrus vestigia propter. » Terram, hiemis frigore clausam laxare solet, ut Lucretius lib. I, 11: « Nam simul ac species patefacta est verna diei; Et reserata viget genitabilis aura Favoni.»

45. *Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro Ingemere.* Aliud pendet ex alio; nam altius impressum aratrum boves cogit in gemitum: quod genus arationis, pingui convenit terræ; nam e contrario paulo post de infœcunda terra dicturus est; *Tenui sat erit suspendere sulco. Mihi* autem, aut vacat: Cicero; *Qui mihi accubantes in conviviis*: aut *Mihi*, id est, rustico, amanti terras. Et *Taurum* bovem fortissimum accipimus; nam tauri difficile ad aratra jungnntur. *Serv.* — *Jam tum.* Id est, ex eo temporis

mum sciat agrorum cultor præceptum hoc arationis ita esse necessarium, ut seges illa bona sit futura, responsuraque votis agricolæ, quantumvis avidi, quæ sæpius arata, et versata fuerit: quamobrem danda opera, ut ager novalis sit, alternis annis cesset, alternis seratur; atque inde fiet, ut bis frigora, bis solem sentiat, id est, bis *hyemem*, semel quum proscissus fuit anno ante sationem, et iterum post sementem factam; bis *æstatem*, semel qua cessat, et iterum altera sequentis anni qua fruges maturescunt. Sic enim opportunior erit occasio frequentius arandi, et sæpius iterandi; sic tellus erit soluta, laxata, putris.

puncto: Ciceronianum est. — *Ingemere* taurus dicitur, propter terræ spissitudinem: tenuem ac gracilem vaccis aut asinis aut mulis arare solent. *Et sulco attritus splendescere vomer.* Cato filio suo scripsit, illum esse *probum virum*, agricolamque perfectum, *cujus ferrea instrumenta splendescant.* V. G.

47. *Illa seges demum. Seges* modo terra, ut, *nec pecori opportuna seges. Demum*, novissime, vere, specialiter. — *Votis respondet.* Immane est, quod ait *Votis.* Nam plerumque plus optamus, quam speramus posse contingere. — *Respondet.* Aut satis faciet, aut consentiet; ut, *Dictis respondent cætera matris.* — *Avari.* Id est, quamvis avari, et plus est quam si dixisset, parci. Nigidius, *Quia qui parcior est, suo contentus est, quod avarus non facit.* Serv. — Solum spissum ter arandum est. Varro I, 29—34. Col. II, 4. Pallad. II, 8: VIII, XI. Primum vere novo, quod appellant proscindere; fit autem in aridis agris citius quam in uliginosis; ager ita proscissus *vervactum* dicitur; deinde ab aprili medio usque in solstitium, quantum fieri potest, agri in obliquum *iterandi* sunt; v. 97: denique circa solstitium auctumnale *tertiantur* agri, vel semine jacto arantur, quod *lirare, imporcare* dicitur,... id est, cum tabellis additis ad vomerem; simul et satum frumentum operiunt in porcis, et sulcant fossas, quibus pluvia aqua delabatur. Plinius paucis verbis eadem præcipit. « Aratione « per transversum iterata, occatio « sequitur, ubi res poscit, crate « vel rastro; et sato semine *itera-* « *tio* hæc quoque, ubi consuetudo « patitur, crate dentata vel tabula « aratro adnexa, (quod vocant li- « rare) operiente semina..... » Hic procul dubio verbum iteratio mendosum: sensus enim requirit, ut scribatur *tertiatio*, quæ emendatio præceptis Plinii et aliorum consentanea. *V. G.*

48. *Bis quæ solem, bis frigora sensit.* Theophrasto, *solem sentire* est ἡλιοθῆναι: frigora sentire, χειμασθῆναι. Ubertatem frugum proventuram maximam a novalibus, altero quæ anno cessant, et altero conseruntur, exserit Probus. De quarta aratione interpretatur Floridus Sabinus lect. subcis. II, 14. Recte quidem; nam secundum vulgarem agri colendi rationem, prima aratio instituebatur vere, quæ proscisio; secunda

5o. Poeta secundo præcepto monet, prædiscendum esse diligenti agricolæ, prius quam se ad arationis laborem com-

hanc excipiebat, quæ iteratio; et post eam tertia, quæ tertiatio dicebatur : et triplici hac aratione defuncti, satis terram exercitam existimabant : de his vide Varr. I, 29. Sed quarta aratio erat maximi momenti; non satis autem distincte hujus arationis describit tempora, quæ sic distribuenda censeo : post tonsas novales. Prima aratio ante hyemem, quam sequitur ver. ubi fit soli secunda proscissio, et *Taurus aratro ingemit;* sicut aratio ultima vel quarta, quæ sationi adjuncta pertinebat ad alteram hyemem. His duabus hibernis arationibus bis frigora sentiebat arvum, et bis solem seges æstate vervacti cessantis, et altera æstate quæ fruges maturat. Sic quatuor arationibus subactum intelligendum est illud solum, quod bis frigora, et bis calorem perpessurum est. Locum illum Virgilii, ita ut explicamus, interpretatos esse veteres agricolationis prudentes Plinius monstrat his verbis XVIII, 20. Quarto seri sulco Virgilius existimatur voluisse, quum dixit optimam esse segetem, quæ bis solem, bis frigora sensisset. Hunc sulcum Plinii quadruplicem quatuor verbis sequentibus ita puto designandum; ante primam hyemem terra *proscinditur :* initio veris sequentis iterum *perrumpitur;* æstate proxima *offringitur*, et per medium consequentis autumni cursum *liratur* ad sationem. (Vide Notas vol. I, p. 255 et 256.) Servius non recte locum hunc intellexit, qui refert *bis Solem, bis frigora sensit*, ad dierum calorem et noctium frigora, scilicet ad duplicem arationem, vernalem et autumnalem. Nostram interpretationem opinione confirmavit sua doctissimus et inter viros Galliarum senatorios academicosque celeberrimus Fr. De Neufchateau.

5o. *At prius ignotum ferro quam scindimus æquor.* Id est, ante quam faciamus vervactum. Si autem non *immensum*, sed *ignotum* legeris, nobis ignotum significat. *Æquor* autem modo terram accipe, ab æqualitate dictam, ut : *Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto.* Unde et maria, æquora dicunt. *Serv.* — Columella in operis præfatione requirit, ut perfectus agricola rerum naturæ sit sagacissimus; declinationum mundi non ignarus; ut exploratum habeat, quid cuique plagæ conveniet, quid repugnet; siderum ortus et occasus memoria repetat, ne imbribus ventisque imminentibus opera inchoet, laboremque frustretur; cæli et anni præsentis mores intueatur, neque enim semper eundem velut ex præscripto habitum gerunt : nec, omnibus annis, eodem vultu, venit æstas aut hiems; nec pluvium semper est ver, aut humidus autumnus : quæ prænoscere, sine lumine animi et sine exquisitissimis disciplinis, non quemquam posse crediderim : jam ipsa terræ varietas, et cujusque soli habitus, quid nobis neget, quid promittat, paucorum est discernere. — *ignotum æquor*, nuper emptum de quo Col. I, 4. ait : « nec contenti tamen auctoritate, vel priorum, vel præsentium colonorum, nostra prætermiserimus

paret, qui sint venti, qui mores, quod ingenium cœli ejus; deinde, qui cultus et habitus illorum locorum, id est, ut sese habeant illa loca quæ aranda, utque debeant coli : tertio, quid ferat quæque regio, quid non ferat.

54. Occasione præcedentis præcepti consumit versus sex in enumerandis variis terrarum moribus, primo generatim, deinde speciatim : generatim; nam sunt terræ præ aliis feliciores in ferendis segetibus, uvis, fructibus arborum, graminibus, aliisque herbis, quæ virescunt nulla cultura : speciatim; nam

exempla, novaque quæ tentaverimus experimenta. » *V. G.*

51. *Ventos.* Quia diversis locis diversi prævalent venti. Et hoc dicit; debes scire, cui vento ager subjaceat. — *Varium cœli prædiscere morem.* Id est, aeris. Lucret. IV, 133 : *in hoc cœlo qui dicitur aer.* Et hoc dicit; debes etiam cæli qualitatem nosse; utrum pluviis gaudeat, an tepore, vel frigore. *Serv.* — In quibusdam Columellæ codicibus legitur *proprium*, loco *varium;* sed hoc, ut videtur, e glossa insequentis verbi *patrios* in textum irrepsit.

52. *Patrios cultusque habitusque locorum.* Duas res dicit : sciendum est, et quemadmodum ager a majoribus cultus sit, et quid melius ferre consueverit; nam *habitus* locorum, possibilitates vel naturas accipiamus : quas Græci τὰς ἕξεις dicunt. Alii *patrios* naturales exponunt. *Serv.*

53. *Et quid quæque ferat regio.* Non omnis tellus omnia fert; vel, ut Noster, Ge. II, 109 : « Nec vero terræ ferre omnes omnia possunt. » Verum est illud, quod Plin. XVIII, 18; affirmat : *In omni quidem parte culturæ, sed in hac quidem, maxime valet oraculum illud : quid quæque regio patiatur.* Colum. I, 4, Maronem *verissimum vatem* ideo appellat, et tanquam oraculum laudat præceptum Maronis, quod tribus versibus 51, 52, et 53, continetur. *Emm.*

54. *Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ.* Q. Varronis de R. R. I, 7 : *Non enim eadem omnia in eodem agro recte possunt; nam ut alius est ad vitem appositus, alius ad frumentum, sic de cæteris alius ad aliam rem.* Attendendum igitur ad id, quod spondet soli natura, et quibus ferendis frugibus terra optime sit idonea; ut Salmas. in Plin. exercit; ad hunc sensum Maronis. p. 173. *Emm.*

55. *Arborei fœtus alibi.* Id est, poma. Et arboreum aliqui duobus modis accipiunt : aliter enim in Æneide de telo, *ingens, arboreum.* Cornificius, *ut folia quæ frugibus arboreis tegmina gignuntur.* — *Atque injussa virescunt Gramina.* Bene *injussa :* nam frumenta studio jussa nascuntur. Unde est : *Atque imperat arvis.* Et nunc hic unum alibi deest, ut fiat : *Atque alibi injussa virescunt gramina.* Serv.

56. *Nonne vides.* Aut Mæcenati dicit, aut potius rustico, et argumentatur quasi hoc dicens; si una provincia ferre non potest omnia, quanto magis unus ager? *Serv.*

est, calentibus ac fervidis, sparsas glebas: si vero solum sit infecundum, differatur aratio ad Septembrem, quo Arcturus exoritur; ac tum quidem tantum tellus suspendatur leviter, non invertatur; signeturque tenuis quidam sulcus, non vomer penitus penetret.

69. Reddit rationem superioris præcepti: pinguis tellus tota penitus invertenda est, quo melius eradicentur herbæ, quarum illa ferax est sua pinguedine, ac sic tota pernicies agrorum evertatur: macrum solum arandum est, et leviter, et post æstatem, ne humor exiguus siccetur, deseratque terram illam, seu potius arenam sterilem.

71. Tertium præceptum. Si idem velis, fingit se loqui cum agricola, ut votis tuis respondeat proventus, patere ut tellus

ne solis ardore siccetur: Col. II, 4: « Exilis ager planus, qui aquis abundat, primum aretur ultima in parte mensis Augusti; subinde septembri sit iteratus, paratusque sementi circa æquinoctium. » — Graciles clivi non sunt æstate arandi, sed circa septembres Kalendas; quoniam, si ante hoc tempus proscinditur, effœta et sine succo humus æstivo sole peruritur, nullasque virium reliquias habet. Itaque optime inter Kalendas et Idus septembris aratur, ac subinde iteratur, ut primis pluviis æquinoctialibus conseri possit; neque in lira, sed sub sulco talis ager seminandus est. Videatur Pallad. lib. IX, 1; X, 1. *V. G.*

68. *Sub ipsum Arcturum.* Id est autumnali tempore, quo Arcturus oritur: et sciendum quod *sub* præpositio, quando tempus significat, accusativo gaudet; ut hoc loco *Sub arcturum*, id est, circa arcturum: item, *Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese:* et, *Sub noctem cura recursat:* Et item, *Sub lucem exportant calathis.* Hoc autem est tum quum jam pluere compertum. Arcturus enim pluviarum et tempestatum sydus est. Arcturus autem idem Arctophylax, quia post Ursæ caudam locatus sit. Item Bootes, quod boves cum plaustro agat: alii Arcadem fuisse filium Calistonis et Jovis dicunt, qui quum matrem in figuram ursæ ira Junonis transfiguratam vellet occidere, ambosa Jove in cælum esse translatos; ille Arcturus; illa Helice dicta. Alii Icarum hunc volunt esse, qui a pastoribus, quos vino tunc primum reperto, ebrios fecerat, veluti dato veneno, occisus est. Oritur autem idem Arcturus ante XV. Cal. Octobr. atque exinde pluviæ incipiunt, quod ipse aperuit, dicendo: *Hic sterilem exiguus ne deserat humor arenam.* Arcturum autem pluviarum et tempestatum esse auctorem et Plautus ostendit in Rudente, quum eundem ipsum dicentem facit: *Increpui hybernum, et fluctus movi maritimos. Vehemens sum exoriens: quum occido, vehementior.* Ipsius manu adjecti sunt deletis duobus, quorum alter totus legi potuit: *Illic, officiant segetes ne frugibus illis;* ex altero hoc tantum, *ne deserat humor arenam.* Serv.

tonsa, jam demessa, fiat novalis, id est, cesset alternis annis; durescatque campus situ, alterni anni segnitie.

73. Præceptum hoc dirigitur ad agricolas, quibus non ita multa terrarum spatia, ut possint partem serere, partem relinquere ad agrum novalem: dicit itaque, ut loco cessationis ager seratur jam farre, id est, frumento; jam aut legumine aliquo, aut vicia, aut lupino; et seratur sub alio sidere, alia tempestate anni; nam aliud tempus frumenta, aliud legumina requirunt ad seminationem: sic ager quietem habebit, si non semper frumenta accipiat: legumen vocat lætum, cui sua siliqua, id est, vagina, et folliculus quassat, sonat, crepitat: viciam tenuem, ut vere est: lupinum tristem, perquam op-

73. *Aut ibi flava seres mutato sidere farra.* Si te terrarum cogit angustia, et non habes, ubi intermisso agro rursus seras, ibi frumenta seras, unde legumina sustulisti: aut si tibi est opus frumento, stercora sparge, et cinerem; vel incende stipulas. *Serv.* — *Mutato sidere.* Id est, alia anni tempestate; non altero anno, ut Heynius, post Servium. Poscit enim quodque frugum genus proprium sidus. Vide 208, ad 230. Vox *sidus*, non magis *solem*, quam *sirium*, quem pro sole accipi volunt, designat. *Farra* frumentum, speltæ genus inter triticum et hordeum medium, apud Romanos valde commune. Ei nomen adoreum, et ab antiquissimis temporibus ad pultem adhibebatur et globulos farinaceos. *V. G.*

74. *Lætum legumen.* Fertile. Et *lætus*, prout res fuerit, accipimus; ut *lætus homo*, id est, *hilaris: lætum pecus*, id est, *pingue: lætum* legumen, ut diximus, *fertile;* et sic in reliquis. — *Siliqua.* Id est, theca leguminis, vel folliculo, intra quem legumina nascuntur. — *Quassante.* Id est, quassa; quæ sonat quum quassatur. Cæcilius, *Si quassante capite tristes incedunt.* Plautus, *Capitibus quassantibus.* — *Legumen. Legumen* dicitur quod *manu legitur,* nec sectionem requirit. Frumenta vero sunt omnia quæ ex se emittunt aristas: nam quod supra ait *farra*, frumenta accipimus; species enim est pro genere. *Far* proprie genus est frumenti optimi. Dicitur *frumentum a frumine, quod est gulæ prominens pars.* Serv.

75. *Aut tenues fœtus viciæ.* Mire ait *tenues;* nam vicia vix ad triplicem pervenit fructum, quum alia legumina proventum habeant felicissimum et fertilem. Inter illa legumina, quæ juvant agros, et stercorationis vim habent, *vicia* et *lupini* numerantur, ut Colum. II, 14: *Saserna* putat *stercorari et juvari agros lupino, faba, vicia, ervo, lente, cicercula, piso.* — *Tristisque lupini.* Amari; quum in gustu sit amarum triste: nam incoctus amarus est. Ennius: *Neque ille triste quæritat sinapi.* In ea notione occurrit apud Nostrum Ge. II, 126: « Media fert tristes succos, tardumque saporem. » Ovid. de Ponto III, 1, 23: « Tristia per vacuos horrent absinthia campos. » Sic Lucret. *Liquor tristis absinthii.* ἀπὸ

time; nam acri amaritudine vultum degustantis contristat; dat illi fragilitatem calamorum, sylvam sonantem : omnia ornate.

77. Ita tibi concedo hanc veniam serendi alternis annis jam frumenta, jam legumina quædam; et tenues fructus; ut tamen nolim seras linum, avenam, papaver, quod perfusum est somno lethæo : istæ enim segetes malæ sunt, terramque urunt. Sed hanc veniam tibi do, quia alternis frugibus serendis labor est facillimus, dummodo tibi non sit pudor, o agricola,

τῆς λύπης, *quia*, teste Isidoro XVII, 4 : *vultum gustantis amaritudine contristant.* Recte docet Plinius XVIII, 14; et XVII, 9; *Pinguescere hoc satu arva et vineas.* Ex lupinis nummi conficiebantur, *aurum*, nempe, *comicum*, cujus usus fuit in comœdiis, ut id constat ex Plauti Pœnul. III, 2. Ag. *Agite, inspicite : aurum est.* Co. *Profecto, spectatores, Comicum : Macerato hoc pingues fiunt auro in barbaria boves.* Inde facile capimus Horatii mentem, et triti illius proverbii, quod Ep. I, 7, 23 : « Nec tamen ignorat, quid distent æra lupinis. » Id est, quid discriminis sit inter probæ monetæ numos, et adulterinos.

77. *Urit enim lini campum seges.* Bene excerpsit hæc tria, linum, avenas, papaver : et dicit post hæc, frumenta serenda non esse : nam licet manu legantur, et sint inter legumina, viribus tamen frumentis exæquantur. Cœlius libro tertio seri avenam ostendit; sed videtur Poeta velut interrogatus, cur linum et quæ sequuntur dicit non seri debere; respondisse, urit enim : quia *enim* causalis conjunctio est. *Serv.* — Idem asserit Plin. XVII, 7. *Virgilius et lino segetem exuri, et papavere arbitratur.* Colum. II, 14, nominat *virus lini* ob fervidam naturam. — Veteres delicatiore lana vestiti linum non multum colebant : tunc e lino navium vela et retia texebantur, vestesque sacerdotum, quibus non sat puræ ovinæ pelles : præterea adhibebatur ad mappas, tegumenta ornatusque mulierum; neque lævigatum, sed hirsutum et villosum. *V. G.*

78. *Lethæo perfusa papavera somno.* Plena oblivionis : nam Ceres, Jove admonente, dicitur cibo papaveris, orbitatis oblita, (et re vera papaver gignit soporem) quum jam Proserpinam raptam a Plutone ex inferno recipere non potuisset. *S.* — *Lethæus somnus* hic pro *arctissimo somno* ponitur, qui ab usu papaveris proficiscitur, unde Noster Ge. IV, 545. *Læthea papavera*; et Æneid. IV, 486 : *Soporiferum papaver.* Horat. Epod. XIV : « Pocula Lethæos ut si ducentia somnos Arente fauce traxerim. » — Papavera et in hortis et in agris æque colebantur, tum quo flores venumdari possent, tum quo prodessent apibus, Ecl. II, 47. Albi papaveris semen cum melle apponi solebat in cœna : papavere, ut cibo ad concoquendum facillimo, panem veteres spargebant; et Opium e nigro conficiebant papavere. *V. G.*

79. *Alternis facilis labor.* Redit rursus ad præceptum, quod scit

fimo pingui arida sola saturare; et per agros effœtos, lassatos, jactare cinerem qui salibus occultis eos renovet et reficiat. Hoc modo reparabis languentem et deficientem terram, si nequeas agrum anno cessantem habere. Nunc concludit hanc seminum et frugum mutationem instar quietis esse, et terram multo fecundiorem fore, si fimum, aut *lupinum*, ut ait Varro, lib. I, cap. 23, *et nonnunquam fabalia, si ager macrior est, pro stercore* INARARE solitus fueris.

esse præcipuum, id est, ad intermissionem. — *Alternis.* Intermissis : subaudi *agris.* — *Facilis.* Utilis. *Serv.*

80. *Ne saturare fimo pingui pudeat sola.* Verum est de fimo præceptum Theophrasti II, 8 : ὅτι κόπρος οὔτε πᾶσιν ὁμοίως, οὐδ' ἀεὶ τὰ αὐτὰ πᾶσιν ἁρμόττει. Sed omnia tamen arva stercoratione juvanda sunt, si luculentos ex agris fructus sperare velimus. Cato c. 5 : monet *villici esse officium, studere ut magnum semper habeat sterquilinium.* Varro de R. R. I, 38; de usu et discrimine fimi. Palladius I, 33; et accuratissime omnium Colum. II, 15. *Emm.* — Etsi alternis frugibus solum plus minusve interquiescat, tamen insuper stercorandum est, quo facilius ferat. Hoc modo, perinde ac si otiosa mansisset, terra recreabitur et annuum exhibebit proventum : hæc interpretatio sola cum antecedentibus et sequentibus æque congruit : itaque interpretatio, quæ plerumque vocem *alternis* ad cultus cessationem refert, et Bersmanni interpretatio quæ eandem de mutatione lini, avenæ, et papaveris intelligit, omnino evanescunt; præsertim quum nostra opinioni Columellæ consentanea sit; vide lib. II, 14. Romani, quibus stercus valde curæ erat, Deum *stercutium*, *stercutum*, vel *sterquilinium* venerabantur, quod cognomen est Saturni rustici, ut quidam volunt. *V. G.*

81. *Effœtos per agros.* Continua fertilitate lassatos; sicut etiam frequenti partu effœta dicitur mulier. — *Cinerem immundum.* Ad discretionem illius, quo utuntur puellæ; de quibus cineribus in Bucolicis : *Fer cineres Amarylli foras.* Serv. — Cineribus pro fimo usos fuisse veteres, constat ex Plin. XVII, 5 : *Transpadanis cineris usus adeo placet, ut anteponant fimo jumentorum; quod quia levissimum est, ob id exurunt.* Columell. II, 15 : *Quin etiam satis profuit cineris usus et favillæ.* Didym. Geop. XII, 4, pariter usum cineris laudat. *V. G.*

82. *Mutatis fœtibus.* Ut omni anno proferant, sed diversa; nam eadem ferre semper non possunt, nisi intermittant. — *Requiescunt arva.* Non etiam roborantur : quod intermissio efficit arationis : quam rem rursus repetit dicendo. — *Nec nulla interea est inaratæ gratia terræ.* Id est, maxima; nam Liptotes figura est, id est, maxima et præcipua : ut : *Munera nec sperno.* — *Inaratæ.* Non satæ; unde est illud; *Alternis idem tonsas cessare novales.* — *Nec nulla interea est inaratæ gratia terræ.* Hujus versus ambiguæ falsæque interpretationes causam habent, quod sumatur ple-

84. Adhibuit poeta duos modos, quibus terra languens, et effœta exueret senectutem, juventutem indueret; jam tertium adhibet de crematione agrorum, ac simul caussas quatuor, quibus excogitata hæc ratio telluris reparandæ. Hoc quintum præceptum continetur versibus decem : profuit sæpe flammis incendere agros, profuit stipulam; illos, quia steriles; hanc, quia levis et vana; frustra enim uratur ager fertilis : epithetum flammarum vive rem explicat : uruntur calami agrorum cum sonitu et crepitu : quidquod versus mire properat, imitans celeritatem flammæ comprehendentis messem : sequitur prima ratio, cur excogitata hæc medela; quia tellus novas vires, et pabula concipit ex cinere : altera; quia vitium, hu-

rumque, *nec nulla*, pro *aliqua*; ita ut sit mitigatio verbi maxima : hic vero τὸ *nec* totam regit phrasin : *Gratia terræ*, utilitas ex agro percipienda : ager enim, quasi gratias agat, laboris maximam mercedem dat. Col. II, 27. *V. G.*

Nullus interpres mihi videtur totum introspexisse sensum vocabuli *inaratæ* : fere omnes dixerunt, *non satæ* terræ, *cessantis uno anno* inter hos Ruæus, et Cl. *Potier* : Cerda, *pluribus annis* : Servius; *quæ est pabulo pecoribus*, forte quia *non arantur* pascua. Verum vir celeberrimus, jam supra citatus ad vers. 48, de hoc mihi dubiam admodum mentem fecit, his fere verbis mecum disserendo : « Virgilius laudavit *alternam novalium cessationem* et *segnis campi situm*, vers. 71 et 72; deinde transit ad seminum mutationem, et ad stercorationem agrorum, 73.... 83; qui versus nihil aliud tractant, et ad extremum concludunt, arva mutatione seminum requiescere, et terram *inaratam* maximo valere proventu : ex quo inferendum est aliquid stercorationis τῷ *inaratæ* significari. Nomenclator agriculturæ, (*le Père d'Acquin*) ait : « *inarare*, est arando fimum, stercus, vel aliud quidpiam pro fimo adaggerare, et terræ miscere, » quod confirmant Varro lib. I, 23 : Columella lib. II, cap. 5, 9, 10 et 16. Ergo non hic de vervactis aut novalibus agitur; namque ad illa necessitate nulla rediret poeta; « sed de fimo, cineribus et plantis quas arvorum sulci pro stercore includunt. » Judicent peritiores.

84. *Incendere profuit agros.* Non agros, sed ea quæ in agris sunt; id est, stipulas vel quisquilias : hoc est purgamenta terrarum, et alia inutilia concremare : nam ut videmus, si in agris qui incendendi sunt, desint stipulæ; aliunde illuc nutrimenta portantur incendii. — Agricola Romanus stipulam nonnunquam ad medium usque calamum, vel ad ipsam spicam, in agris relinquebat, vide infra 289 : hujus incendio macra terra succum comparat. — Tum motu suo, tum sono, hic versus ignis crepitum imitatur. Ovid. Metam. lib. I, 492 : « Utque leves stipulæ demptis adolentur Aristis. » Stipulæ incendium in Italia adhuc usitatum, et in Gallia meridionali; ibi enim magna stramenti abundantia. *V. G.*

86. *Sive inde occultas vires. Inde*, id est, ex igni; *occultas* autem, ar-

morque inutilis excoquitur, exsudat, consumitur: tertia; laxatur fortasse tellus, et aperit spiramenta, meatus quosdam, quibus succus latens intus in visceribus ad herbas perveniat. Quarta superiori contraria; adstringitur fortasse tellus, obdurescit magis, occludit meatus, ne pluviæ, quæ tenuitate sua penetrat, herbas perdant; ne Solis vis adurat; ne frigus Boreæ penetrantis.

94. Memineris poetam a præcepto arationis, divertisse ad agrum novalem, et inde ad triplicem modum, quibus ager reddi quodammodo novalis queat, videlicet mutationem seminum, stercorationem, crematione: ergo ab hoc diverticulo redit ad modos alios, quibus parari tellus debeat: qui rastris, inquit, confringit glebas inertes, nam, quamdiu integræ, inertes sunt, otiosæ, inutiles; qui trahit crates factas ex vimine; hic vehementer prodest arvis; huic Ceres Dea frugum fa-

cana quadam ratione celatas. In hoc autem sensu sequitur Heracliti opinionem, qui dicit omnia ex igne procreari: quem nunc terris alimenta præbere commemorat. *Serv.*

88. *Vitium.* Quod fecunditatem impedit. — *Exsudat inutilis humor.* Nove locutus est; nam non ipse humor, sed terra desudat; unde *exsudat* pro exsudatur accipimus. *S.*

92. *Ne tenues pluviæ*, quæ tenuem reddunt terram et sterilem, quia diluunt humi succos, et in venarum interiora præcipites agunt, vel dissolutos aquis fervido Soli *rapiendis* et siccandis parant. — *Rapidi potentia Solis*, qui, vel tanto impetu fertur, ut celeritatem ejus ne cogitare quidem possimus; vel humorem terrarum ad se rapit et exhaurit. — *Boreæ frigus penetrabile*, quod omnia facile penetrat, præsertim laxata *spiramenta et venas hiantes.* — *Adurat*: et ad Solem et ad frigus pertinet. Vide Aristot. Meteor. lib. IV. Lucanus, lib. IV, 52; *urebant montana nives.* Tacit. Annal. lib. XIII; *ambusti artus vi frigoris.* Justinus de Scythis; *con-*

tinuis frigoribus uruntur. Cicero Tuscul. II, 40: *venatores in nive, in montibus se uri patiuntur.* Vide notas Heynii, (vol. I, p. 262 et seq.) qui severior in hunc Virgilii locum, invenit fortasse duriorem censorem, cujus animadversiones, si *penetrabili* telo læserint interpretem, *potenter* laudes meritas poetæ vindicant. (V. C. Potier, *Hermes Classicus*, n° II, p. 104—107.)

94. *Multum adeo.* Ordo; multum adeo juvat arva. — *Glebas inertes.* Pigras, nihil creantes, nisi resolvantur in pulverem. — *Glebas qui frangit.* Occationis descriptio, quæ Græcis βωλοκοπία: quibus et glebarum illa inversio, id est, *repastinatio* βωλοστροφία dicitur. *T.*

96. *Flava Ceres. Flava* dicitur propter aristarum colorem in maturitate. — *Alto Olympo.* Aut poetice dictum de cælo, illi favere Cererem, aut vere altam segetem esse, non paleis tantum inanem, sed gravem frumento; nam ideo *flava Ceres*: et Ceres nomen est quod in polysyllabis in nominativo singulari producit ultimam,

vebit, ut non cessatori: hic item mire arvis prodest, qui non contentus semel arasse, suscitasse terga, sulcos formasse, iterum invertit omnia, oblique arat, tellurem exercet, agris imperat, et veluti cogit ad fœnus: et illud est sextum præceptum.

PARS SECUNDA. 100. Post præcepta parandæ terræ, arandi soli, mutandi variis seminibus, stercorandi, urendi, occandi, obliquandi, quum ad sementem pergat, quæ est libri hujus pars secunda, initium sumit a votis et precibus agricolarum, suadetque, ut petant a Diis, quæ non ex illis, sed ex cælo pendent: quasi dicat: orate, quæ non potestis facere: sed quid tandem debent orare? ut æstates, quas signat per solstitia, humidæ sint, ut hyemes, serenæ: reddit rationem; quia si hyems sit serena et pulverea, farra quæ sata sunt, erunt lætissima; ager lætissimus: confirmat exemplo Mœsiæ, et Gargari, hunc in modum: Mœsia nullo cultu, et labore tantum se jactat, quantum, si sit hyems serena, æstas humida;

quum in obliquis corripiat — *Nequicquam*. Id est, Non sine caussa. Nam semper duæ negativæ unam confirmativam faciunt. — *Neque illum nequicquam spectat Ceres*. Periphrasis ubertatis, ex caussa efficiente, quæ putabatur Ceres. Credebat enim vetustas, Numinis blandiorem aspectum, tristioremve aut aversum, bonam malamve caussari fortunam. Hinc formulæ illæ, *Deus nos respexit*, id est, opem tulit. Inde et Romæ colebatur *Fortuna* cognomine *Respiciens*.

97. *Et qui, proscisso quæ s. æ. t.* Propria voce usus est; quum enim primo agri arantur, quando duri sunt, *proscindi* dicuntur, quum iterantur *obfringi*; quum tertiantur, *lirari*. Serv. — *Terga*. Νῶτα: imitatione Græcorum, id est, supinas glebas. Pind. Pyth. Od. 4: ἀναβολαχίας δ' ὀργυιὰν σχίζε νῶτον γᾶς. Id est: *Findebat tergum terræ sursum glebas attollentis ad profunditatem orgyæ*. Taubm.

98. *Rursus in obliquum verso perrumpit aratro*. Scilicet autumnali tempore, quo jam cum seminibus aratur. Nam hoc præcipit, ut quum denuo aramus, tunc per obliquum aratra ducamus. Nemo enim uno tempore bis arat. *Serv.*

99. *Atque imperat arvis*. Heynius hæc otiosa judicavit, vol. I, pag. 264; sed immerito: nam hujus Clausulæ metaphora significanter indicat supremum illud *imperium*, quod acer colonus exercet arando, frangendo, vertendo, rumpendo agros, quos jure *sua regna* vocat.

100. *Humida solstitia atque hiemes orate serenas Agricolæ*. Solstitium ἐπλῆς pro æstivo, cui opponitur *hibernum*, quod proprie *bruma*, qua nox est longissima, et dies brevissimus, ut contra fit in solstitio, quod incidit in ultimum mensem Junium, ut Colum. II, 4, IX, 14; vel ut Servius octavo Kal. Juliarum die. De *solstitio* et *bruma* sic Cic. de nat. Deor. II, 19: *Solis accessus, discessusque solstitiis, brumisque cognosci*. Ut hoc loco Nos-

non tantum prodest cultus et labor, quantum hyems serena, æstas humida Gargara etiam, quum hoc accidit, messes suas mirantur, ut insolitas: itaque posuit votum; reddidit rationem voti; votum exemplo confirmavit.

104. Superiora pendebant ex precibus; jam quæ sequuntur ex labore agricolarum, ad quem redit; dixerat: juvat arva, qui glebas confringit, qui trahit crates, qui arata obliquat; quæ tria intelligantur ante semen jactum: quid dicam, ait, quantum ille arva adjuvet, qui cominus, statim post jactum semen arva insequitur, et persequitur, ut acer et diligens hostis; qui ruit, evertit, in agro non pingui, cumulos arenarum (sunt hi qui attolluntur aratro inter sulcos), ut tellus æquata contineat semen æquabiliter in gremio? ac deinde, satæ jam terræ copiosam aquam inducit, quæ sequatur per rivulos: etenim per fluvium signat ubertatem aquarum; per rivos sequentes, ductus ipsos: porro hæc duo præcepta con-

ter, sic Juvenalis *solstitium* et *hiemes* tanquam opposita citat, Sat. IV, 92: « Sic multas hiemes atque octogesima vidit Solstitia. » Quemadmodum solstitia humida siccitatem, fruges enecantem, averruncant, et temperata pluvia segetum uberrimum proventum promittit; sic *hiemes serenæ*, id est, *frigidæ*, ut Sabinus, satis mirum in modum prosunt. Plinium, XVII, 2, et 12; XVIII, 17; hanc sententiam Maronis labefactantem, Cerda refutat.

103. *Et mirantur Gargara messes.* Phantasia est poetica, rei inanimatæ sensum dare: sic alibi: *Miraturque novas frondes, et non sua poma.*

104. *Quid dicam.* Oratorium schema quædam recusare, quasi non sufficiat materiæ, deinde referre: Et quid dicam, quemadmodum juvat arva, qui insequitur? *Serv.* — Varro, de R. R. lib. I, 29: « tertio « quum arant jacto semine, lirare « dicuntur: id est, cum tabellis « additis ad vomerem simul, et satum frumentum operiunt in porcis, et sulcant fossas, quo pluvia aqua delabatur. » — *Cominus.* Statim post liras sulcant, ne siccentur sole glebæ. *V. G.*

105. *Insequitur.* Prosequitur, et non sinit quiescere. — *Ruit.* Evertit, dissipat; nam modo agentis est; ut: *Una Eurusque, Notusque ruunt;* nam aliter dictum est: *Ruit alto a culmine Troja.* Serv. — *Arena*, dicitur elementum cujuscunque Soli, Georg. II, 139; vel pinguis, vel etiam duri: vide Georg. IV, 291; ubi Nili inundatione advectus limus, nigra vocatur arena. — Male pinguis quia difficilior aratu. Sic Horatius; *male salsus:* et Ovidius, *male sedulus.* V. G.

106. *Deinde satis fluvium inducit, rivosque sequentis.* Post commemoratam generalem agriculturam, transit ad species et culturas venientes ex tempore. Nam arare, cinerem jacere, incendere æstivum est: irrigare autem nonnisi nimiæ siccitatis est; sicut et siccas

tenta his tribus versibus, videntur pertinere ad solum sterile.

107. Occasione superioris præcepti de rivis inducendis, consumit versus quatuor in re hac festiviter describenda : ecce, quum ager exuritur, æstuatque herbis morientibus, diligens agricola elicit undam ex supercilio, cacumine in quo est trames clivosus, molliter, et leviter fastigiatus, per quem unda deducatur : cadens illa commovet raucum murmur per saxa lævia, et suis scatebris; atque ebullitionibus temperat arva arida.

111. Juvantur arva ab illo, qui pecus inducit in sata, et illius dente depascit luxuriantem, exuberantemque segetem,

re etiam, aut ex magnis pluviis, aut ex flumipis eruptione compellimur. — *Satis.* Segetibus, agris satis, id est, seminatis : nam participium est *Serv.* — Theophrastus : περὶ φυτῶν ἱστορίας lib. III. ἔοικε δὲ ἡ μετὰ τῶν ποταμῶν ἔφοδος ἐπάγειν σπέρματα καὶ καρπούς. Videnda Homerica comparatio in Iliade, Φ, 257 : ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ ὀχετηγὸς, etc. *Ursinus.*

107. *Exustus ager morientibus.* Scilicet æstatis calore : secundum Pythagoricos, qui dicunt omne, quod crescit, animam habere : unde est : *Atque interfice messes.* Serv.

108. *Ecce.* Inopinatam exprimit rapiditatem. Vide infra hujus libri vs. 407 et passim. — *Clivosi tramitis;* viæ qua decurrit aqua, cui ager aperitur. — *Supercilio.* Altitudine, summitate terrarum. Alii *supercilia* loca in obliquum delineata, quæ superne habeant alia fastigia. Hanc metaphoram Latini a Græcis ducunt, qui pari lepore verticem quoque et culmen quodvis ὀφρὺν nominant. Eadem locutio usitata, ad significandas ripas, et aggeres fluviorum, quod ex Polyb. Hist. lib. II; notavit Victor XXII, 14. Certe in Ammiano nihil frequentius hac locutione, *supercilium Rheni, Rhodani, Danubii, etc.*

109. *Elicit.* Ab eliciendo, et apud antiquos, hodieque in aliquibus provinciis, Elyces appellantur sulci ampliores, ad siccandos agros ducti; unde Poeta ipso verbo uti voluit : nam et scrutatores vel repertores aquarum aquilices dicuntur; (barinulas dixerunt.) *Serv.* — Dactylus *elicit*, et choriambus *illa cadens*, consonantibus suis et sono sequentium pedum, mirum in modum aquæ cadentis murmur imitantur. *V. G.*

110. *Scatebris.* Ebullitionibus, quæ fiunt quum aqua in aliquas rimas defluxerit. Unde etiam vasa æstuantia scaturire dicuntur. Unde vulgo vasa, ubi calida solet fieri, scutræ appellantur. *Serv.*

112. *Luxuriem segetum*, Bene *luxuriem*, ut ostendat rem superfluam, et nocituram nisi amputetur, officere; et bene, luxuriem pascit, non segetem. — *Luxuriem.* Agris, plantis, arboribus competit hoc vocabulum. Non. Marcellus c. 4; appellat *intempestivam abundantiam.* Col. V, 6 : *Quum vitis prævalens in luxuriam evagatur* : id est, abundantius palmites emittit, quæ in eodem cap. dicitur *vitis luxuriosa.* Elegans est locus Ciceronis de Orat. II, 96 : *in qua nunc interdum, ut in herbis rustici solen*

quum illa est adhuc tenera, et tantum sulcos æquat; præcavendo, ne postea culmi onerati fertilitate procumbant: præceptum hoc pertinet ad terram fertilem: sequens de paludibus ad omnem tellurem. Ab illo item juvantur, qui deducit ex arena bibula, dicta sic est a bibendo, humorem paludis collectum, præsertim si amnes abundent, et obducto limo omnia oppleantur in mensibus anni incertis, vernis; nam vere, quum seges in herba tenera est, incerti sunt calores, incerta frigora, incertæ tempestates: hyems certo frigori destinatur, æstas certo calori: ex qua aquarum abundantia solent lacunæ exsistere, unde fit ut sata compleantur nocua et pestifera uligine.

118. Quum mala, quæ dixi, experti sæpe sint et homines, et boves terram arantes, sciendum tamen, præter illa, dam-

dicere, in summa ubertate inest luxuries quædam, quæ stylo depascenda est. — In fertilibus regionibus, ne in altum cresceret stipula, herbam pecori depascendam dabant, vel succidebant, quod Plinius Theophrasto consentiens, lib. XVIII, 43, testatur; eodem libro, c. 50, dicit: « sunt genera terræ, quorum ubertas pectinari segetem in herba cogat; (cratis dentatæ stilis ferreis) eademque nihilominus et depascuntur: quæ depasta sunt sarculo iterum excitari necessarium. »—Babylone, inquit Theophrastus, bis herba metenda, et tunc oves adducendæ. Nihilominus pigro agricolæ terra reddit quinquagesima; solerti, centesima fruge fenus. Comes *de Stelberg* in fine mensis Martii equos vidit tritici campum ad Neapolim depascentes. *V. G.*

113. *Quique paludis.* Et hic, juvat arva, qui *Deducit;* siccat, detrahit, *Bibula arena,* quia omnis arena bibula est, et absorbet. *Collectum humorem,* qui sparsus per sabulum paulatim exarescit. Hoc sumptum est ex Lucretio, cujus versus est in lib. II: « Litoris incurvi bibulam lavit æquor arenam. »

115. *Præsertim incertis,* etc. *Incertos menses* vocat vernos, quibus abundant et exeunt flumina, ex regelatione nivium, quæ montibus descendunt. De autumni mensibus accipi non posse, certum est; nam modo dixit segetis adolescentis *Luxuriem* in *herba tenera* depasci; quod veri tantum convenit.

117. *Unde.* Ex quo, vel ob quam rem. — *Lacunæ.* Sunt fossæ, in quibus collecta aqua stare consuevit; quasi lacus minores: verum agiturne de fossis, quæ arva dividentes, aquis implentur? an de cavitatibus, quæ pluviæ cadentis impetu, aut aquarum stagnantium mole fiunt in agris? Lacunæ humorem exhalant tepidum, quia imbres vernos *mensibus incertis* succedens æstas fervida coquit et dissipat.

118. *Nec tamen, hæc quum sint,* etc. Hic enumerantur res quæ segeti nocent; scil. aves, herbæ inutiles, umbra, robigo, siccitas. — Excursus de aurea ætate, cui Jupiter finem imposuit, 125—159. *In hac*

num quoque esse ab ansere, qui improbus, avidus, insatiabilis; a gruibus, quæ ad nos ventitant ex Strymone fluvio Thraciæ; ab intybis, quæ sunt amaris fibris, radicibus; ab umbra, quæ omnino nocua, et exitialis.

121. Posuerat in præcedentibus versibus pestes agrorum, has nunc confert in divinum Numen: nam ipse Jupiter, noluit hanc viam, rationemque colendi agri facilem esse mortalibus: primus omnium artem invenit agriculturæ, nam pater agros movit, arari fecit, acuens homines hac cura, neque patiens torpere illos veterno, inertia, ignavia, segnitie.

125. Ante Jovem, et sub Saturno nulli erant agricolæ: po-

periodo vocabulum *nec*, perinde ac supra versu 83, integram negat phrasin. *V. G.* — Et hoc dicit; licet hæc omnia, quæ dixi, arando sint experti et hominum et boum labores; tamen sunt adhuc aliqua, quæ obsunt, nisi provideris.

119. *Improbus anser.* Quem nunquam capit ulla satietas pabuli; sed aviditate nimia semper flagrat vorandi: *Voraces enim sunt natura*, ut Columella III, 10. Eleganter dicitur *improbus* de procacibus, qui postulant, ea, quæ sibi non debentur. Phædrus II, 1: *Improbum rejecit*, id est, prædatorem, qui partem impudenti ore postulabat dejecti juvenci. Sic apud Eundem I, 5: *Fauce improba*, *improbitas.* — Anser non solum rostri morsu plantarum radices lædit, aut evellit; sed etiam suo lætamine, id est, stercore, satis messibus nocet.

120. *Strymoniæque grues.* Thraciæ, a fluvio vel lacu Strymone, qui fuit circa Amphipolim civitatem. — *Et amaris intyba fibris.* Donatus intyba dicit cicorea, quorum radices multæ et tenues ambiunt segetes et necant. *Fibris* autem abusive ait, quod radices intyborum hac atque illac decurrant, ut fibræ per jecur, id est, venæ quædam ac nervi. Alii fibras proprie dicunt rei cujusque extremitates, sicut Cicero in Gabinium, *Fibræ cincinnorum madentes*: Et in Tusculanis: *Non solum ramos amputare miseriarum, sed omnes radicum fibras evellere.* Unde et jecineris extremæ partes fibræ a nonnullis appellantur. Bene ergo Virgilius intyborum, vel radicum, vel foliorum extremitates fibras dixit. *Serv.*

121. *Pater.* Eo nomine passim a Poetis Jupiter. Græce πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

123. *Movit agros curis acuens mortalia corda.* Dicturus est, Jovem fecisse multa, quæ possunt in vituperationem venire: et ea hoc colore defendit, quod dicat voluisse eum ingenium mortalibus ex necessitate præstare, ne torperent otio, quod ex rerum abundantia procreatur. Et movit agros, tanquam ipse colat agros, ut, *ille colit terras;* vel movit, id est, jussit coli, ut est terram vertere: *curis* vero sollicitudinibus. *Serv.*

125. *Ante Jovem.* Ante regnum Jovis. De aureo sæculo, quod, Saturno imperante, floruit, pleni sunt poetarum libri. Noster Ecl. IV, Tibull. I, 3. Ovid. in princi-

nebatur in crimine signare, aut partiri limite aliquo campum suum : nullus erat peculiaris quæstus, sed in medium omnia afferebant, et in medium, in commune, et veluti e publico quærebant : tellus vero libere admodum ferebat omnia, nullis ligonibus icta, nullis aratris percussa : a nemine reditus poscebatur; ipsa nihil debebat, et dabat omnia.

129. Quid vero fecit Jupiter? invexit mortalibus labores multos : erant sub Saturno serpentes et lupi innocui; quietum mare; arbores mellibus plenæ; ignis obvius quocunque loco ad usus mortalium; fluvii vino scatebant : ergo Jupiter addidit virus malum noxiumque serpentibus, qui ideo atri, quia jam pleni veneno : lupis furorem ad prædam : commovit mare procellosis turbinibus, fecit, ut tumesceret, moveretur, agitareturque tempestatibus : decussit mella ex arboribus : ignem e medio removit, occultavitque in venis silicum : repressit vina fluviorum.

pio lib. I. Met. Hesiod. ἔργ, et præcipue Lucret. lib. V.

126. *Nec signare quidem.* Lapidibus, postibus, arboribus, similibusque pro terminis Romani utebantur; agros etiam viis, aut fossis definiebant : aliæ ab Oriente occidentem versus; aliæ autem a septentrione meridiem versus tendunt. Majori viæ de oriente in occidentem nomen erat *limes decumanus*, isque 40 pedes latus : via transversalis latitudine 20 pedum de septentrione versus meridiem tendebat, dicebaturque *Cardo* : hæ viæ erant publicæ : intervalla præterea dividebant *limites lineares*, vel subruncivi, latitudine 4 aut 8 pedum : et horum quintus quisque, 12 pedes latus, dicebatur *actuarius limes*. *V. G.*

128. *Omnia liberius.* Quia supra ait : *Atque imperat arvis.* Alii *liberius*, pro liberalius accipiunt : bene : tunc enim libere cuncta sponte sua tellus ferebat. — *Nullo poscente.* Id est, nullo imperante. Nam teste Donato ad Ter. Andr. II, 5, 11. *Petimus precario, poscimus imperiose, postulamus jure.*

129. *Ille.* Jupiter scilicet adeptus imperium. *Malum virus.* Bene ad discretionem epitheton adjecit. Nam *virus* et bonum et malum est, sicut venenum : nam idem est. Venit autem a Græco; nam illi φάρμακον medium habent, id est, bonum et malum. Sane *virus* hodie tres tantum habet casus : hoc virus, hocvirus, o virus. Antiqui, hujus *viri*, dicebant. Lucret. II, 475 : *tetri primordia viri.* Nonnunquam pro fœtore ponitur virus, ut apud Lucilium, *anseris herbilis virus. Addidit* aut abundat, aut *addidit*, quia habebant ante nonnihil veneni. — *Atris.* Modo noxiis, id est, ad tenebras et mortem mittentibus. *Serv.*

130. *Prædarique lupos jussit.* Ut ipsi prædas faciant, quod eorum natura est; non, ut ipsi capiantur, quemadmodum conjicit Servius. — *Pontumque moveri.* Ventis scilicet

133. Reddit rationem, quæ Jovem ad hanc rem compulit : ut usus mortalium meditando, ipsa exercitatione, et assuetudine, fabricando, extunderet varias artes; atque ut e sulcis labore proprio frumenta quæreret; et ut ictibus ignem excuteret latentem in silice : *Frumenti herba* est, ipsum frumentum non adultum, sed in herba tantum.

136. Quum Jovem ea mens compulerit ad varios labores mortalibus inferendos, ut illi pressi rerum penuria artes invenirent, explicat late perversus undecim artes, quas homines invenerint, non omnes, quod immensum esset, sed quinque tantum; videlicet, Nauticam, Astronomicam, Venationem, Piscationem, Ferrariam : ergo invenere homines Nauticam, quia in cavatis arboribus cœpta sunt navigari flumina, nondum se hominibus credentibus mari : invenere Astronomicam; nam, quum e fluminibus vellent gradum facere ad naviganda maria, oportuit ut nauta cælum cognosceret; is itaque stellis fecit numeros, et nomina, numeravit, et nominavit stellas,

atque tempestatibus. Cicero : *Mare movetur ventis, ne putescat.*

134. *Quæreret.* Id est, ipse usus; et *quæreret*, quasi adhuc quod non esset, id est, quasi intus in sulcis quæreret. *Serv.* — *Quæreret*, eodem sensu apud Lucretium lib. V, 214; et apud Ciceronem, Orat. contra. Rull. I, 94; *nihil ferendo*, nisi *multa cultura et* magno *labore quæsitum* : etiam Justinus dixit, XLIV, 4 : *frumenta sulco quærere. V. G.*

136. *Alnos.* Arboris species, et per hoc lyntres fluviales ostendit. Alludit ad scaphas, παρὰ τὸ σκάπτειν dictas : quod primum grandiora tantum robora atque solida excavari solebant.

137. *Navita.* Pro nauta : sicut Mavors pro Mars. — *Numeros et nomina fecit. Numeros*, aut currendi modos, id est, ortus et occasus : quod si est, quasi rem philosophorum prætermisit : nam tantum de nominibus dicit, ut Plejadas, Hyadas : aut certe revera ait *numeros;* nam Hipparchus scripsit de signis; et commemoravit etiam, unumquodque signum quot claras, quot fecundæ lucis, quot obscuras stellas habeat : secundum quod bene commemoratis signis, quasi notum, stellarum numerum prætermisit : aut *numeros*, quia Septemtrionem dicimus. *Nomina fecit* vero, notamina : Plautus in Menechmis : *Juventus fecit nomen Pœniculo mihi.* Et in eo quod dicit nautam stellis numeros et nomina fecisse : significat necessitate quærendarum rerum; quæ ante sponte sua cunctis proveniebant, homines navigandi peritiam et studium reperisse : et ex eo quod sequitur, id quod præcedit ostendit. Navigandi quippe peritiam, sequitur studium motus et rationes siderum cognoscendi, propter tempestatem maris, et ventorum motus. *Serv.* — *Stellis nomina fecit.* Sic Ovid. I, Trist. I, 90 : Icariis nomina fecit aquis. *Em.*

videlicet, Pleiadas, Hyadas, Arcton claram Lycaonis : invenere Venationem, quia laqueos ad feras captandas, viscum ad aviculas; præterea circumdedere canibus saltus : invenere Piscationem; quæ etiam a fluminibus incepit, inventa funda, verberante aquas, et ad ima fluvii descendente, quia globu-

138. *Pleiadas.* Navigationis constellatio septem constat stellis, prope tauri collum positis : vocantur *Pleiades*, apud Romanos *Vergiliæ*, vel *veris stellæ* : adducit enim ver earam ortus; oriuntur inter X kal. Maias; et VI idus Maias : occidunt inter XIII kalendas, et VI, vel III idus novemb. — *Hyades*, pluvialis constellatio, cujus ortus inter Nonas Maias, ac XIII kalendas junii, pluviæ prænuncius est. Romani agricolæ, similitudine nominis cum verbo Græco ὗε, sus, decepti, Hyadas Suculas appellabant. — *Arctos*, major Ursa, Helice, septemtrio, plaustrum. Quam lucidam constellationem Græci navigatores sequebantur; Phœnices contra Cynosuram, ursam minorem, ut polo propinquiorem Ovid. Fast. III, 107 : « Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur Sidoniis, Elicen Graia carina notet. » *V. G.*

139. *Tum laqueis captare feras, et fallere visco, Inventum. Captare*, occupare velle, et unus sensus est divisus interpositione alterius; nam *laqueis captare feras*, ad venationem pertinet; id est, illaqueare feras incurvatis arboribus : *fallere visco*, ad aucupium : Item ad venationem : *Et magnos canibus circumdare saltus.* Primo de nautis, et navigio invento : postea de venatione dixit : mox de piscatoribus loquetur : cuncta enim hæc necessitas invenit. *Serv.* — Romani et Græci communi consensu Aristæum retia invenisse agnoscunt. — *Viscus* e baccis cujusdam plantæ quæ radicibus carens in arborum ramis invenitur. *V. G.*

140. *Magnos canibus circumdare saltus.* Ita Ecl. X, 56 : « non me ulla vetabunt Frigora, Parthenios canibus circumdare saltus : » Quod autem nos *circumdare*, Græci περισκυλλεύεσθαι, quo verbo usus est Demosthenes in Phil. I; metaphora sumpta a venatoribus qui, ne feræ elabantur, per vias omnes, atque per omnia effugia silvarum retia circumferunt. Hic pro retibus canes *circumdant*, quia eorum est tanta velocitas, ut currendo feras ex ambitu nemorum exire prohibeant; abire parantes et agitatas intra saltus repellant; atque omnes abitus undequaque latratibus dentibusque exertis clausos et quasi custodia coronatos tueantur.

141. *Atque alius latum funda jam verberat.* Ordo est; jam alius et funda : genus est retis, dictum a fundendo, id est, jaculum quod dicitur βόλος : unde piscator talis, ἰχθυοβόλος, *jaculator* Plauto dictus; et sic dicitur ad differentiam *Verriculi*, quod non jacitur, sed verritur, trahitur : unde et piscator ipse ἰχθυολαύς vocatur : de quo sequens versus capiatur, ubi *lina* sunt linea retia; ut Græcis ὑγρὰ λίνα; et *trahit* recte, quia hoc genus retis *tragum* vocatur.

142. Quidam verba *alta petens*, cum sequentibus jungi volunt, sed

lis plumbeis tota circum munita est, quæ deinde progressa est ad mare invento verriculo, quo mare verritur, et trahuntur pisces (verriculum enim lineum signat per lina), invenere Ferrariam, nam exstitit rigor, durities ferri, et lamina, unde facta est serra arguta (sic dicitur a stridore, et fragore, ut *arguta* sit, stridens, perstrepens) ad scindenda ligna, primi enim mortales cuneis scindebant; denique artes variæ exstitere : nam quid non labor vincat, qui improbus est? quid non egestas, quæ urget mirum in modum, quum res sunt duræ, tenues, angustæ, adversæ, afflictæ, asperæ, occisæ.

perperam, et contra verborum seriem. — Sunt qui legant *funda latum;* inversio minime probanda, et asperitate soni, propter sequens *jam,* omnino rejicienda. — Hic errare mihi videntur et Servius et ipse Heynius, qui de maris piscatione intelligunt *alta petens:* (vide notam 139, et Var. Lect. p. 270; vol. I.) quidquid ibi de mutata interpunctione, et *audacia* piscatorum inveneris, non stare potest contra simplicem hunc explicationem : primum fluvios alius funda dejecta *verberat,* sed ita ut *altum, imum* amnis fundum extensa *petat,* ad involvendos colligendosque pisces : Gallice : *jeter l'épervier.* Deinde alius, per maria cymbula vectus, longa retia sub undis explicat, et sive piscibus plena, sive vacua, sed semper humida extrahit. Gallice : *traîner, tirer la seine. V. G.*

143. *Ferri rigor.* Duritiès ferri, unde *enses rigidi* fierent. Ars indurandi ferri, et sub hac specie artes metallicæ omnes exprimuntur. — *Argutæ serræ.* Stridulæ, sonoræ, ut *arguto pectine.* Lamina autem serræ, definitio : portio metalli diductior tenuiorque; crassior tamen bractea. De quo Valla IV, 74. Plinius etiam *fagi sectiles lamiuas* dixit. — *Ferri rigor :* imitatio Lucretii, I, 493; qui scripsit, *auri rigor.* — Ovid. Metam. VIII, 244, Dædali nepotem *serram* invenisse dicit : ille etiam medio spinas in pisce notatas traxit in exemplum, ferroque incidit acuto perpetuos dentes, et serræ repperit usum. *V. G.*

145. *Tum variæ venere artes.* Ex necessitate scilicet diversarum rerum, quibus homines cœperunt egere. — *Labor improbus.* Vel magnus, vel nulli probabilis; nullus est enim amator laboris : vel indefessus, adsiduus, sine moderamine. Ut hanc vocem interpretatur Salmas. in Plinian. exercit. p. 368 : *Laborem improbum,* Lucretius appellat *eximium, præstantem,* in initio lib. II : « Noctes atque dies niti præstante labore. » Duas inventarum disciplinarum causas enarrat, diligentiam, et paupertatem, de qua post. Sæculo aureo artes necdum erant excogitatæ. — Decepti serie narrationis librarii quidam, loco *vincit* scripserunt *vicit;* sed *vincit,* quod Pierius in Mediceo codice réperit, in optimis adest codicibus. *V. G.*

146. *Et duris urguens in rebus egestas.* Pejor est egestas, quam paupertas; paupertas enim hones-

PARS TERTIA. 147. Est jam in tertia parte hujus libri, quam breviter expedit: agit de origine agricolationis: sed ita hæc pars discreta a superiore, ut ab ea pendeat: nam quum concluserit, inventas fuisse artes ad tolerandam inopiam: ait jam, agriculturam quoque manasse ex eodem fonte. Ergo Ceres prima omnium instituit (ut quæ Legifera, Θεσμοφόρος) mortales arare terram: quo instrumento? ferro, quia vomer ferreus. Addit deinde tempus, quo accidit inventum hoc Cereris: nimirum, quum glandes, atque arbuta sylvæ Dodonæ, quæ sacra Jovi, defecerunt; ac perinde ea negavit victum mortalibus.

150. Sed ecce labor, qui comes semper felicitatis, additus est frumentis, ut primum illa inventa sunt: explicat signanter, qui sint hi labores; videlicet, rubigo, quæ mala, quæ edit adultos culmos: carduus, qui segnis, inutilis, infecundus, qui in arvis horret suis aculeis: ad hæc, segetes ipsæ sæpe moriuntur, succeditque in agris sylva pestium aspera, et lappæ, et tribuli; præterea lolium, atque avenæ; illud infelix, istæ steriles: quæ pestes nitentem segetem defrugant, virtutem terræ adimunt, et tanquam tyranni impotentissimi dominantur.

ta esse potest. Egestas autem turpis est. Persius, in Prol.: *Magister artis ingenique largitor Venter, negatas artifex sequi voces.* Serv. — Multa hominem fames docet, et paupertas experiri jubet, ut P. Syrus. Imo ut Horat. Od. III, 24: « Magnum pauperies opprobrium jubet, Quidvis et facere, et pati. » Et Epist. II, 2, 51: « Paupertas impulit audax Ut versus facerem. » Manil. lib. I: « Et labor ingenium miseris dedit, et sua quemque Advigilare sibi jussit fortuna premendo. »

148. *Quum jam glandes atque arbuta*, etc. Fritschii exemplum secutus. verbum *glandes*, (proprie mala silvestria significans) ad arbuti unedonis fructum volui extendere: hæc arbor semper viridis in Italia invenitur: arbutum æstate vel autumno maturescit: flava, vel rubræ fragæ simile est: sed paulo majus, et a pauperibus comeditur. Dioscorides ait, arbutum stomacho esse grave caputque dolore afficere. Plinius id cum *unedone* quadam mespili specie confundit. Unedo appellatur, quia plus una non edi potest. Vide Ovid. Met. I, 103. *V. G.*

151. *Robigo.* Pulvisculus, glutinosus, flavum rubens, qui plantas rodit. Arboribus est exitio et vitibus: si frigore evenit, *uredo* dicitur; si calore, *carbunculus*: Gallice: *nielle.* Hæc verba tamen nonnunquam promiscue sumuntur. Deo agresti Robigo, ut alii volunt, deæ Rubigini, VII ante kalendas Maii ex Numæ institutione sacra habebantur. Huic Deo rubrum canem sacrificabant; quippe ejus

155. Ergo quisquis es, agricola, nisi cum his tyrannis confligas valide, actum de te est: docet vero uti pugnandum, et quibus armis: insectanda est tellus, et rastris assiduis: terrendæ aves, et sonitu lapidis, fundæ, cymbalorum: umbræ ruris comprimendæ, et exscindenda sylva, quæ est circa rus, idque falce ferrea: demum vocanda pluvia a Diis, et hoc votis: hæc nisi feceris, frustra alienos acervos spectabis, et ipse glande victitare cogeris.

Placet Virgilius semper, et cur placeat sæpe ignoratur: in rebus quatuor recensendis nunquam pluralem cum plurali, neque singularem cum singulari, quod minus ad varietatem: sed semper cum singulari pluralem: unica terra multis rastris insectanda est, unica pluvia multis votis petenda: contra, multæ aves terrendæ unico sonitu, multæ umbræ unica falce compescendæ.

Pars Quarta. 160. Hæc pars tota de instrumento rustico habetur: primis duobus versibus rem proponit, se dicturum de instrumentis, nam hæc sunt arma, agricolarum; non de omnibus, sed de illis tantum, sine quibus messes nequeunt, aut seri, aut surgere.

diei vespere, Canis stella occidit, cujus vi frumentum et vineæ, in vallibus vento carentibus, robigine interibant. *V. G.*

155. *Quod nisi et assiduis terram insectabere rastris.* Jam concludit, et hoc dicit: nisi sæpe sarrieris; propter illud: *Et amaris intyba fibris Officiunt:* nisi aves fugaveris; propter illud: *Improbus anser, Strymoniæque grues:* nisi falce amputaveris ramos; propter illud: *Aut umbra nocet:* nisi votis invocaveris pluvias; propter: *Humida solstitia, atque hyemes orate serenas:* sine causa ingentes frumenti alieni acervos aspicies. Per quod ostendit rusticum sua inertia famem, non anni vitio, sustinere: sane ad illud rettulit, quod supra ait, *in medium quærebant*, at nunc sibi quisque, nec ad nos pertinet acervus alienus. — *Rastris.* Sarculis. — Qui prædia minora, multos vero servos habebant, agros eadem cura quam hortos expurgabant. Col. II, 12: Plin. XVIII, 50; frumentum antequam herba in articulum eat, vel statim transacto æquinoctio verno, sarriendum esse sarculo aut rastro, et tunc segetes terra permota obruendas, ut fruticare possint; deinde iterum sarriendum esse. Denique aiunt runcationem esse sarritioni subjungendam, idque ante florentem segetem, aut mox quum defloruerit, faciendum. *V. G.* — *Premes umbras.* Id est, ramos arborum, incumbentes segetibus, amputans. *S.*

160. *Dicendum, et quæ sint duris agrestibus arma.* Quasi: magnum opus aggredior; ut, nunc veneranda Pales. — *Duris*, quia in labore durant. — *Arma.* Id est, instrumenta; ut alibi, *Cerealiaque*

162. Sequuntur instrumenta, jam quæ ad arationem pertinent, jam quæ ad messem: ad arationem exhibet quatuor, vomerem, aratrum, rastros, crates: ad messem totidem, plaustra, tribula, trabeas, vannum: exornat ista more poetico. Primum omnium est vomis, et robur grave aratri inflexi, perinde ac si dicat; aratrum robustum, atque inflexum, cui sit vomis ad proscindendam terram.

163. Ait necessaria esse plaustra, quæ in usu matris Eleusinæ, id est, Cereris; quæ tarda, et cum molimine sese convolvunt. Adjungit tribula, et trabeas; rastros etiam quibus magnum pondus; nam hoc est iniquum. Dicit necessariam esse agricolæ vilem virgeamque supellectilem Celei; postea explicat, quæ sit vilis hæc et virgea supellex, videlicet crates, quæ fiunt ex arbuto; et vannus, cujus fuit usus in sacris mysticis Bacchi.

arma. Serv. — *Arma.* Etiam Græcos ὅπλα pro cujusvis opificii instrumentis accipere Eustath. auctor est.

163. *Tardaque Eleusinæ matris volventia plaustra. Eleusin* civitas est Atticæ provinciæ, haud longe ab Athenis: in qua quum regnaret Celeus, et Cererem, filiam quærentem, liberalissime suscepisset hospitio, illa pro remuneratione ostendit ei omne genus agriculturæ: filium etiam ejus Triptolemum recens natum per noctem igne fovit; per diem divino lacte nutrivit: et eum alatis serpentibus superpositum, per totum orbem misit, ad usum frumentorum hominibus indicandum. *Volventia* autem *plaustra*, id est, volubilia: *Eleusinæ matris*, id est, qualia ostendit Ceres apud Eleusina; aut certe, qualibus mater deum colitur; nam ipsa est etiam Ceres. Romæ quoque sacra hujus de plaustris vehi consueverant: *volventia* autem quæ volvuntur, quod venit a volvo, non volvor. *Serv.*

165. *Virgea præterea Celei vilisque supellex.* Id est, vasa de vimine; qualia Ceres Celeo aliquando monstravit: ut qualos, corbes, et cætera: *vilis* autem supellex, quoniam de genistis, vel junco, vel alba vite solent fieri: sane hæc, et corbis, dicendum est fœminino genere, secundum Tullium, qui ait, in Sestiana: *Messoria se corbe contexit. Supellex* autem usurpatum est; nam artis est, hæc supellectilis: Genitivus enim aut par debet esse nominativo, aut una syllaba major, ut musa, musæ: doctor, doctoris. Si duabus majorem invenerimus, contra artem id esse, manifestum est: ut anceps, præceps, et pauca alia. *Serv.*

166. *Mystica vannus Iacchi. Vannus*, cribrum Cereale, sive ventilabrum, quo frumenti retrimenta ad ventulum excutiuntur et evannantur. J. Philargyrius ait: *Vannus* est vas vimineum latum, in quod propter capacitatem rustici congerere frugum primitias solent, et Libero sacrum facere: unde *mys-*

167. Non vult agricolam quærere instrumentum, tunc quum necessarium est, sed ut multo ante memor sit, provideatque, et reponat in futurum, quæ necessaria sunt; si affectat gloriam, et laudem ex re agresti: rus divinum est, quod Diis charum, quodque in eorum tutela.

169. Quum potissimum, et maximum instrumentum agricolarum sit aratrum, assumit latam ejus descriptionem, et hanc per partes: itaque enumerat burim, temonem, aures, dentale, jugum, stivam. In his jam materiam, jam formam, jam utrumque simul persequitur: ergo ulmus vi magna domatur flexa in burim, in usum buris, ac tum perinde accipit formam curvi aratri: est buris curvamen illud, quod excipit vomerem: male cum temone alii, alii cum stiva confundunt: et hoc signate fiat in sylvis: jubet, ut diligens agricola, ulmum inflectat, vel ramum ejus aliquem hærentem adhuc in sylvis: clarius: hærentem ulmum in terra, neque evulsam, ut sic continuo, per annos plures dometur, crescatque cum eo vitio, ut mox apta sit ad burim. Buri annectitur temo, qui excurrit protenditurque in altum per pedes octo, ab stirpe;

tica dicitur. Alii ex eo, quod Isis fratrem *Osirin*, id est, Bacchum, a Typhone fratre in frustra quinque et viginti discerptum, vanno collegit, i. e. cribro, ut hac de causa forte adhibita sit vannus in mysticis et arcanis et Bacchi sacris.

168. *Si te digna manet d. g. r.* Id est, si te capit dignitas ruris, vel agri colendi gloria. *Serv.* — *Divinum* appellat rus, quod id Dii, et olim, et nunc, præsentia sua, maximis afficiant honoribus et beneficiis.

169. *Continuo.* Principio, statim, aut priusquam agriculturam cœperis. — *Vi.* Virtute. — *Domatur.* Usui servire cogitur. *Serv.*

170. *In burim.* In curvaturam, nam *buris* est curvamentum aratri, dictum quasi βοὸς οὐρά, quod sit in similitudinem caudæ bovis. Alii buram curvaturam temonis quæ supra est, et quod est infra, urvum dicunt; buris enim ut curvetur, ante igni domatur et amburitur; unde et quæ naturaliter inveniuntur curvæ, ita dicuntur. *Serv.* — Apud Græcos, ut refert Hesiodus, ἔργ. 427, *buris*, γύης, erat lignum iligneum, natura curvum, quod non sine multo labore quærebatur. *Buris* sæpe cum temone eodem ligno continuata; amboque nomine *buris* adpellabantur. Varro L. L. IV, Ed. Bip. p. 38; ait, temonis partem, inter boves positam, a nomine boum buram dici; a quibusdam vero propter formam *urnam* appellari; at secundum Servium *urnum* tantum de buris parte inferiori dicitur; et apud Virgilium angustiore sensu intelligendum est, ut nihil nisi illud incurvatum lignum significet. *V. G.*

171. *Huic.* Aratro scilicet. — *A stirpe.* A radice, vel ima *buris* summitate. — *Temo.* Ad quem ligan-

vel ab ima parte ipsius temonis, qua inseritur huri, vel potius ab ipsa buris curvatura, quæ soli tangit superficiem.

172. Aptantur aures binæ, aptantur dentalia, quibus duplex dorsum : sunt dentalia, quæ supra se suscipiunt vomer, vel junguntur boves. — Lignum, quod ad jugum inter equos vel boves excurrit. — *Pedes protentus in octo.* Subaudi aptatur. *S.*

172. *Binæ.* Duæ, quibus latior sulcus efficiatur. — *Duplici dorso.* Aut lato; ut Ge. III, 87. *At duplex agitur per lumbos spina :* aut re vera *duplici*, cujus utrumque eminet latus : nam fere hujusmodi sunt omnes vomeres in Italia. — *Huic a stirpe.* Huic ulmo a stirpe *temo* adaptatur : is octo pedum longus, buris cum temone vocatur *ῥυμός*, inferiori buris parti adhæret. — *Dentale*, Græce *ἴλυμα*, lignum cui vomer insertus, et post eum in sulco succedens. Dentale, inquit Servius, est lignum ad quod vomer includitur : et in Persii Sat. I, 73, legimus de Cincinnato hæc verba; *sulco terens dentalia.* Dentale, a verbo *dens* derivatum, quo formam denticulatam modo vomeris, modo dentalis designant. Festus sulcum circum condendæ urbis spatium ductum comparat eum incurvatione quam efficit buris cum dente aut dentali, cui vomer insertus. Et Varro quum, vomer quid sit, jam explicuerit, dentem indicat, ut partem separatam, et terras mordentem.

Dentale, duplex habet dorsum; duobus enim constat cruribus, quæ acute in vomerem convergentia, in parte opposita disjuncta sunt. Servii testimonium dicentis, in Italia esse dentalia duplicia, confirmatur peregrinatorum relationibus. — Apud Græcos *temo*, *buris*, et *dentale*, sæpe ex uno ac eodem ligno facta, (*αὐτόγυον ἄροτρον*); sæpius vero, ut in Hesiodi lib. Iit. 435, e tribus diversis lignis (*πηκτὸν ἄροτρον*). Dentali, aut duplici, aut simplici, sed acuminato vomer adaptatur, de quo Virgilius hic nihil; non enim nisi de ligneis aratri partibus agit.

Vomer vel inseritur (Cato 135, vomis indutilis); vel alligatur; ita aliquoties ut deflectatur (Resupinus, uncus vomer.) Plinius XVIII, 48, inquit : « Vomerum plura ge-« nera : culter vocatur, prædensam, priusquam proscindatur, « terram secans, futurisque sulcis « vestigia præscribens incisuris, « quas resupinus in arando mordeat vomer. Alterum genus est « vulgare, rostrati vectis; (id est, « cui dentale longius porrectum in « acutum vomerem desinit.) Tertium in solo facili, nec toto porrectum dentali, sed exigua cuspide in rostro. Latior hæc quarto « generi, et acutior in mucronem « fastigata, eodemque gladio scindens solum, et acie laterum ra-« dices herbarum secans. » Hoc est genus a Columella lib. II, 2, laudatum : confutat enim Celsum, qui exiguis vomeribus arandum esse censet : ejusmodi vomeres solutam terram arboribusque viduam vertere possunt; radices vero arborum in Italiæ pingui solo secare nequeunt. Quintum denique Plinius genus addit : « non pridem in-« ventum in Rhetia Galliæ, ut duas « adderent alii rotulas, quod genus

rem. Hæc, quia lata esse debent, videntur habere duplex dorsum.

173. Demum ait, ad jugum aptam esse tiliam, ut quæ levis, ne suo pondere boves fatiget; aptam etiam fagum: pars extrema aratri, stiva est: est hæc manica, cujus ope vomer infixus solo, dirigitur, sublevatur, altius imprimitur et circumflectitur arbitrio coloni, qui omnes motus aratri, nunc *imos* vel summos, nunc rectos aut obliquos *cursus*, a *tergo*, id est, extremitate buris *torquet*, et manibus ad arbitrium regit.

« vocant planarati, cuspis effigiem « palæ habet: serunt ita non nisi « culta terra, et fere nova. Latitu- « do vomeris cespites versat. Se- « men protinus injiciunt, crates- « que dentatas supertrahunt: nec « sarrienda sunt hoc modo sata. »

Hinc sequitur Romanorum vulgare aratrum non versavisse cespites, sed instar ligonis tantum fodisse; ne illud quidem majori et acutiori vomere instructum, cujus latera herbarum radices secabant. Hac de causa Columella II, 2; ait, « bubulcum per proscissum ingredi oportere, alternisque versibus obliquum tenere aratrum, et alternis recto plenoque sulcare: sed ita necubi crudum solum et immotum relinquat, quod agricolæ *scamnum* vocant. » Hac eadem de causa ait Cato in Originibus, (vide infra notam Servii, Æneid. V, 755;) « Eos qui condituri erant civitates, dum futuræ urbis spatium sulco includerent, tenere stivam aratri obliquam, ut glebæ omnes intrinsecus caderent. » Illud solo vomere, et duplici dentali effici poterat; nec *aure*, vel tabula opus erat. *Aures* sunt tabulæ duæ, *buri* adaptatæ, ac dentalis lateribus: hæ neque ad proscindendum, neque ad vertendum solum adhibebantur, sed ad liras vel etiam colliquias sulcandas. (Vide supra a versu 47—104): vide Varronem, I, 29; et Palladium I, 43.

Non depingit Virgilius aratrum vulgare, forma simplex; sed aratrum, omnibus ad majorem culturam pertinentibus instructum ligneisque *auribus* ad lirandum. *V. G.*

173. *Jugo.* Id est, ad jugum. — *Levis.* Ideo levis, ne boves laborent. *Serv.*

174. *Stiva.* Manica aratri, qua regitur gubernaculum. — *Currus imos. Currus* autem dixit, propter morem provinciæ suæ, in qua aratra habent rotas, quibus juvantur. *Serv.* — Vir Clarissimus Voss. suis notis ad hunc locum adnexuit tabulam, quæ plura exhibet aratra, varie *aurita*, dentalibus alia simplicibus, alia duplicibus armata, et vomere vel lato vel acuminato instructa, sed omnia, præter unum Virgilio alienum, *rotis* et cultro *carentia*: eadem excerpsit e veteribus nummis celeberrimus Grævius in sua Hesiodi editione. Constat etiam *Dentale* apud Tarentinos sæpe onerari perforato lapide, quem trajicit *stiva*, id est manubrium, quo regitur aratrum Unde libentius, pace Servii et aliorum, concludam, non hic legendum esse *currus imos*, sed *cursus*, ut ferunt duo antiquissimi Biblio-

175. Nam suspensa ad fumum robora, si rimas non faciunt, apta sunt conficiendo aratro: ergo, fumus exploret robora, examinet. Hic per *robora* accipio quamvis robustam materiam, non signatam speciem, sicuti supra, *grave robur aratri:* nam poeta jam ulmum pro materia assignavit.

176. Instrumentis rusticis annectit, uti paranda area: præmisso procœmiolo: possum, inquit, o agricola, referre, revocare tibi in memoriam præcepta veterum magistrorum rei

thecæ Regiæ codices, inscripti 7925 et 7926. Itaque geminam hanc explicationem legentibus proponendam censui: 1° Agricola stivam manibus tenens, postquam longum ad extremitatem agri sulcum perduxerit, flectit et *torquet* boves aratrumque *a tergo*, ab extrema ejus parte, ad alium sulcum de integro perficiendum, donec totum incœptæ arationis opus absolverit: quisque sulcus pars est *percurrendi* laboris; et sulci confecti finis est *cursus* extremus, vel *imus:* nam Cicero, pro Rosc. Com. 20, *imos* ungues; Horatius, Art. Poet. 32, *imum* fabrum, in extrema vici parte habitantem; Ovidius de Nuce, 62, quæ *imum* agelli *fundum* habet, et prætereuntibus per vias proximum; Plinius *imum* pedem, II, 45; eodem sensu, quo Græci ἰσχατιὰν, quo Noster *imos cursus*, dixerunt? 2° *Stiva*, quæ fortiter comprehensa manibus agricolæ, regit postremam aratri partem, *a tergo* boum, ab extremitate temonis inserti buræ; et nunc in rectum vel in obliquum, nunc ad summum vel in *imum* solum, aratri vomerem *torquet*, flectit, sublevat, imprimit; unde hæc omnia potuit vocare poeta *cursus imos*.

Quemcumque sensum tuearis, illud antiquis nummis, et Varronis atque Columellæ silentio constat, *rotis* caruisse Virgilianum aratrum, et quum nulli sint sine rotis *currus*, lectionem *imos cursus* alteri præferendam.

Idem vir clarissimus, cujus sententiam ad vers. 48 supra memoravi, hæc omnia confirmando addit, hodie etiam videri in australibus Galliarum provinciis multa ejusmodi aratra sine *rotis*, et qualia Romani quondam huc attulerunt.

175. *Suspensa focis explorat robora fumus.* Probatæ enim soliditatis sunt ligna, si in fumo minime rimas effecerint; namque ad exsudandum fumum adhibita, si rimas faciunt et scissuras, mala sunt et infirma. *Serv.* — Non tantum ad probandum, sed ad indurandum lignum, in fumo suspendebatur, quemadmodum apud Hesiod. in Ἔργ. 405, et 627, πηδάλιον, clavus navis, confecta navigatione, ne putredine conficeritur. Ad quem locum vide Cl. Grævium. *Emm.*

176. *Possum multa tibi veterum.* Doctrinam suam commendat; *veterum* autem, ut Hesiodi, qui primus de agricultura scripsit, aut aliorum antiquorum: *tibi* autem, id est, o Mecænas, inquit; vel, o agricola, hoc est enim *tibi*. Serv. — *Veterum*. Varro I, 1; Rei rusticæ Scriptores plus quinquaginta recenset, Græcos omnes, aut in Græcam linguam conversos; qui-

rusticæ, nisi refugis, nisi te piget tenuissima quæque cognoscere; sed dabo tamen aliqua.

178. Tria præcipit: area tibi manu propria, vide, qua cura, non ferro, non alio instrumento, vertenda est, tractanda, versanda, componenda: deinde, adjungenda est creta, quia tenax, ut sic area solidetur: tertium cylindro æquanda, ut plana omnia sint: et hoc *ingenti*, quo melius solidetur.

180. Ratio triplex, cur oporteat aream sic parari: obduretur area, manu, creta, cylindro: ne herbæ per ipsam erumpant; ne ipsa fatiscat, solvatur pulvere, siccitate dehiscat, victa solis ardentibus radiis; demum ne variæ pestes animalium illudant. *Tum* est deinde: *illudant*, vero, quia sæpe animalia ludunt, et eludunt mortalium operam.

181. Enumerat quinque pestes; quæ solent aream infestare, ac perinde acervos frumenti minuere, mures, talpas, bufones, curculiones, formicas; præterea alia monstra: nam mus exiguus et ponit domos sub area, et facit horrea; talpæ, quibus

bus addantur licet Latini. *Taubm.*

178. *Area cum primis.* In primis. — *Ingenti æquanda cylindro, Et vertenda*, etc. Hæc per Hysteron proteron posuit, prius enim est, ut manu terra vertatur: deinde solidetur glarea; postremo æquetur *cylindro*, id est, lapide tereti, in modum columnæ, qui a volubilitate nomen accepit: κυλινδεῖν enim est vertere. Sane area locus est vacuus, aut natura, aut studio factus, ne quid inde edi nascive possit, quasi qui exaruerit. *Cum primum* autem, id est, interea, quod maxime necessarium est, vel inter prima opera et officia. *Serv.* — Columella II, 20; Palladius VII, 1; Varro I, 51; Cato 91, 129, aiunt aream solida terra, maxime creta vel argilla esse conficiendam, et amurca conspergendam, tunc premendam esse rotundo lapide, vel columnæ fragmento cujus volutatio ejus spatia solidare possit. Plinius XVIII, 71; ait, « majore ex parte æquant tantum, et fimo bubulo dilutiore illinunt; id satis ad pulveris remedium videtur. » *V. G.*

181. *Tum.* Id est, etiam. — *Variæ illudunt pestes.* Per ludum nocent, quasi ludendo et sine labore sæviant. — *Sæpe exiguus mus.* Nitela, mus agrestis robeus: cujus Cicero meminit in Sestiana: et quia hic Virgilius vilium animalium mentionem facit, inde præmisit: *Ni refugis tenuisque piget cognoscere curas.* Dicendo autem *exiguus mus*, multum ex ipsa deminutione nominis et numeri singularis enunciatione addidit dignitatis. *Serv.* — Clausula hujus versus, monosyllabo verbo præter solitum constans, a Quintiliano, lib. VIII, 3, amœnissima judicata est: et Horatius, qui procul dubio perinde ac Virgilius, erat versibus condendis idoneus, simili utitur clausula feliciore etiam eventu, Art. Poetic. 139: « Parturient mon-

non est visus, fodiunt ibidem sibi cubicula; bufones sæpe reperiuntur in locis cavis; expopulatur areas curculio, et convehit ingentes acervos farris; intelligit genus omne frumentorum; denique idem faciunt formicæ senectæ suæ metuentes.

tes; nascetur ridiculus mus. » Sunt qui tantorum magistrorum auctoritatem cum irrisu rejiciant, nec intelligentes eodem rhythmo hic parvitatem; alias vero magnitudinem depingi posse, *atque hominum rex:* interdum et pondus; « procumbit humi bos: » aut tandem solemne silentium: *intempesta silet nox.* Irrideant isti: sed lectorem emunctæ naris non fugit locutionis robur, inopinato pondere ultimæ syllabæ constans, quæ simul canora, et sensus præcipuam exhibens partem, eo loco occurrit, ubi plerumque parum refert, an longa sit, nec ne: jam ex ipso syllabarum ordine opinio nascitur rei alicujus momenti, quæ verborum sensu firmata, auget speciem magnitudinis, solemnitatis, formidinis, denique ironiæ, si de rebus despiciendis sermo sit, ut apud Horatium I, Ep. 6, 39: « Mancipiis locuples, eget æris Cappadocum *rex.* » *V. G.*

183. *Aut oculis capti fodere cubilia talpæ.* Hoc est, oculis debiles; quum enim talpæ cæci nascantur, quomodo capti oculis? illi enim capti dicuntur, qui aliquando viderunt. Et mutavit genus: nam hæc talpa dicitur; sicut etiam de damis fecit: ut, *Et timidi venient ad pocula damæ.* Serv. — *Fodere cubilia.* Quia semper defossæ vivunt. Plin. IX, 6: *Argumento animalium, quæ semper defossa vivunt, ceu talpa.* Et XXX, 7: *Defossas sepultisque similes.* Et X, 88. *Obrutæ terra.* — *Cubilia.* Non tantum hominum lectuli, sed et ferarum; et aliarum bestiarum habitacula, sive lustra, ita nominantur. Cic. de Nat. Deor. II, 129: *Ut bestiæ in cubilibus delitescunt, gallinæ avesque reliquæ cubilia sibi nidosque construunt.*

184. *Inventusque cavis bufo. Inventus*, pro qui invenitur: et *cavis* hic pro principali positum. — *Cavus*, vel *cavum* caverna est, sive locus excavatus; κοῖλα τῆς γῆς Aristoteli, *cava terræ.* Phædrus utitur hac voce frequenter II, IV, 4, 17: *Dolosa tuto condidit sese cavo*, III, XVI, 17: *Noctua egressa cavo.* — *Bufo.* Rana terrestris; (Gall. *crapaud.*) Hæc corpore est maxima et nocentissima, et quia sæpe moratur in vepribus et rubis, *rubeta* Latine, Græce φρύνος, vocatur; plena est veneficiorum. Mira de hac rana describit Plin. XXXII, 18.

186. *Curculio.* Varro ait hoc nomen per Antistichon dictum, quasi gurgulio, quoniam pene nihil est nisi guttur. (Gall. *Calandre, Charançon.*) — *Inopi metuens formica senectæ.* Senectus semper alienum requirit auxilium: nam *inopi*, non tantum ad formicam pertinet, sed generale est epitheton senectutis: vel ne inops in senectute sit, et hoc juxta opinionem poeticam dixit. *Serv.* — *Formica.* De eadem Horat. I, Sat. 1, 35: *haud ignara ac non incauta futuri.* Quantopere formica de futuris sit sollicita, Phædrus exponit IV, Fab. XXIII, 13; ubi illa sic: *ego granum in hiemem studiose congrego.*

187. Ex occasione areæ, quæ paranda ad messem, et triturам, infert nunc quæpiam circa messem et proventum : inprimis docet, quo signo discat agricola futuram anni felicitatem in area, futuram infelicitatem : contemplare arborem, quæ prima omnium se in sylvis (agris) flore vestiet, quæ olentes ramos curvabit, hæc est amygdalus; si fœtus superant multitudinem foliorum, scias annum illum fertilissimum fore : nam una sequentur frumenta, eritque tritura magna spicarum in ferventissima æstate : si vero exigui sint fœtus, et arbor tantum foliis luxuriet, tunc area teret culmos palearum, nequicquam pingues, id est, non pingues. *Nux plurima* est multitudo amygdalorum : *fœtus* vero, indicium quod est in arbore futuræ nucis.

193. Annectit nunc quædam de seminibus eligendis : vidi, inquit, multos, qui quum varia grana serere parant, eorum

187. *Contemplator item.* Prognosticon est anni futuri fertilis, vel infecundi. *Contemplator* autem imperativi modi tempus est : futurum pro præsenti : *Contemplare*, ut, alibi, *Contemplator aquas dulces.* Terentius, *Loquitor paucula*, pro loquere, ita contemplare. — *Nux plurima.* Id est, longa, significat autem amygdalum : et plurima, sicut *plurima cervix*, et *qui plurimus urbi Imminet.* — *Silvis.* Quidam pro arboribus accipiunt, ut : *pomaque et Alcinoi silvæ ;* et alibi : *Silvarumque aliæ pressos propaginis arcus.* Serv.

189. *Si superant fœtus.* Id est, si flores in fructus vertantur, et si ipsi crescant et abundent : nam proprie *superant*, abundant, est. *Serv.* — Si flores, aut nuces abundant. Sensus loci est : si fructus plures fuerint, quam folia, argumentum id erit fertilissimæ trituræ : sin plura fuerint folia, signum erit sterilitatis. Bene autem elegit *amygdalum*, quæ arbor primum omnium floret. *Taubm.*

190. *Magnaque cum magno veniet tritura calore.* Messis fertilissima æstatis calore fœcundata primum et concocta, deinde areis terenda; nam ubi multæ fruges, ibi multa opus est *tritura.*

193. *Semina vidi equidem multos medicare serentes.* Servius de leguminum seminibus, Cerda de fabis solis explicant, quos Heynius sequitur; vide vol. I, p. 279 : ego autem de tota agricolationis ratione de Variorum seminum maceratione et annuo delectu, inter quæ fabarum ut frumenti, et aliarum frugum, semina, ante sationem *medicantur; nitro perfunduntur,* ut alienis succis et salibus contra vermes munita, citius in sulco progerminent, et grandiores fœtus e terra emittant ; seliguntur maxima, quotannis, et manu sigillatim multisque curis explorata, ne degener seges oriatur : nec me movet quod Columella et Plinius ab Heynio in notis invocati de faba tantum loquantur : cætera omiserunt, sed non excluserunt. De

seminibus medicinam adhibent; nam illa nitro, atque amurca perfundunt, ut postea grandior sit fœtus, grandiora grana in siliquis, in glumis quæ esse fallaces solent.

196. Attingit poeta morem nonnullis agricolis receptum, qui solent igni exiguo et lento madefacere, calefacere et macerare semina, ut sic properent proventum: sed addit ipse, hoc non satis esse: vidi, ait, quosdam, qui semina non solum perfundant nitro, et amurca, sed etiam madefaciant illa, calefaciant, properent, legant diu, et spectent probentque labore multo, an illa sint bona semina, et generosa: sed nihilominus tamen, vidi ista semina madefacta, calefacta, macerata, properata, lecta diu, spectata multo labore, vidi, inquam, degenerare; nisi illa legantur maxima, et manu, et quotannis cum maxima hominum cura.

199. Conjicit in culpam fatorum, quod viderit agrestia omnia quotidie in pejus ruere, et referri sublabique retro; illustratque comparatione: non aliter quam qui remigio lembum

siliquis autem tanquam ad legumina sola pertinentibus idem sentio quod Hallerus, nimirum has dici posse de glumis, seu granorum omnium involucris, inprimis si poetica scribantur. Non urgebo eos qui ad *faciliorem* leguminum *coctionem* igni properata et madentia referant: procul hinc artis coquinariæ interpretes et ministri!

194. *Et nitro prius. Nitrum* ex aqua in modum salis coalescit, et ad Solem liquescit: quod aptum est ad lavandum. — *Et nigra perfundere amurca.* Olei sordibus, sed his, quæ præcedunt; nam sordes, quæ sequuntur oleum, feces vocantur. Et *perfundere*, pro vidi perfundentes. *Serv.*

195. *Grandior ut fœtus.* Id est, majora grana. — *Siliquis fallacibus;* quæ fallere plerumque consueverunt: interdum enim leguminum folliculi, quum inanes sint, majores videntur. *Serv.*

197. *Lecta.* Id est, cum labore electa. — *Spectata.* Probata; ut, *Et rebus spectata juventus.* Frequenter apud Ter. *spectare* pro probare. — Præceptum a Didymo, Geop. II, 17, relatum, semen esse transferendum ex frigidis locis in calida, ex præcocibus in serotina, rejicit Plinius, lib. XVIII, 54: quo facto non magnam apud nostros agricolas auctoritatem consecutus est. *V. G.*

199. *Sic omnia fatis In pejus ruere.* Metaphora desumpta a fluminibus, qualis Noster utitur Æn. II, 169. *Ex illo fluere, et retro sublapsa referri Spes Danaum.* Quod deteriora fiant omnia, et talia sequantur sæcula, quæ ob multiplicata generis humani scelera nomen amplius sortiri nequeunt, testatur Juven. Sat. XIII, 28.

201. *Non aliter, quam qui adverso flumine lembum.* Ostendere vult usque ad perfectionem laborari debere, nec tantum laborem procedere, quantum levem remis-

subigit, adigit, per adversum flumen; si forte paululum a remigando cessavit, et remisit brachia; statim (nam hoc est *atque*) alveus illum in præceps rapit per pronum amnem.

Pars quinta. 204. Aggreditur jam quintam partem libri hujus, quæ tota est de temporibus operum rusticorum, et cui conjungit multa, quæ pertinent ad astrologiam; nam hæc ars necessaria est discernendis temporibus operum rusticorum: præmittit vero huic parti versus quatuor, quorum sententia hæc est, tam necessariam esse astrologiam agricolis, quam nautis: ergo, nobis, qui agriculturam exercemus, tam sunt servanda sidera Arcturi, hœdorum dies, anguis lucidus, quam

sionem in deterius cuncta deducere. — *Adverso flumine.* Contra vim et cursum fluminis. *Serv.* — Molossus, *qui adverso*, inter verba monosyllaba positus, præsertim eo loco, quo exspectatur cæsura, nisum optime depingit. *V. G.*

203. *Atque illum in præceps. Atque*, id est, statim. Alii quidam superfluam conjunctionem volunt; et hoc dicit: ita omnia, quæ terra profert, nisi continuum in eis studium agricola exerceat, licet medicentur, et grandia plerunque nascantur, in pejus ruunt: et sic feruntur, sicut qui contra cursum fluminis et vim navim agere vult; si aliquantulum manus et brachia remiserit, et fessus vel modice ab opere cessaverit, statim agente vi fluminis et naturali cursu relabitur, nec potest sursum ire, sed in præceps vadit. Nam proprie *præceps* id significat. *Serv.*

204. *Præterea tam sunt Arcturi sidera nobis.* Jam dicit astrologiam rusticum, ita ut navigantem, nosse debere: ut sicut navigandi tempus et ventorum atque tempestatum motus ille ex siderum compositione cognoscit: ita et iste terram colendi congrua tempora, et casus diversos, vel caloris scilicet, vel frigoris aut pluviarum ex stellis agnoscat. *Serv.* — *Arcturus;* stella Bootis major, prope caudam Ursæ: nonnunquam integer Bootes dicitur *Arcturus.* — Hædi stellæ sunt juxta aurigæ brachium positæ. De ortu et occasu siderum vide plura apud Plinium, lib. XVIII, 66; et Columellam, lib. XI, 2: vide etiam Pfaffsii dissertationem, pag. 85. *V. G.*

205. *Hœdorumque dies.* Bene autem hœdos Arcturo junxit, qui et ipsi pluvias faciunt; et alibi, *pluvialibus hœdis.* — *Servandi.* Observandi. Auriga signum est, haud longe a Septemtrione, cujus pedem cum cornu tauri una stella conjungit: quem aurigam pater Mercurius inter sidera locavit. — *Lucidus anguis.* Tres sunt angues in cælo; unus qui inter septemtriones est: alter Ophiuchi: tertius Australis, in quo sunt Crater et Corvus, de quo nunc proprie ait *anguis:* nam ὕδρα dicitur Græce. Et scimus *angues* aquarum, terrarum *serpentes.* Hæc autem signa generaliter posuit; non enim hæc tria tantum, sed omnia, præcipit observanda. *Serv.*

illis, qui pontum tentant, et fauces Abydi, quum redeunt in patriam per æquora : vocat Abydon *ostriferum* propter copiam ostreorum.

208. Ab generali præmonitione descendit ad certa quædam opera : primo constituit tempus hordei serendi, inter æquinoctium autumni quod fit sub libra, atque inter brumam; sed dilatans more poetico sententiam, ita ait: postquam libra fecerit horas diei et noctis pares, diviseritque ex æquo orbem mundus, medium luci, medium tenebris, tunc, viri qui estis, tauros exercete, hordea serite, usque ad imbrem extremum

207. *Pontus et ostriferi fauces tentantur Abydi.* Sestos et Abydos civitates sunt Hellesponti, quæ angusto et periculoso mari segregantur : in his angustiis Leander ad Hero natare consueverat : nam illa Sestias, hic de Abydo fuit; qui quum frequenter ad amatricem amator nataret, tempestate obrutus interiit : cujus quum cadaver exanime ad litus, in quo Hero de turre exspectare solebat, esset adpulsum, puella se præcipitavit in mare, et ita vitam finivit : unde elegit locum periculosiorem, quem pro omni poneret pelago. Vide ex Ovid. Heroid. XVIII et XIX. —Abydena ostrea laudat Archestratus : nihilominus Romani Tarentina, Circeianaque his anteponebant. At forsan Virgilius concham designat purpuream; nam et Seneca (in Medea, 10) et Athenæus Iliacam laudant purpuram. *V. G.*

208. *Libra die.* Hic jam incipit disputare de cognitione temporum ex sideribus. — *Die.* Non est Apocope, pro diei : sed secundum antiquos regularis genitivus est. Nam, ut sæpe diximus, obliqui casus numeri singularis, nominativo plurali majores non debent esse : quod verum esse Sallustius probat, qui in prosa ait : *Dubitavit acie pars.* Plautus in Amphitrione : *Neque nox quoquam concedit die,* pro diei. Sed modo, dies, diei, dicimus : unde juxta præsentem usum, *die* posuit pro diei. *Serv.* — *Somnique.* Id est, noctis; nam ab officio temporis, ipsum tempus ostendit : dicit autem æquinoctium autumnale, quod fit Sole in libra posito. Vernale enim æquinoctium in ariete efficit Sol positus; hoc autem dicit, frumenta serenda esse autumnali tempore : legumina vero usque ad veris initium. *Serv.*

210. *Exercete viri tauros.* Id est, arate, quo seri possit; vel, si solum pingue, uratro semen operite : hac de causa ἄροτος dicitur apud Græcos sationis tempus. — Aratrum sator pleramque anteibat; nonnunquam idem et sator erat et arator : spargebatur semen e sacco : hoc modo apud Moschum serit Amor. Plinius XVIII, 54, ait : « manus utique congruere debet « cum gradu, semperque cum dextro pede fit quoque quorumdam « occulta ratione, quod sors genialis atque fecunda est. » *V. G.*

211. *Usque sub extremum brumæ.* Id est, non usque ad brumæ finem, sed circa. Nam bruma finitur VIII. Kalend. Januarii die : et iste non usque ad ipsum diem dicit seren-

brumæ, quæ *intractabilis*, et aspera præ frigore : porro in epitheto latet ratio, cur opus tunc cessare debeat.

212. De lino, et papavere Cereris eadem præcipit, nimirum serendum eodem tempore, quo hordea : illa, *Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent*, periphrasis est temporis inter æquinoctium, et brumam.

215. Fabam, medicam, milium, ait, serenda vere : sed qua veris parte? non primo mense, qui Martius; sed secundo qui Aprilis, quum videlicet Taurus, qui candidus est a Sole quem tunc gestat, annum aperit auratis cornibus : quum canis heliace occidit, qui habet in sphæra frontem tauri sibi

dum. *Serv.* — *Intractabilis* : ut Varro I, 35, et Columella præcipiunt, *in XV diebus ante et post brumam* prætermittenda sunt agriculturæ negotia, quæ tunc *tractari* nequeunt. *V. G.*

212. *Cereale papaver.* Cur *papaver* dicatur Cereris, caussa est multiplex : signabo aliquas. An quia illi, ut inventrici attribuitur? ut ait Euseb. Præpar. III. An quia illo Ceres famem exsolvit? Hanc colligas ex Ovid. Fast. IV, 547. *Abstinet alma Ceres, somnique papavera caussas Dat tibi cum tepido lacte bibenda, puer.* An quia papaver aptum esui, vel quod eo Ceres usa fuerit ad oblivionem doloris? Utraque est Servii. An quia illud agricolæ inter segetes sererent, tametsi nocuum, ut illo sacra facerent huic Deæ? hanc adhibet Brodæus Misc. II, 29. An quia illud manu gestaret hæc Dea et ejus simulacra? Hæc est Brodæi, et Turn. IX, 26. Firmat posterior loco Callimachi; additque Antistitas quoque Cereris illud gestasse : inde est, ut ipse sententiam Poetæ referat ad sacrum Cereris. An demum, quia Θυλακῖτις genus est papaveris accommodatum et salubre conficiendis panibus ad esum? Hanc adduxit Mancinellus, neque illam rejicit judicium Germani. *Cerda.*

213. *Tempus.* Tunc scilicet est. — *Jamdudum.* Quamprimum : dicit, serendum esse eo tempore, non quo pluit, sed quo imminent pluviæ. Æneid. lib. II, 103 : *Jamdudum* sumite pœnas.

215. *Vere fabis satio.* Columella sic ait, lib. II, 9 : « Præter satio« nem auctumnalem, quam potis« simam ducimus, est altera, quum « cogit necessitas : trimestrem vo« cant agricolæ : ea locis prægeli« dis ac nivosis, ubi æstas est hu« mida et sine vaporibus, recte « committitur : ceteris admodum « raro respondet; quam tamen ip« sam celeriter et utique ante æqui« noctium vernum conveniet per« agere : si vero locorum et cæli « conditio patietur, quanto matu« rius severimus, tanto commo« dius proveniet : neque enim est « ullum, sicut multi crediderunt, « natura trimestre semen : quippe « idem jactum autumno melius res« pondet. Sed sunt nihilominus « quædam aliis potiora, quæ susti« nent veris tepores, ut siligo, etc. » Confer. Plin. XVIII, 10. *V. G.* — *Tunc te quoque, Medica.* Ad ipsam herbam apostropham facit. Hæc

oppositam et quasi minitantem. De medica signate præcipit serendam in terra putri.

219. Pergit ad triticum, et far: si terram arabis ad triticum et farra condenda, ita ut tibi tantum sit cura aristarum, frumenti solius, hoc opus fiet tibi, o agricola, mense Octobri, et post matutinum occasum cosmiscum Pleiadum, et post ortum heliacum coronæ: cave alio tempore triticum et far sulcis committas; cave nimium festinus sis in credenda anni spe telluri invitæ, ac repugnanti: nam multos vidi, qui ante

autem a Medicis translata est in Græciam; quo tempore eam Xerxes invaserat. Hujus plena Venetia est: et, ut dicit Dionysius, trium foliorum est, semperque virens. *Serv.* — *Medica.* Plin. XVIII, 16; ita describit: *Similis est trifolio, caule foliisque geniculata: ea, quum in cautem assurgit, in folio contrahitur.* Ad quem locum v. Dalecamp. Nomen habet a Medis, unde advecta. Restat ultimum de præcepto. Ejus duæ partes, et quo tempore serenda medica; et de putredine terræ, ubi serenda. De priore Plin. XVIII, 16: *seritur mense Majo.* Pallad. lib. V, tit. 1. *Aprili mense* in areis, quas ante (sicut diximus) præparasti, medica serenda est. Itaque Virg. præclare *vere* serendum asseruit. Ita quoque Plin. loco adducto: *verno seri debet.* De posteriore Colum. II, 11. *Locum, in quo medicam proximo vere saturus es, proscindito circa Kal. Octob. et eum tota hyeme putrescere sinito.* C.

216. *Et milio venit annua cura.* Seneca Epist. 86, Virgilium tangit, tanquam agrariæ rei parum peritum; quoniam scripsisset milium et fabam sub idem tempus seri: sed mehercle calumniatur, aut ludit iste Socrates: immo illud facit. Milium ex iis est, quæ trina tempestate anni seruntur, æstate, hieme, vere: in Italia tamen plurimum æstate: quam solam sationem ibi Seneca agnoscit. At tu vide Plinium XVIII, 7; et liberabis facile Virgilium hujus culpæ. *Taub.* — Secundum eumdem Plinium XVIII, 66, milium non ante Vergiliarum ortum serendum, quo tempore vespere per arva lucent cicindelæ, id est, animalcula volitantia per herbas, et instar stellularum micantia. *V. G.* — *Annua cura.* Post medicam, quæ semel sata durat, juxta Palladium, lib. V, tit. 1, annos decem, et quæ per annum quater et sexties demetitur, opponit milium quod serendum est quotannis et verno tempore: aliter nulla proventus spes foret.

217. *Candidus Taurus et Canis adverso.* Tauro *cedens*, explicantur, vol. I, pag. 283 et 284: ita et Atlantides Coronaque ibid. et pag. sequentibus.

219. *Triticeam in messem.* Ad messem tritici, vel segetis. — *Robustaque farra.* Frumenta, quæ plus habent virium, quam legumina; quo tempore nobis Atlantides occidunt, sunt serenda. *Serv.*

223. *Sulcis.* Arationibus. — *Committas semina.* Quasi custodibus fidelibus. *Serv.*

224. *Invitæ terræ.* Quæ quasi coacta rusticorum labore, et non

occasum Pleiadum, Maia una est in Pleiadibus, sementem cœperunt, qui mire frustrati sunt, tritico converso in avenas, et vanas, quæ fruges non habent.

227. De vicia, phaselo, lente, docet serendas Boote occidente cosmisce, mense Octobri.

sponte, fructus profert: alii, si non suo tempore seratur. — *Anni spem.* Unde tu annum speres posse deducere. *Serv.*

226. *Exspectata seges.* Id est, sperata, quod Nonn. Marcellus adstruit ex M. Tull. Off. lib. II: *Est enim deterior qui accipit, atque etiam ad exspectandum semper paratior.* — Quidam Plinio consentientes putant semen diutius in terra retentum, degenerare in avenam, unde servandam censeo lectionem *avenis* (1). Ignari quidam, nescientes quid ex voce *avenis* facerent, *Aristis* scripsere, vel *acervis*. V. G.

227. *Si vero viciamque seres*, etc. Plura siliquisorum leguminum patiuntur sub hiemem seri. Colum. II, 11, inquit: « Viciæ autem duæ « sationes sunt; prima, qua pabuli « causa circa æquinoctium auc- « tumnale serimus; secunda, qua « mense Januario vel etiam serius « jacimus sex modios semini pro « generando. » Vide Plin. XVIII, 37. *V. G.* — *Vilemque faselum. Vilem* exponit Nonius *frequentem;* quod, quæ abundant, vilescant. Willichius distinguit *faselum* et *faseolum*. Illum ait cicerculæ genus esse; hanc herbam, cujus fructus dicantur δλιχοι Theophrasto, lib. III, cap. ult. Histor. Plant. *Taubm.*

228. *Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis.* Pelusium unum est de septem ostiis Nili, ubi primum lens inventa dicitur; vel ubi optima nascitur. Unde κατ' ἐξοχὴν locutus est. *Serv.* — Lentium apud Plinium, lib. XVIII, 12, duo memorantur genera, alterum rotundius nigriusque, alterum sua figura, *id* est, vulgare, ad Pelusium Ægypti maxime coluntur. Immensa navis qua Caius obeliscum ex Ægypto Romam vehi jussit, 120,000 lentium modios pro saburra habebat. *V. G.*

229. *Haud obscura.* Hoc est clara. — *Mittet tibi signa Bootes.* Si viciam, et faselum, et lentem serere volueris, occidente Boote debes incipere. — *Cadens Bootes.* Occidens, verno scilicet tempore. Tunc enim Bootes occidit. *Serv.*

230. *Incipe, et ad medias sementem extende pruinas.* Omnia complexus est tempora: et vernum scilicet, quo legumen seritur: et autumnale, quo frumentum. — *Epilogus* universæ sationis et vernum et autumnale tempus complectens. Porro videtur Plinius Maronem vellicare, quod rusticos ab sua terra in cœlos erigat, istamque scientiæ sideralis subtilitatem imperitis præmonstret; XVIII, 24; et 25, et 26, et 27, ubi Naturam inducit, agricolas ita castigantem: *Cur cœlum intueris, agricola? cur sidera quæris, rustice? Ecce tibi inter herbas tuas spargo speculares* (alii *peculiares*) *stellas, easque ver-*

(1) Argentorati servatus codex quem nuper legi, eamdem exhibet lectionem. (Goldbey.)

231. Hoc versu, qui veluti epilogus est universæ sationis, aiunt interpretes contineri generale præceptum, tam de his quæ hactenus dicta, quam de aliis, quæ silentur: itaque docet sementem omnem, quocumque tempore incipiatur, sive verno, sive autumnali, non producendam ultra hyemem mediam.

232. Concludit quæ dicta de semente, declarata necessitate astrologiæ, a qua pendent rusticana opera: quasi dicat, laborat Sol, o agricola, in utilitatem tuam, regit mundum, in partes quatuor Autumni, Hyemis, Veris, Æstatis dimensum divisumque; idque facit excurrendo sæpius per duodecim signa mundi, id est, cæli.

233. Ex occasione duorum versuum præcedentium adducit nunc latam cæli descriptionem, quæ respondet descriptioni terrarum. Dividunt cælum Zonæ quinque; media semper ru-

pere et ab opere disjungenti ostendo, etc. *Cur altius spectas, ipsumque cælum scrutaris? Habes ante pedes tuos, ecce, Vergilias*, etc. — Operæ pretium fecerit, qui ordine omnia ibidem legerit. Sed dicamus Plinio, Virgilium agricolæ suo præcipere non exactam Astrologiæ subtilitatem, sed *annua* illa *Astrologiæ breviaria*, quæ nos arabico vocabulo ALMANACH vocamus. *Taubm.*

232. *Per duodena.* Multi pro duodecim accipiunt; ut: *Bina manu lato crispans hastilia ferro;* et *septenaque tela.* — Elegans carmen de signis cælestibus prodidit Ausonius: *Bis sex et sidera complent: Hic Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libraque, Scorpius, Arcitenens, Capricornus, et urnam Qui tenet, et Pisces.* — *Sol aureus.* Ὁ χρυσοφαὴς ἥλιος in Epigr. χρυσοφεγγὴς, Orpheo. Alii quod auro præsit.

233. *Zonæ.* Id est, plagæ vel circuli, quorum primus Septemtrionalis; vel, ut quidam volunt, Aquilonius. Zonæ, circuli, qui cælum ac terram, veluti zonæ cingunt. Translative, nam proprie Zonæ in terris, sed pro parallelis, id est, circulis posuit. Septemtrionalis, Æstivalis, Æquinoctialis, Brumalis, Australis. *Serv.* — *Quinque tenent cælum zonæ.* Ab aeris temperie *Terra* distinguitur *in quinque zonas*: Latini *Cingulos, Fascias, Plagas, Circulos*, nuncupant. Nam aeris qualitas vel est *Æstuosa*, vel *Temperata*, vel denique *Frigida.* Æstuosa quidem plaga iis, quibus Sol supra verticem et perpendiculum ipso meridie consistit. Ea *Zona Torrida* καυματώδης vocatur Senecæ in Here. Œt. act. III. *Lux acerba* dicitur. *Temperata* ὕκραιος: ubi, ut Naso ait, *Mista est cum frigore flamma*: et quo Sol non ita accedit, ut eam torreat; nec tantum abest, ut perpetuo gelu rigeat: atque hæc duplex est, *Aquilonaris* et *Australis.* Tandem *Frigida*, quæ quum Sol ibi plurimum a vertice sit remotus, perpetuo rigore premitur: estque et ipsa duplex; *Arctoa*, sub Arctico polo;

bet sole, semper torretur igni: a media transit ad extremas; extremæ duæ dextra et sinistra trahuntur rotanturque circum hanc: concretæ istæ sunt; dextra, quæ Arctica, et ad Septemtrionem glacie cærulea; sinistra, quæ Antarctica, et ad Notum imbribus atris: nam Borealis subjecta est assiduis et nimiis rigoribus; Austrina immodicis imbrium humiditatibus. Inter has, et mediam, duæ sunt aliæ, Tropicas vocant, solstitiales, temperatas: has Dii mortalibus habitandas dederunt, ut in quibus nec glacies nimia, nec nimii imbres. Per ambas, inter ambas, secatur via quædam, ducitur, teritur, qua se vertit obliquus ordo signorum. Sol enim per Zodiacum, qui obliquus est, inter has duas discurrit secans Æquinoctialem.

240. Pergit nunc ad explicandos polos, quo exsistat cæli notitia integra: inprimis moneo *mundum* hic esse cælum; mundus ut polo Arctico consurgit supra nos; ita polo Antarctico premitur sub nobis: ille arduus est ad Scythiam, et Rhi-

et quæ huic sub *Antarctico* opposita. Porro negatum ab omni ævo multis est, *zonam Torridam* habitari: sed hodiernæ navigationes et experientia docet, sub Æquatore commodissime jucundissimeque, et tanquam in terrestri Paradiso (quem et hic quidam ausi ponere) vitam homines vivere. Sub *Tropico* tamen molestius habitari, præsertim sub Capricorno. *Frigidas zonas* autem parum habitari. De quibus omnibus accuratissime disputat *P. Merula lib.* II, *Part.* 1, suæ Cosmographiæ. *Taub.*

235. *Quam circum extremæ.* Bene *extremæ* addidit, id est, Borios et Notios; ne eas, quæ circa igneam sunt, intelligeremus, quas constat esse temperatas vicinitate caloris et frigoris; quarum unam nos habitamus, alteram antipodes: ad quos hinc torrente zona, hinc frigidis ire prohibemur. Antipodes autem dicuntur, quod contra nos positi sunt contrariis vestigiis: terram enim dicunt undique cælo et aere cingi. Per has autem duas zonas in obliquum vertitur signifer circulus, qui Solis continet cursum. Unde etiam fit, ut duæ zonæ frigidissimæ sint, ad quas nunquam accedit: una fervens, a qua pæne nunquam recedit: duæ temperatæ, ad quas vicissim venit. — *Trahuntur.* Pro extenduntur, aut sine intermissione vertuntur. *Serv.*

237. *Duæ mortalibus ægris.* Sicut dictum est, temperatæ, ex calido medio, et frigidis extremis circulis. *Serv.* — Expressit Homericum illud: δυσὶν ἔροτοισι.

239. *Obliquus.* Zodiacus vocatur sectus limes apud Ovid. Met. II, 130: *Sectus in obliquum est lato curvamine limes.* — *Qua.* Per quam viam.

241. *Consurgit; premitur.* Deest *ita; ut* ad Scythiam consurgit, *ita* premitur in Austros. Quoniam Noticus circulus totus infra terram est; et premitur, quasi deprimi-

phæos montes Scythiæ; hic devexus in Austros Libyæ: ille vertex nobis semper sublimis est; hic sub pedibus, sub Styge, sub profunditate infernorum: ista poetice. *Breviter:* polus Arcticus supra horizontem est, Antarcticus sub horizonte.

244. Adjungit nunc quæ insunt utrique polo, ita tamen ut dilabatur ad ea, quæ insunt generalius alteri hemisphærio; hic in polo Arctico anguis se inter Arctos, ursas, duas circumvolvit, instar fluminis, quæ ursæ Oceano nunquam tingun-

tur. *Serv.* — *Lybiæ.* Apud recentiores Græcos nomen Africæ: hæc ad Nilum, ubi latitudinis ei maxima pars adest, paulum ultra cancri tropicum porrigitur; et inde ad Herculis fretum usque flectitur. *V. G.*

242. *Hic vertex nobis semper sublimis.* Id est, hæc pars mundi a nobis semper videtur. Polum designat arcticum. Polus hoc in loco est axis pars extrema. *At illum Sub pedibus Styx atra videt.* Id est, axem Noticum, id est, Australem, qui a nobis nunquam videtur: sicut Boreus, id est, septemtrionalis semper videtur. Et sicut variæ philosophorum opiniones sunt: ita et hic varie loquitur. Nam alii dicunt a nobis abscedentem Solem ire ad antipodas. Alii negant, et volunt illic tenebras esse perpetuas. Mire autem ait *Styx*, quasi de inferis *Styx atra videt, manesque profundi*, ut ostenderet illud quod dicunt philosophi, recedentes hinc animas et illic alia corpora sortiri. Unde et Lucanus ait: *Regit idem spiritus artus Orbe alio.* Quod verisimile est, quia dicuntur animæ, aut igni, aut vento, aut aqua purgari: quod ut *fiat* necesse est, dum aut per frigidas plagas, aut igneam transeunt. Et licet alii hoc a Virgilio dictum per poeticam licentiam velint; tamen sciendum est, eum poeticæ licentiæ inseruisse philosophiam. *Serv.* — *Illum sub pedibus*, perperam interpretantur *nostris*: cui interpretationi oppositio *at illum* repugnat. Madridensis codicis scriptor loco *videt, tenet* admisit. *V. G.*

244. *Maximus anguis.* Vel quia ipse cæteris est major, vel quia ad Scythiam, vel quia inter duas arctos. Sane hunc draconem quidam occisum, et inter sidera conlocatum a Minerva dicunt: alii hunc esse, quem Hercules custodientem mala aurea Hesperidum occidit. — *Hic.* Pro illic. *Serv.*

245. *Circum, perque duas.* Et *circum* enim est et *per*; nam per utramque labitur, id est, inter duas; majorem cauda tangens, alvo complectens minorem. — *In morem fluminis Arctos.* Hesiodus ποταμῷ ῥόωτι ἐοικώς. *Id.* — Ποταμηδόν. Cicero: *Veluti rapido cum gurgite flumen.*

246. *Oceani metuentes æquore tingui.* Hoc refertur ad fabulam: nam hæ duæ pellices Junonis fuisse dicuntur: quas postquam Jupiter in siderum retulit numerum, Juno rogavit Tethyn suam nutricem, ne unquam eas pateretur occidere: unde nunc *metuentes* dixit, scilicet nutricem Junonis. Sunt autem hæ, Helice, et Cynosura: de Helice Lycaonis filia, amata a Jove, et a Ju-

Æstate, Autumno, Hyeme : quæ quum diversa inter se, tamen annum efficiunt parem, et semper sui similem. Duplex divisio est in hoc tractu, primum quid faciendum pluvio cælo, quæ prima mens poetæ : alterum quid diebus festis, quod primo annexum. Ergo ait : non otiose cælum speculamur, quia si imber hyemis agricolam ab laborando continet, datur illi mature, tempestive, et per otium ea domi facere, quæ, si tempus esset serenum, debuisset properanter, raptimque facere, ut iret ad opus. Itaque utatur occasione imbriferi temporis. Advocat exempla : exit agricola summo mane ad arandam terram, debet acuere vomerem, qui obtusus : quantum impendit huic operi, tantum perdit de labore : ergo, quum imber est, faciat hæc per otium, et mature. Unde duplex utilitas : nam et tunc bene faciet, et nihil postea perdet de labore. Similiter excavet arbores, et formet in lintres : inprimat pecori aut frumentorum acervis signum : exacuat vallos et

et hyems : et tamen de his annus efficitur. *Serv.*

259—267. *Quænam pluviali tempestate facienda.* Vide Plin. XVIII, 65, 67 : ibi enim plurima refert agricolis notanda. Vide. Col. IX, 14 ; XI, 2 : « Malum patrem familias oraculum declarat, quisquis « interdiu faceret, quod noctu posset, nisi in tempestate cæli ; pejorem qui professis diebus ageret, quod feriatis deberet, pessimum, qui sereno die sub tecto « potius operaretur, quam in agro. » — *Frigidus imber.* Vide Georg. lib. III, 279 ; pluvio frigore : IV, 361, frigidus auster. *V. G.*

262. *Vomeris obtusi.* Hebetis : et obtusum est, quicquid sine acumine est, vel calore : ut, *non obtusa adeo gestamus pectora Pœni.* Antiqui tamen *n* literam addebant, quod nos propter euphoniam in aliquibus detraximus, ut *obtusus* : in aliquibus remansit, ut *tunsus.* — *Obtusi* autem, *reverberati et acumine carentis.* Serv.

263. *Aut pecori signum, aut numeros impressit acervis.* Id est, facit aut characteres, quibus pecora signantur ; aut tesseras, quibus frumentorum numerus designatur : nam *numeros* pro literis posuit, quibus numeri continentur. De his Andr. Schott. nodor. Ciceronis, II, 6. — *Pecori signum:* Plerumque nomen domini, quod, ut Columella VII, 9 ; XI, 2, 14, 38 ; et Palladius II, 16 ; referunt, pice liquida inscribitur. *V. G.* — Armentorum custodes, quo suum pecus ab alieno internoscerent, signa quædam ei imprimere consueverunt, quæ quoniam ferro candenti inurebantur, a Græcis ἰτεαίματα dicta sunt : tali signo recuperabatur equus, cujus meminit Apul. l. II, de Asino aureo. Hic mos hodie etiam apud nostros agricolas viget.

264. *Exacuunt alii vallos.* Fossas et muros, de terra factos, exponit Servius : atqui hæc neque acuuntur, neque per imbres fieri possunt : tu palos sive sudes, quorum

furcas: paret retinacula ex Amerino oppido Italiæ, quæ apta ad ligandam vitem: texat fiscinas ex virga rubea: fruges aut igni torreat, aut frangat saxo.

267. Transit ad membrum alterum divisionis, ubi inest subdivisio: non mirum, ut rusticus aliqua faciat cælo hyemante, quippe quum fas, et jura, id est, divinæ atque humanæ leges (fas enim Deos et religionem respicit, jura homines;) sinant exercere quædam diebus festis. Quæ sinunt fas et reli-

plurimus in agris usus, præparari intelligas. *Pier.*

265. *Amerina retinacula.* Virgas, de quibus vites religantur: quæ virgæ abundant circa Amerinum oppidum Italiæ, cujus crebram in Rosciana facit Cicero mentionem. Alii genus salicis dicunt, dispari colore a cætera salice: nam est rubra, et ad connectendum aptior; quia præter morem lenta est, quæ nunc quoque *Amerina* a rusticis dicitur. *Serv.* — Ut ait *H. Schneider*, etiamnum aquatica parva salix apud Lugdunum vocatur *Amerina*. *V. G.*

266. *Facilis.* De qua facile aliquid fiat: unde *faciles homines*, qui hac et illac cito ducuntur: ergo *Facilis*, quæ cito ligetur, vel solvatur. — *Rubea virga.* Quæ abundat circa Rubos, Italiæ oppidum. Horatius, *Inde Rubos fessi pervenimus.* An a rubo, cujus meminit Noster in Eclog. III, 89; *ferat et rubus asper amomum?* Serv.

267. *Nunc torrete igni fruges, n. f. s.* Præparate panem, quo utamini in serenitate, ne ea res impedimento sit postea: multi tamen de certo frugum genere dictum volunt; namque far, minium, panicum moli, nisi ante fuerint tosta, non possunt. Nam quod ait *saxo frangite;* potest accipi et pinsere, quod significat pilo tundere, quia et vulgo cavatum saxum pilum dicimus; quæ omnia fieri oportet, propter facilitatem molendi. — Quamvis Plinius et Vitruvius jam molas aquarias memorent, tempore Palladii nondum usitatas fuisse putandum est. *V. G.*

268. *Quippe etiam festis quædam exercere diebus.* Non mirum est, rusticum aliqua facere debere per pluvias, quum sint quædam, quæ facere possit etiam festis diebus. Sunt enim aliqua, quæ si festis diebus fiant, ferias polluant: quapropter et Pontifices sacrificaturi, præmittere calatores suos solent, ut sicubi viderint opifices adsidentes opus suum, prohibeant; ne pro negotio suo, et ipsorum oculos, et cerimonias deum attaminent; feriæ enim operæ deorum creditæ sunt. Sane feriis terram ferro tangi nefas est; quia feriæ deorum causa instituuntur, festi dies hominum quoque. *Serv.* — *Quænam festis diebus agenda* 268..., 276. Vide Caton. II; Col. II, 22: Non semper eadem negotia pro necessariis habita sunt, nec certissima norma qua possint dignosci: festis diebus fossas et colliquias detergere licet, nec novas facere: veteres sepes emendare licet; non segetem novis munire. Viduis nuptiæ concessæ, non virginibus. *V. G.*

269. *Fas et jura sinunt.* Id est

gio, sunt hæc: rivos deducere, id est, aquarum ductus purgare: segeti sepimentum prætendere, ne bestiæ irrumpant: avibus insidias facere, ne agros vastent: vepres incendere, ne terram occupent, et perdant herbas frugiferas: sæpius mergere (nam hoc est mersare,) gregem balantum, oves fluvio salubri, quum videlicet oves tentantur scabie. Quæ sinunt humanæ leges, imo quæ volunt et jubent, sunt, ut rusticus afferat oleum ad urbem, afferat poma vilia, quæ emat vilis popellus: hoc enim cautum in urbibus lege humana, ut rustici, qui sunt in vicinis pagis, annonam conferant. Hactenus completa sententia: nam quæ de lapide incuso, molari, et pice, dicuntur obiter, et veluti adjunctim: sed necessaria illa quoque.

276. Dilabitur ad dies Lunares, qui observandi agricolæ.

divina humanaque jura permittunt: nam ad religionem *fas; jura* pertinent ad homines: et non sine causa hoc dictum a Virgilio, gnaro totius sacrorum ritus, ponitur: religiosi enim esse dicuntur, qui faciendarum prætermittendarumque rerum divinarum secundum morem civitatis delectum habent, nec se superstitionibus implicant. — *Deducere.* Id est, siccare: nam irrigare, *inducere* est, ut, *deinde satis fluvium inducit.* Sane sciendum, secundum Varronem, contra religionem esse, vel si irrigentur agri, vel laventur animalia festis diebus; Nymphæ enim sine piaculo non possunt moveri. Sed scimus necessitati religionem cedere; unde perite Virgil. ait: *Balantumque*, etc. *Serv.* Vide notas 270, vol. I, pag. 292.

272. *Balantumque gregem.* Id est, ovium. — *Mersare.* Frequenter mergere, propter scabiem. — *Fluvio salubri.* Non est epitheton amnis, sed ad factum refertur; salutifero: nam dicturus est in tertio libro Georg. v. 445 et sqq. scabie tentari animalia, nisi laventur. *Dulcibus idcirco fluviis*, etc. Serv.

273. *Costas aselli.* Aut re vera costas, aut clitellas; ut Horatius; *Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt.* — *Agitator.* Verberator; dictus ab agendo, ac per hoc *asinarius* dicitur. — *Tardi aselli.* Homerus quoque Iliad. B νωθῆ vocat *tardum.* — Græcum epigramma Palladæ: υἱὸν τῆς βραδυτῆτος, πόνον, ὄκνον, ὕπνον, *Filiam tarditatis, merum laborem, segnitiem, somnium.* — Ovid. Am. II, 15. *Aspice, ut auritus miserandæ sortis asellus Assiduo domitus verbere lentus eat.* — Sic Apul. Met. lib. VII. *Videtis istum pigrum, tardissimumque nimis asinum.* — Inde Arnobius lib. II, asserit, *asino nullum esse tardius animal.* — De lento asello fabulam etiam enarrat Phædrus I, 16.

275. *Urbe reportat.* Picem in urbe emtam asello plerunque dossuario in agrum reportabant; nam pice et resina potissimum ad vina condienda tunc utebantur, ut auctor est Plinius. *Servius* hic non est *Servius.* Taubm.

Ait vero primum, Lunam dedisse mortalibus quosdam felices operum, id est, ad opera, et hos *alios alio ordine*, non omnes eodem modo felices, sed hos hac ratione, illos alia. Docet fugiendam quintam diem Lunæ, quia hac die quæpiam monstra sata sunt, quæpiam nata : satus Orcus, satæ Eumenides, quæ sunt Furiæ Inferorum : nati partu terræ Cœus, Iapetus, Typhœus, ceterique alii fratres gigantes, qui conjurarunt in Jovem ad cælum rescindendum.

281. Narrat obiter Gigantum facinus, qui conati sunt imponere Ossam montem supra Pelion, supraque Ossam Olym-

277. *Felices operum.* Quibus feliciter possunt opera exerceri, vel ad opera sumenda : vel certe *felices*, aptos felicibus operibus. — *Quintam fuge.* Ut quinta luna nullius operis initium sumas : dicitur enim hic numerus Minervæ esse consecratus, quam sterilem esse constat; unde etiam omnia sterilia quinta luna nata esse dicuntur; ut, Orcus, Furiæ, Gigantes. — *Pallidus Orcus.* Quia pallidos facit; nam ipse niger est. Probus, *Orchus* legit. Cornutus vetat aspirationem addendam. Hesiodus Orcum quinta luna dicit natum. Celsus, et Jurisjurandi deum pallidum dictum, quia jurantes trepidatione pallescunt : nam apud Orcum defunctæ animæ jurare dicuntur, ne quid suos, quos in vita reliquerunt, contra fata adjuvent. *Serv.* — Vide notas, vol. I, pag. 294.

278. *Eumenides satæ.* Id est, natæ, et ut sæpe dictum est, *κατ' εὐφημισμὸν*, *Eumenides* vocantur, quod non habent bonam voluntatem, id est, mentem; sicut *Parcæ*, quia nulli parcant. *Serv.* — Furiæ postquam ab Oreste matricida placatæ sunt, nomine Εὐμενίδες ab eo fuerunt honoratæ; quo postea Græci, funesti ominis verba reformidantes, usi sunt. Virgilius nullo modo hic declarat Eumenides esse cum Orco simul natas; sed quinta cujuscumque anni et mensis die. *V. G.*

279. *Cœum.* Nomina sunt Gigantum : per Cœum autem et Typhœum, et Japetum, omnes gigantes intelligimus; quos quinta luna dicit esse natos. — *Cœumque Japetumque.* De hisce gigantibus, et eorum pugna, Apollod. biblioth. lib. I : et noster Æn. VI, 580. *Hic genus antiquum terræ, Titania pubes, Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.*

280. *Et conjuratos cælum rescindere fratres.* Othum et Ephialtem dicit, qui fuerunt filii Neptuni, et novem digitis singulis crescebant mensibus : qua freti altitudine cælum voluerunt evertere : sed confixi sunt sagittis Apollinis et Dianæ. *Serv.*

281. *Pelio Ossam.* Monti Thessaliæ. Pelio o longa est, sed fit brevis sequente vocali; ut, *sub Ilio alto.* — *Conati imponere Pelio Ossam.* Nota hunc versum Græco more bis hiantem. Synalœpha bis neglecta poterat videri inanem eorum conatum exprimere : quod et Fabricio visum est. Hunc autem totum locum J. C. Scaliger Poet. v, 3, contra Græculorum et Critico-

pum, ut inde Jovis cælum oppugnarent: sed hic conatus inanis fuit, nam Pater Jupiter hanc struem montium fulminibus disjecit.

284. Ait septimam diem Lunæ esse felicem, et decimam quoque, sed decimam feliciorem septima: in utraque ponendæ vites, domandi boves, cœptandæ telæ, procedet enim felix textura; incipies autem telam, si illi addas licia, quæ rigant stamina. Nonam diem Lunæ meliorem esse quavis alia die, ut in ea servi, aut quicunque alii, fugam capessant: ac perinde contrariam esse quibuscunque furtis; nam sicut præbet lucem ad fugam, ita quoque aperit latebras furum.

287. Postquam docuit, quæ dies Lunæ felix, vel infelix sit, docet jam, quæ pars diei aptior ad opera rustica, distin-

rum subtilitatem defendit. Porro *Pelion* et *Ossa* et *Olympus* Thessaliæ montes sunt; Centaurorum stabula.

282. *Scilicet.* Hujus vocis sensum lexicorum pleraque neglexere. Vide Georg. lib. I, 493; II, 245; III, 266; et ibi notas Heynii; Horat. II, Od. 14, 9; Claud. XXXVIII, 116. *V. G.* — *Involvere.* Signantur vires stupendæ, et ultra omnem modum. Quantæ illæ vires, quæ potuerunt rotare Olympum supra alios montes, et instar lapidis emissi e funda in altum, devolvere! *Cerda.*

284. *Septima post decimam felix.* Aut septimamdecimam dicit; aut hoc dicit, felix quidem est septima, sed felicior decima: ut primum locum decimæ tribuat, quæ sit valde felix; secundum septimæ, quæ post decimæ felicitatem sit secunda; ut ea nulla sit felicior, excepta decima. Aut certe sicut quidam volunt, quartamdecimam dicit, ut felix sit septima duplicata: id est, cujus numerus post decimam invenitur: quo die revera melius vites ponimus. *Serv.*

285. *Domitare boves.* Instruere, quomodo possint ferre laborem arandi; et sciant ad jugum pariter incedere. *Serv.* — Ultimo Martii mensis fine et die a religionibus vacuo, Romani agricolæ, vitulos ad tertium ætatis annum usque in pascuis errantes, solebant prænsare. *V. G.*

286. *Nona fugæ melior, contraria furtis.* Non, ut quibusdam imperitis videtur, Virgilius aut fugam servis suadet, aut eis indicat dies, quibus, se a rapinis abstineant. Nam et *fugam* de profectione et cursu legimus: ut, *Simul arva fuga, simul æquora verrunt;* unde velocem equum *fugacem* dicimus: et *fuga* potest etiam honesta esse; ut si quis hostem, si quis imminentem tyrannum, si quis sævum judicem fugiat. *Serv.* — Nona quum jam luceat luna, servo fugienti favet; furibus vero contraria est; gaudent enim nocte et nebula. *V. G.*

287. *Melius se nocte dedere. Nocte* autem non est adverbium, sed nomen, ablativique casus; adeo ut ei Horatius junxerit præpositionem: *Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones.* — Quænam

guitque inter diem et noctem : et observabis opponi a poeta, tam noctem, quam summum mane diei : itaque pro eodem reputat, quæ fiunt aut nocte, aut summo mane. Eous est Lucifer, qui, novo Sole adventante, terras novo rore conspergit, *Adeo* est hic valde; valde melius.

289. Incipit ergo a nocte æstiva : tum stipulæ secentur, et quicquid in pratis provenit, ut fœnum, et similia; quia quum hæc sint arida sua natura, lentescunt rore, qui nunquam deficit per noctes, et ideo melius secantur : itaque præmisit, *leves* esse stipulas, prata *arida*, quia dicturus de lento humore noctium.

291. A noctibus æstatis transit ad noctes hybernas, in quibus non deest, qui ad multam noctem, et ad seram lucernam pervigilet, ut ferro incidat faculas ad imaginem spicarum acutas : hujus tam infatigabilis agricolæ laborem uxor mitigat

noctu agenda 287... 296. Vide Varron. I, 10; Col. II, 21; VI, 3; XI, 3; Plin. XVIII, 30, 72; Pallad. VII, 2. *V. G.*

288. *Sole novo.* Græci ἡλίου νέου. Poeta ipse Georg. II; *novos soles;* et Æn. IV, *novo lumine;* et Georg. III, *mane novum.* Omnia ista de exortu diei Plin. XVIII, 21. *Sarculatio soles novos admittit.* Apul. lib. II. *Sol novus diem fecit.* — *Inrorat.* Illustrat : aut simpliciter *inrorat :* matutino enim tempore ros cadit. — *Eous.* Id est, lucifer : de quo etiam Cinna in Smyrna sic ait : *Te matutinus flentem conspexit Eous, Et flentem paulo vidit post Hesperus idém.* Serv.

290. *Tondentur.* Secantur prata jam matura. — *Noctis.* Accusativus pluralis : hæc lectio castior ex Arusiano Messo dignoscitur, qui in libello de elocutionibus Virgilianis in exemplum quod eleganter *deficit illam rem* dicere possumus, Virgiliano hinc utitur testimonio, *Noctes lentus non deficit humor.*

291. Post Vulcanalia Kal. Sept. habita, in quibus Deo ignis datori sacrificabantur vitulus et verres, inchoabant Romani, aut agricolæ, aut litterarum studiosi, lucubrationes suas. *V. G.*

292. *Faces inspicat.* Incidit ad spicarum et aristarum imaginem. — Casarum domini in culina morabantur. Vide Georg. lib. II, 242; Ecl. VII, 49 : ibique *faces* ex tæda, vel vallos ex aliis lignis exacuebant, aliaque conficiebant : texebant præterea apum alvearia : interdum faces sulfure inducebant, et cera ; Ovid. Heroid. VII, 23 : « Uror, ut inducto ceratæ sulfure tædæ. » Et Met. III, 373 : « Non aliter quam quum summis circumlita tædis Admotas rapiunt vivacia sulphura flammas. » Vide Col. II, 22. — Candelarum inventum Ægyptiis tribuitur. *V. G.*

293. *Interea longum cantu solata laborem.* Elegans plane et lectu dignissimum est XII, 1, in Colum. ubi de villicæ agit officio, quæ dum cura sua defungitur, cantiunculis frequenter se oblectat, et tempus

cantu suo, quum telas texit arguto, sonanti, pectine: telarum enim textura melius noctu succedit, nam mollescunt fila humore noctis: itaque conjux marito et usui est, et voluptati; usui in tela, voluptati in cantu: aut certe, si uxor telam non texit, sapam conficit: docet vero obiter, qua ratione sapa conficiatur: decoquitur enim igni mustum, id est, absumitur quum coquitur; ac foliis despumatur, fortasse pampineis, nam hæc ad manum, et ideo rusticis erunt pro cochleari.

297. Absolvit quid agendum noctibus æstatis, atque hyemis, gradumque facit ad dies æstatis atque hyemis: de æstate breviter expedit, docens, messem omnem frumentariam secandam die medio, terendam die medio. Ideo secanda, quia tunc rubet, concocta est, et matura: ideo terenda, quia medio æstu tosta est, atque adeo aptior, ut grana excutiantur.

299. De hyeme non ita breviter; nam et plura docet, et poetice ac venuste excurrit ad narrandas voluptates agricolarum, quas id temporis capiunt: docet arandum, ac serendum, non quidem cruda hyeme, sed ante rigidum frigus, quum et tepor hyemis et labor aratoris rejiciat vestimenta a corpore

fallit; quare recte Ovid. Trist. IV, 1. *Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis, Fallitur ancillæ decipiturque labor.*

294. *Arguto.* Sonoro, stridulo. — Idem epitheton pectini jungit Apul. Met. II: *Et pectinis arguti dente tenui discriminatus.* — Tantum pollebat texendi nendique mos, ut ipse Augustus, simplicitatis simulator, nullam vestem nisi sororis, uxoris, aut filiæ manibus factam induerit. Homer. Odys. X, 221; de Circe: et Tibul. II, El. I, 65: « Atque aliqua adsidue textrix operata Minervam Cantat, et adplauso tela sonat latere. De pectine, instrumento quo densatur tela. » Vide Senecam, Ep. 90. *V. G.*

295. *Aut dulcis musti Volcano decoquit humorem.* Hic versus longior est una syllaba, sed sine vitio, quoniam sequens a vocali incipit. — *Dulcis musti.* Mustum usque ad tertiam partem decoctione redactum apud Plinium dicitur *sapa*; usque ad dimidiam, *defrutum*: quibus verbis etiam promiscue utebantur veteres: hoc a Plinio in adulterium mellis excogitatum dicitur: apud Græcos appellatur ἕψημα, γλυκὺ et οἶραιον. *Defrutum* post annum vinis immixtum ea diuturna reddit: Agricolæ, festis diebus, defrutum lacte dilutum bibebant, Ovid. Fast. IV, 779: « Dum licet, apposita veluti cratere camella, Lac niveum potes, purpureamque sapam. » Hunc potum a colore Festus *Burranicam* appellat. Coquitur defrutum plerumque noctu, *silente luna.* — Vulcanus pro igni sumitur; eodem modo Bacchus pro vino; Neptunus pro aqua. *V. G.*

297 ... 310. *Quænam interdiu agenda. V. G.*

299. *At medio æstu.* Particula *at*

arantis : videtur mihi signare autumnum, utique tempus sementis : nam hyems cruda colonum facit ignavum, ut quæ ipsa ignava est : quin id tempus, quum horrent frigora, dicatum est voluptatibus agricolarum ; tunc fruuntur parto, parato ; convivia inter se exercent : nam hyems quæ genialis, voluptuosa est, eos invitat, et resolvit curas : illustrat hoc comparatione : non aliter illi gaudent exactis laboribus, quam nautæ, quum pressæ carinæ (signat naves onerarias, compres-

oppositionem indicat cum antecedentibus, scilicet cum *gelida nocte*. Vide Theocr. X, 47 ; et Tibul. I, 5, 22 : « Area dum messes sole calente teret. » Caret exemplis ista Pomponii interpretatio dicentis, Virgilium hisce verbis æstatis mediæ calorem indicasse ; præterea pugnat cum Columellæ præceptis, lib. II, 21 : « Antequam « torreatur vaporibus æstivi sideris, seges celeriter demetatur : » nec itaque nimius æstatis calor exspectandus. Pallad. VII, 2, ait tritici messem tunc esse paratam, si æqualiter spicarum populus maturato rubore flavescat. Plinius, XVIII, 4, narrat Viatorem, quum Cincinnato dictaturam attulerit, eum arantem, nudum, plenumque pulveris invenisse, et dixisse ; « vela corpus, ut proferam senatus « populique Romani mandata. » Et Cato, ut Plutarchus refert, æstate nudus cum famulis laborem perficere solebat. Nugator itaque fuit ille, qui, quum Virgilius carmen suum coram quibusdam legeret, ac fortuito post verba, *nudus ara, sere nudus*, vocem inhiberet, illico versum sic absolvit : *habebis frigora, febrem*. V. G.

300. *Parto*. Parato. — *Agricolæ plerumque fruuntur*. Dicit agricolas per hyemem his frui, quæ æstate paraverint. *Plerumque* dicit, quia dicturus est aliqua, quæ rusticus etiam hieme possit efficere. *Serv.*

302. *Invitat*. Ita Plaut. Amph. I. *Invitavit sese in cœna plusculum*. Sallust. Hist. IV. *Quum se cibo vinoque læti invitarent*. — *Genialis* dicitur *hiems*, quia geniis accepta ; tunc enim peracto anno, et præsertim per Saturnalia, quisque genio suo operam dabat : genius, non ut reliqui Deorum, sacrificiis placandus, a teneris alumno suo comes erat ; postea quum alumnus paterfamilias factus, super foco, instar Larium locatus, vario fungebatur munere, curam gerens ignis, ut bene flagret ; cibis saporem ministrans ; cavensque ne rimas agant vasa, aut rumpantur. In dapibus, et præcipue die natali, Genii imago uncta et thure perfusa, donabatur vino ac libis mellitis. Inde proveniunt verba *indulgere genio ; defraudare genium*. *V. G.* — *Curasque resolvit*. Quiescere facit a labore et curis. Catul. in Epigr. *O quid solutis est beatius curis ?* Martial. lib. X. *Nox non ebria, sed soluta curis*.

303. *Pressæ carinæ*. Onerariæ. Tibull. *Presserat externa navita merce ratem*. Ex qua imitatione recte colligit German. in Virg. *pressas carinas*, esse, *oneratas mercibus*. Illud : *portum tetigere carinæ*, ita adumbrat Prop. lib. III, 23, 15 :

sas mercibus), portum contingunt, et lætabundi ipsi puppes coronant. Est qui explicet *naves pressas*, oppressas et agitatas; non placet.

305. Etiamsi in hyeme solvendæ curæ agricolarum, non ita tamen, ut nihil agant: colligant tunc glandes, baccas Lauri, oleam, myrta, quæ instar cruoris rubent, quum matura sunt: exerceant se in aucupio gruum, in venatione cervorum, sequantur lepores, figant damas Baleari funda: quum videlicet nix alta terram occupat, fluvios glacies summæ. *Brevius*: quum hyems est. *Flumina trudunt glaciem;* impellunt; quod contingit sæpe, quum fractas glaciei crustulas aquæ contrudunt et convolvunt.

Ecce coronatæ portum tetigere carinæ. — Quum jam portum tetigere. Dat comparationem de navigantibus: quod sicut illi, expleta jam navigatione, et positis in sicco navibus, lætantur, et epulis vacant: sic etiam rustici finitis completisque æstivis laboribus, hieme convivia celebrant, et a curis solvuntur. *Serv.*

304. *Coronas.* Puppi coronas imponebant, quod ibi sacrarium navigii erat: de quo Æn. X, 171; et Æn. IV, 118. Vide Turneb. XIX, 2. Alii hic *coronas* accipiunt funes nauticos in modum coronæ complicatos: minus bene. *Taubm.*

305. *Sed tamen et quernas glandes.* Sunt aliquæ derivationes, ex usu magis quam ex ratione venientes: ut *quernus, ficulnus, ilignus, colurnus;* a corylo, ilice, ficu, quercu. *Serv.* — Ineunte Novembri, glandes leguntur, pabulum suibus bovibusque; Col. IX, 1. Glandium plura genera; quernea glans, *ilignea, cerrea.* — *Stringere,* decerpere; Ecl. IX, 61; Col. ait, VI, 3; æstate peracta, boves frondibus esse vescendos, præsertim iligneis, querneis, et laureis. Hæ enim ultimæ sunt ceteris deficientibus. Vide Georg. lib. III, 301. *V. G.*

306. *Cruenta myrta.* Id est, matura: quia matura cruoris colorem imitantur. *Serv.*

307. *Pedicas.* Laqueos, quibus pedes implicantur. — *Gruibus pedicas.* Inter hominis rustici voluptates. Horat. quoque Ep. II. *Pavidumque leporem, et advenam laqueo gruem Jucunda captat præmia.* — *Gruibus*, pro avibus quibuscumque; speciem pro genere. — *Retia ponere cervis.* Venatio cervorum ut plurimum cum retibus. Poeta ipse in Ecl. V. *Nec retia cervis Ulla dolum meditantur;* et Georg. III. *Ingenti clamore premes ad retia cervos.*

308. *Auritos lepores.* Majores aures habentes. Observat Germanus a Græco Poeta in Epigr. leporem dici, θῆρα οὐατόεντα: *feram auritam.* Huc spectat etymon. Volunt enim Grammatici λαγωὸν dici ab οὖς *auris*, et λά particula intensiva.

309. *Balearis fundæ.* Hispanicæ: a Baleribus insulis Hispaniæ; quod vero *Balearem fundam* appellavit, dictum a plurimo ejus usu, qui apud Baleares est, quæ sola genti arma esse Trogus ait; non autem, quod ibi inventa sit

311. QUINTÆ PARTI, quæ tota est de Astrologia, annectit tempestatem, quæ duobus præcipue temporibus anni contingit: primum est initio Autumni, et fine Æstatis: alterum fine Veris, initio Æstatis: itaque confinia ipsa temporum exposita sunt tempestatibus; nam hyems et æstas torrida non ita obnoxia huic malo propter summum frigus, summum calorem. Hanc itaque sententiam ita elucidat, ut tempestates et sidera autumni incipientis significet notis duabus, videlicet per dies breviores, qui sunt post æquinoctium: et per æstatem jam mollescentem et labentem: quid dicam, quæ providenda et laboranda sunt viris agricolis? ver ruens, id est, desinens, significat duabus aliis notis, videlicet per spicas horrentes, et per frumentum lactescens, quum turgere incipit in viridi adhuc et tenera stipula.

funda, ut aiunt Servius et Phylargyrius; nam hujus inventores Plinius Syrophœnices memorat; Strabo vero *Ætolos*. Præter insularum descriptionem idem Strabo lib. III, funditores optimos esse Baleares docet: σφενδονῆσαι ἄριστοι λέγονται. καὶ τοῦτ' ἔστιν αὐτοῖς διαφέροντας, ἐξότου φοίνικες κατέσχον τὰς νήσους. Nec est, quod quispiam miretur, teste Floro III, 8: *certos ictus, quum hæc sola genti arma sint; id unum ab infantia studium. Cibum puer a matre non accipit, nisi quem ipsa monstrante, percussit. — Stuppea verbera.* Funes e stuppa contexti, sive lora, quibus plumbum aut lapides intorquentur.

311. *Quid tempestates autumni.* Verno et autumnali tempore fiunt tempestates, quando nec plena æstas est, nec plena hiems: unde medium et confine utriusque temporis, ex conjunctione contrariarum rerum, tempestates efficit. Sane sciendum, ultimas partes, tam autumni, quam veris significare, quibus fiunt procellæ: quod de autumno, hic indicat versus: *Atque ubi jam breviorque dies, et mollior æstas:* de vere hic: *Spicea jam campis quum messis inhorruit. Ruit*, id est: præcipitatur; in fine est: et in hoc talis est sensus: quid dicam quantum oporteat sollicitum et studiosum esse agricolam tempore autumni et veris? *Serv.*

314. *Spicea jam campis.* Spicos de maturis frugibus abusive dicimus: nam proprie est *spicus*, quum per culmi folliculum, id est, extremum tumorem, aristæ adhuc tenues in modum spiculi eminent. *Serv.* — *Inhorruit.* Horrere dicuntur aristæ maturescentis frumenti; eodem modo carduis horrere dicitur ager desertus; hastis exercitus; setis verris dorsum. *V. G.*

315. *Frumenta lactentia.* Adhuc tenuia, et lactis plena: sane sciendum, Varronem in libris divinarum rerum dicere, Lactentem deum esse, qui se infundit segetibus, et eas facit lactescere: et sciendum inter *lactantem* et *lactentem* hoc interesse; quod *lactans* est, quæ lac præbet; *lactens*, cui lac præbetur. *Serv.*

316. Insumit primo versus sex in explicanda prima illa tempestate, quam attigit de initio autumni, et fine æstatis; sed ita tamen, ut præcipue dicat, quæ pertinent ad æstatem: deinde sex alios in ea, quæ accidit desinente vere. De priore ait, tam deformem sæpe contingere tempestatem messis tempore, ut venti omnes secum prælientur: atque ita miserandum in modum præveniatur labor messorum: nam non exspectata falce, venti eruunt segetem ab radicibus, expelluntque et avehunt in omnem partem. *Arva flava*, sunt matura: *stringere*, est secare: *sublime expulsam eruerent*, id est, eruerent, et erutam expellerent in sublime: *hyems* est tempestas. De posteriore ait, agmine aquarum ruente e cælo, collectisque *nubibus* ex eodem cælo alto, demum cadente ipsomet æthere, dilui delerique sata (hæc vox aperte signat ver) et labores boum, impleri fossas, crescere flumina, et præcipitari cum ingenti sonitu, æquor fervescere atque æstuare, irrumpentibus eo fluminibus. *Glomerant tempestatem* est, accumulant, et faciunt crescere; *freta spirantia* sunt, agitata, commota, ferventia, et veluti anhelantia. (*Vide quæ dicemus Gallice ad finem hujus Vol.*)

318. Restant versus, quibus poeta a calamitate segetum, et satorum dilabitur ad explicandos terrores, quos tonante Jove,

316. Junio mense, et appropinquante solstitio, fit hordei messis, tempore quo lucent cicindelæ; reliqui frumenti sequitur messis, quæ in tepidioribus locis usque ad ortum Sirii producitur. *V. G.*

318. *Omnia ventorum concurrere prælia vidi.* In Romano codice, *consurgere*, habetur, sed *concurrere* ex Plinio castior lectio cognoscitur: apud quem ita habetur: *Virgilius messe ipsa concurrere prælia ventorum, damnosa imperitis refert. Tradunt Democritum, metente fratre ejus Damoeo ardentissimo æstu, orasse, ut reliquæ segeti parceret, raperetque desecta sub tectum: paucis mox horis vaticinatio est approbata.* Pier.

320. *Ita turbine nigro ferret hyems.* Ventorum prælia ita concurrebant *turbine nigro*, obscurante cælum, ut *hyems culmum et stipulas* messis eradicatæ in altum abriperet.

321. *Culmumque levem. Culmus* dicitur ipse calamus: stipulæ vero folia, quæ ambiunt culmum. *Serv.*

323. *Fœdam glomerant tempestatem.* In describenda tempestate fœda, magna erat seges imitationis in Poetis Græcis et Latinis. Scriptores quoque passim exsultant hoc dicendi genere, et quoties incidit hæc occasio, magnifice attolluntur. Vide duas in Livio descriptiones, alteram lib. XXI; alteram XL; circa finem. Et Cæcilii apud *Minutium* pulcherrimam. Præterea Sulpicium lib. II, sacræ historiæ, et Valer. Maxim. I, 8. Nolui nunc Poetas indicare. *Cerda.*

325. *Sata læta boumque labores.* Hesiodus: Ἔργα βοῶν δ' ἀτέλειτο,

et mittente fulmina, patiuntur terra, feræ, homines: nam illa tremit, illæ fugiunt, isti pavent. Ille vero interim vere pater, vere pius contentus his terroribus, exercet iras suas in montes: nam percutit fulminibus Atho, Rhodopen, Ceraunia: Austri interim, atque imber sese ingeminant; jam nemora, jam litora plangunt ventoque insonant. *Nox media* non tam signat noctem ipsam, quam tempestatem atram instar noctis mediæ. Omnia hæc vere poetica, sublimia, stupenda!

καὶ ἡμιόνων ταλαεργῶν. Supra enim dixit: *hæc quum sint hominumque boumque labores*; quomodo Homerus: *ἀνδρῶν πίονα ἔργα*; et Apollonius Rhodius Argonauticorum lib. IV: *ἠέ τιν' ὄμβρον ἄσπετον, ὅστε βοῶν κατὰ μυρία ἔκλυσεν ἔργα*. — *Boumque labores*. Æn. II, 304: « aut rapidus montano flumine torrens sternit agros, sternit sata læta boumque labores. » In hoc ornatissimo loco cumulantur molossi ac spondæi, eadem frequentia quam tenebrosæ, de quibus agitur, nubes. — *Collectæ ex alto nubes*; hoc excipiunt duæ breves syllabæ, sequiturque dactylus, *ruit arduus æther*: credideris cælum ipsum illapsum: inundationis imaginem absolvunt voces canoræ; *ingenti; sata læta boumque labores*; vehemensque τὸ *diluit*, ad sequentem versum rejectum: mox syllabæ longæ; *implentur fossæ*, plenitudine sua; et transitus, *cum sonitu*, huic descriptioni miram afferunt cum natura similitudinem. *V. G.*

328. *Nimborum in nocte*. Sunt quidem codices antiquissimi, in quibus *nimborum nocte* absque *in* legatur: sed *nimborum in nocte*, ut in Mediceo et plerisque aliis habetur, longe numerosius et elegantius mihi videtur. *Pier.* — *Corusca*: priusquam vocem *dextra* legeris, procul dubio *corusca fulmina* junxisti: nec credibile est Virgilium, carminis construendi eximium magistrum, voluisse lectori fucum facere; quin et naturæ convenientior hic jungendi modus; fulget enim ex abrupto inter obscuram noctem *coruscum* fulmen: parum itaque refert, utrum dixerit Horatius lib. I, Od. II, 2, *rubente dextera sacras jaculatus arces*, nec ne! *V. G.* — *Terra tremit*. Terræ motus efficitur: vel *tremit terra*, tremere videtur; et pavent hi, qui terram colunt. *Serv.* — Vide *secundam Paraphrasim Gallicam* in calce hujus Vol.

332. *Athos*; mons Macedoniæ, inter Strymonium et Thermaium sinum; *Rhodope*; perpetua montium juga ab hæmo Thraciæ, usque ad Pontum Euxinum. *Ceraunia*, in Epiro, qua Adriaticum contrahitur mare. *V. G.* — Hi montes a crebris fulminibus dicti. Unum enim fulmen, quod colorat; aliud, quod transfigit; aliud, quod afflat: ut est: *Ex quo me divum pater atque hominum rex Fulminis afflavit ventis*. S.

333. *Ingeminant Austri*. Repetunt suos flatus venti. Virg. Æn. IV, 206: « nec unquam Solvitur in « somnos, oculisve aut pectore noc- « tem Accipit; ingeminant curæ. » Idem Æn. V, 221: « Tum vero in- « geminat clamor, cunctique se- « quentem Instigant studiis. »

335. Post descriptas tempestates, duplicem adhibet cautionem, unam Astrologiæ, alteram religionis; ut et cognitione rerum cælestium, et pietate erga Deos obviam eatur importunissimis ventis, fulminibus, imbribus. In re prima versus paucos insumit, in altera reliquos. Ergo ait, cavendum (nam hic *metuens* est cavens) esse diligenti agricolæ a malo tempestatis; observatis cæli mensibus, (signat duodecim signa Zodiaci) ac sideribus; observato signo illo, ad quod sese Saturnus frigidus, nocens, receptat, bis recipit; nam ea est natura et retrogradatio hujus astri; observatis orbibus, per quos errat Mercurius.

338. Pergit ad religionem. Primum invitat, ut in communi

335. *Observationes de planetarum cursu in Zodiaco* 335...337. Non solum quo signo Sol moretur observandum, sed etiam quo signo planetæ; v. g. remotine sint Saturnus et Mercurius, an Soli propinqui. Siderum motu pruinæ, pluviæ, nives, grandines fiunt. Nec meantium modo siderum hæc vis est; sed multorum etiam adhærentium cælo, quoties errantium accessu impulsa, aut conjectu radiorum exstimulata sunt. — Morantur autem Planetæ, Mars in Scorpio et Ariete, Venus in Tauro et Libra; Mercurius in Gemellis et Virgine; Luna in Cancro; Sol in Leone, Jupiter in Sagittario ac Pisce; Saturnus in Capricorno et Aquario. Saturnus et Mars in sede sua manentes, mali ominis sunt; Jupiter contra et Venus, boni. Mercurius sedem mutans, ejus planetæ vim sequitur, cujus ditionem percurrit; sed si suam teneat sedem, tonitrua mittit et terræ motus. *V. G.*

336. *Frigida Saturni stella.* i. e. noxia. Ecl. III. *Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.* Saturnum et Plin. II, 6; *gelidæ ac rigentis naturæ.* Ait Lucan. lib. X. *Frigida Saturno glacies et zona nivalis.* Idem *Deus pluviarum*, vulgo dicitur; et *Senex* etiam, quod senes semper gelidi sint. *Taubm.* — Saturnus a Sole remotus, sub Capricorni signo imbres; sub Scorpio grandines; sub aliis tonitrua et procellas adducit. An poeta τῷ *receptet* simulatum stellæ regressum ad signa jam perlustrata significare voluerit, nec ne, ego non decreverim. *V. G.*

337. *Quos ignis cæli Cyllenius erret in orbes.* Ordo est; in quos orbes cæli erret Cyllenius ignis. Et bene *Erret*, nam planetæ vocantur ἀπὸ τῆς πλάνης, id est, ab errore; nam interdum ad austrum, interdum ad septentrionem, plerunque contra mundum, nonnunquam cum mundo feruntur. *Serv.* — *Mercurius*, in Arcadiæ monte Cyllene natus; hujus errare videtur planetes propter celeritatem qua ambitum percurrit: loco vulgaris *cæli*, scripsi *cælo*, propter superiora verba, *cæli menses.* Medicea igitur lectione usus sum. Vide vol. I. Var. Lect. p. 305. *V. G.*

338. *In primis venerare deos.* Post hæc cognita, da præcipue operam sacrificiis, quibus tempestates, et pluviæ possint repelli. *In*

Dii omnes colantur; deinde, ut peculiariter Ceres Magna, cui sacra quotannis fiant: ideo *refer* quia quotannis iteranda; tertio signat, et quo loco, et quo anni tempore; locus, sint herbæ; tempus, ad finem hyemis, quum jam serenum ver.

341. Reddit rationem, cur illud tempus, cur ille locus apta sint: tempus, quia initio veris agni sunt pingues, vina jam mollia ex longitudine præteritæ hyemis: locus, quia in herbis somni sunt dulces, umbræ densæ in montibus quos arbores tunc vestiunt. Loquitur quippe de his sacris, non quæ tota absumebantur, sed quæ cedebant etiam in partem operantium, ita ut ex sacris epularentur: ideo locum describit ad celebranda convivia, ad somnos, qui sequuntur post epulas. Describit apparatum horum sacrorum: congregetur a principe agricola juventus omnis rustica, quæ adoret Cererem: ipse quoque interim paret sacrum offerendum, videlicet mel, lac, vinum, diluta omnia; innuit mulsum.

primis, præcipue, et ante omnia; nam alia neglecta possunt habere emendationem: tempestas adveniens, nisi ante prævideris, universa subvertit. *Serv.*

339. *Annua Sacra refer Cereri.* Anniversaria magna, sicut in Æneide; *Annua quæ differre nefas.* — *Magnæ Cereri.* Quia *Ceres*, quæ et *Tellus*, dicta est *Magna mater*, quod prima Deorum et hominum sit genetrix et educatrix; et proinde Ops etiam nominata, ab ope præbenda: Homero etiam ζείδωρος, i. *vitæ elargitrix*: quod victum mortalibus suppeditet. — *Lætis operatus in herbis. Operari* et *facere* pro sacrificandi verbo usurpant Latini, ut ῥέζειν ἀπὸ τοῦ θύειν. Tibull. II, 5: *Tunc operata deo proles discumbit in herba.* Horat. Od. III, 14; *Unico gaudens mulier marito, Prodeat justis operata divis.* Livius lib. I; de Tulli regis exitu, *operatum his sacris se abdidisse.*

341. *Tunc pingues agni.* Subaudi *sunt*; qui aut epulis, aut sacrificiis sunt apti. — Antiqua omnia exemplaria, quotquot habui, uno exemplo legunt *pingues agni et* absque synalœpha; neque temere tot manus diversis locis atque temporibus convenire credendum. Bona vero pars non *tunc*, sed *tum* utroque loco legunt: *Tum pingues agni et tum mol. vi. Tum somni dulces.* In Mediceo quidem *pingues agni et* habetur: sed *tunc* duobus locis superioribus, tertio vero *tum* est scriptum. Adverte vero etiam apud Servium eumdem esse verborum ordinem, quem in veteribus exemplaribus ostendimus inveniri; si cui tamen ea lectio magis placuerit, quæ in vulgatis codicibus habetur, nihil quicquam obstamus: nam et elegans et venusta ea quoque structura est. *Pier.* — *Tum pingues agni.* Tempore veris agni pingues, quia adhuc sugunt: vina vero delicatissima, deposita tum asperitate, et jam defæcata; hoc enim significat *mollissima*; somni sunt dulces fortasse propter pau-

345. Post congregatam turbam, post paratum sacrum sequitur pompa. Eat ter hostia circum fruges (significat sacrum Ambarvale), et socii omnes ovantes, vocent Cererem clamore magno in tecta, id est, orent, et salva messis in horrea, et domum perducatur.

347. Repetit quæ initio dixerat de tempore verno, quo peragenda hæc sacra, sed alio verborum flexu, nimirum ante æstatem, ante messem: ac tum, inquit, omnis rusticus coronetur quercu, det motus incompositos præ ebrietate, dicat carmina in honorem Cereris.

Pars sexta. 351. Est jam in sexta, et extrema parte hujus

ciores curas; vel quia umbræ magnæ in montibus. — *Molle* vinum dicitur maturum et suave, cui opponitur *durum* in Terentio.

345. *Terque novas.* In sacro Ambarvali ter circum arva ducebatur hostia. — *Felix hostia.* Id est, fecunda: et dicit Ambarvale sacrificium: quod sæpe de porca fecunda et gravida fieri consueverat; vel *felicem* dicit, cujus sacrificio et immolatione fecunditas agrorum merebatur. — Felix ibat hostia, quæ non reluctabatur, quum ad aras duceretur, invita enim amovebatur teste Macrobio III, 5.

349. *Torta redimitus tempora quercu.* Id est, habens in memoria victum priorem, a quo Cereris revocatus est benignitate: nam olim homines glandibus vescebantur. *S.*

350. *Det motus incompositos.* Id est, saltationem aptam religioni, nec ex ulla arte venientem. Sallustius, in Catil. *Saltare elegantius, quam necesse est probæ.* — *Carmina.* Hymnos in laudem Cereris. Etiam Ecl. V, 72: *Cantus* et *Saltatio* adhibetur. — Feriæ, de quibus hic egit Virgilius, non cum publicis Ambarvalibus a Romulo institutis confundendæ sunt, in quibus XII fratres, coronis spiceis albisque tæniis ornati, Romanam ditionem intra sextum lapidem circumibant. — E verbis, *mollissima vina* constat has ferias non ante prima vinalia, IX Kal. Maj. habitas esse. (Plinius XVIII, 69.) — Omnes publicæ obambulationes vocabantur lustrationes, quæ circa agrum Romanum habitæ; (ambarvale publicum vel circum ipsam urbem ambarvale.) — Habebantur quoque lustrationes tempore census, circum populum; quin et circum greges. In publicis feriis, hostia tribus masculini generis animalibus constabat, tauro nempe, verre, et ariete; (solitaurilia vel suovetaurilia majora): in feriis vero privatis, divites Romani tribus hostiis minoribus deos placabant, agno scilicet, vitulo, et porcello (suovetaurilia lactentia). Quibus erant prædia minora, Ceres, Bacchus Laresque familiares pro facultatibus placandi erant, vel porcello, (erat hoc vilissimum) vel agno, vel etiam vitulo: nec referebat, utrum masculini an feminini fuerit generis. — Veterum opinione, Jupiter solus Deorum preces submissa voce fusas audire poterat: reliqui non nisi clamore invocati opem ferebant. *V. G.*

libri, quæ tota de prognosticis tempestatum : præmittit vero versus procemii loco, quorum sententia est : ut mortales possint discere certis signis æstus, pluvias, ventos, id est, tempestates fulminum, pluviarum, ventorum, constitutum fuit a Jove rerum omnium patre et curatore, ut id mortales assequerentur, tum scientia Astrologiæ, tum rerum visarum experientia. Astrologiam signat per Lunam menstruam; per signum, quo Austri cadunt, id est, incumbunt. Experientiam per illa,

. . . . . *Quid sæpe videntes*
Agricolæ propius stabulis armenta tenerent.

Fit enim, uti agricolæ ex rebus sæpe visis discant futura, et contineant armenta in ipsis stabulis propius solito, neque sinant vagari.

356. Dixit tempestates prædivinandas ex Astrologia, et Experientia. Omittit nunc Astrologiam, et tantum de Experientia loquitur, quæ occurrit in oculos ipsorum agricolarum. Adhibentur itaque signa decem imminentium ventorum. Memineris enim præcessisse divisionem fulminum, pluviarum, ventorum. Rem vero ita disponit, ut primum loquatur de præsagiis ventorum, deinde de prognosticis pluviarum, de fulminibus nihil peculiariter loquatur, quum utrique tempestati misceantur. Ergo decem illa ventorum præsagia hæc sunt : 1° tumor maris, atque agitatio, præcipue in fretis; 2° fragor, qui auditur e montibus, et is aridus, hoc est, asper,

354. *Caderent austri.* Uti apparet ex contextu Virgilii *cadere* hoc loco est, incumbere, ad excitandas tempestates : dicit enim certa esse signa, quibus superventuras sciamus tempestates. Ita Terentius Varro in Sesquiulysse : *Adversi venti ceciderunt, quod si pergunt diutius mare volvere, vereor*, etc. — *Cadere*, quum de vento sermo sit, semper, residere, quiescere, significàt : Ecl. IX, 58 ; idem de verbo *ponere* valet Æneid. VII, 27 ; X, 103. Vox Græca πεσειν tum surgentem indicat ventum, tum cessantem, pro ut sensus postulat. *V. G.*

356. *Ventis surgentibus.* Flare incipientibus : unde e contrario, *quo signo caderent* austri, id est, flare desinerent.

357. *Tumescere.* Plin. XVIII, 85 et 86 : « Mare sæpe et silentio intumescit, flatuque altius solito jam intra se esse ventos fatetur. Equidem et montium sonitus, nemorumque mugitus prædicunt tempestatem. » — *Aridus fragor.* Sonitus, qualis solet fieri ex aridis, quum franguntur, arboribus. Fragor etiam a fractarum rerum nominatus est sonitu. — *Aridus fragor.* Lucret. VI, III, fragilis sonitus ; et 118, aridus sonus. *V. G.*

360. *Jam sibi tum curvis male*

nimius acutus, horrifer, et qualis fieri solet ex arboribus aridis; nam arida quum franguntur, asperius, acutius, et dirius resonant; 3° sonitus e litoribus mistus, ac perturbatus, neque bis dicit idem, ut male ait Servius; 4° crebrum murmur nemorum: hæc quatuor longiora sunt; sed quæ sequuntur, proxima, et quibus instantibus vix sese naves in mari continent. 5° Frequens volatus (nam hoc est *revolare*) mergorum e mari ad litus, et cum clamore; abeunt enim a ponto, et iterum redeunt, idque frequenter, donec tandem omnino discedunt; 6° marinæ fulicæ recedentes a mari, ludentesque in sicco; fugiunt videlicet tam mergus quam fulica ab undis præsagientes turbationem; 7° volatus ardeæ supra ipsas nubes, etiam si altas; 8° casus stellarum cælo, non verus, quod esse nequit, sed qui videtur, et apparet; ideo signate *videntur labi*: signat poeta trajectiones quasdam, et ἀποῤῥοίας ignis, id est, defluxus; fiunt istæ, quum vehementior ventus altiora conscenderit; aitque istas stellulas relinquere post se longos tractus flammarum, id est, quasdam lucis albicantis semitas; 9° palearum volatus, et frondium, quæ cadunt ex arboribus; 10° denique plumarum collusio in summa aqua.

Nihil usquam vividioribus pictum coloribus emicuit!

370. Post egregie tractata prognostica ventorum, gradum

temperat unda carinis. Scias, inquit, in pelago esse gravissimam tempestatem, quum mergi ad litora confugiunt. Poetice autem ait: *Jam sibi tum unda male temperat curvis carinis*; id est, sibi non parcit, sed crescit in perniciem navis; namque in carinam scindendam consurgit. *Serv.*

361. *Mergorum.* Fugam imitatus est poeta tribus anapæstis, mĕdĭō, cĕlĕrēs, rĕvŏlānt; vocem vero, plenitudine molossi, clāmōrēm: quæ vox est propria, quamvis clangorem prætulerit Heynius. Vide vol. I, pag. 309, Var. Lect. *V. G.*

364. *Altam supra volat ardea nubem. Ardea* dicta est, quasi ardua: quæ quum altius volaverit, significat tempestatem. Lucanus: « Aut « siccum quod mergus amat; quod- « que ausa volare Ardea sublimis « pennæ confisa natanti. » *Serv.*

366. *Stellas cælo labi.* Sequitur *vel* Epicureorum deliria, qui stellas humore terreno ali nugabantur: *vel* opinionem vulgi, cui ἀναθύμιοις illæ ignis ætherei putantur stellæ transvolantes, aut deciduæ. *Non* enim *omnia*, ut ait Servius, *prudenter a Poeta dicenda sunt.* Seneca Nat. Q. I, 1: « Stultissimum « est existimare, aut stellas deci- « dere, aut transilire, aut aliquid « illis abradi, *etc.* » Nam stellæ cadere non possunt, quarum natura est, ut stent semper; unde et stellæ vocantur. Sane sciendum est, ut ait Aratus, ab illa parte ventum flaturum, in quam ille ignis ceciderit.

370. In quinto hujus versus pede

facit ad prognostica pluviarum, hæc multa quum sint, poeta duodecim tantum commemorat: cujus oratio quum fere continua sit, mihi unico tractu explicanda est. Sunt itaque hæc: 1° Fulmen ab Septemtrione; 2° concursus Euri ab Oriente, Zephyri ab occidente, et cum tonitribus; hæc quum accidunt, inquit, certa adest pluvia, natant rura omnia, nautæ legunt vela, non ausi se mari credere. Illud *nunquam imprudentibus imber obfuit*, significat, tam manifesta sunt signa pluviæ, ut vel imprudens etiam falli ab ea nemo possit. Hactenus narrata duo tantum: pergit ad reliqua decem: 3° grues volatu suo altissimo indicant imbrem surgere ab imis vallibus; 4° bucula

concluditur sensus dactylo, ita ut sextus pes novum inchoet sensum. Vide Homer. Odyss. XII, 108; Iliad. XI, 102, et alios locos apud Homerum. Virgilius hac constructione gaudet lubenterque particulas iterat, Georg. lib. I, v. 80, *ne.... pudeat sola, neve*: v. 223, *debita quam... semina, quamque*: v. 314, *quum; messis inhorruit, et quum*: et passim alibi; etiam ad alium sensum inchoandum. *V. G.*

373. *Nunquam imprudentibus imber Obfuit.* Alii *in* vacare volunt; alii augentis habere significationem: ut sit, nunquam imber obfuit valde prudentibus, quæ res valde non sunt idoneæ. Unde melius est ita intelligere; nunquam imber obfuit, non ante provisus: tam clara sui dat signa: ut *Imprudentibus*, ignaris accipiamus; nam hoc dicit, nunquam nescienti nocet imber, quia se designat ante venturum: et scimus leviora esse mala, quæ ex opinione contingunt. *Serv.*

375. *Aut bucula cælum Suspiciens patulis.* Hic locus omnis de Varrone est: ille enim sic: « Tum « liceat pelagi volucres, tardæque « paludis Cernere inexpleto studio « certare lavandi: Et velut insoli- « tum pennis infundere rorem: Aut « arguta lacus circumvolitavit hi- « rundo, Et bos suspiciens cælum « (mirabile visu) Naribus aerium « patulis decerpsit odorem; nec « tenuis formica cavis non evehit « ova. » *Serv.*

378. *Veterem querelam*, quam expressit Aristoph. βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοάξ. Auctor Philomelæ; *Garrula limosis rana coaxat aquis.* Querebantur autem ranæ, secundum Æsopum, sibi a Jove *lignum* pro rege datum esse; deinde et *hydrum*. Possis et ad Fab. referre, ubi Lycii rustici in ranas convertuntur. Quam fabulam descripsit Ovid. Met. VI, sect. 4: « nunc quo- « que turpes Litibus exercent lin- « guas, pulsoque pudore, Quam- « vis sint sub aqua, sub aqua ma- « ledicere tentant: Vox quoque « jam rauca est. » Cicero ex Arateis: « Vos quoque signa videtis, « aquai dulcis alumnæ; Quum cla- « more paratis inanes fundere vo- « ces, Absurdoque sono fontes et « stagna cietis. » Ita Idem ad Attic. XV, 16: « Equidem etiam plu- « vias metuo, si prognostica nostra « vera sunt: ranæ enim ῥητορεύου- « σιν. » *Taubm.* — In codd. quibusdam legitur; *aut veterem.*

quæ ab illo lucem accipit: quum non videntur in cælo tenues quædam nubeculæ, quæ præ tenuitate sua sunt instar velleris lanarum.

398. Tria sequentia ab Halcyonibus, suibus, depressis nebulis: serenitas erit, si Halcyones, quas amat Thetis Dea maris, non expandant alas ad Solem tepidum; dicit tepidum, quia, quo tempore Halcyones possunt dare hoc prognosticum, tepor est in Sole, ob frigus tum non vigens: si sues non jactent, solvant, disperdant manipulos messis, quos forte offendunt; solent enim hoc facere, quum volutantur in luto: si nebulæ deprimantur, sintque prope terram.

eam fonti sui luminis esse subjectam, etc. Festus in voce *mulus*: « Mulus vehiculo Lunæ adhibetur, « quod ut mulus non suo genere, « sed equis creetur, sic ea Solis, « non suo fulgore luceat. » Unde apud Catull. Carm. XXXV; *et notho es Dicta lumine Luna.* Ita qui in Astronomicis alicujus momenti est, Manilius lib. II: « Tu quoque « fraternis sic reddis curribus ora, « Atque iterum ex iisdem repetis: « quantumque reliquit Aut dedit « ille, refers: et sidus sidere con- « stas. » Ideo Luna deficiens lib. IV; dicitur: *exutus Phœbeis ignibus ignis;* et paullo post: *Quod Luna defecit in astris Orba sui fratris.* — Luna, etsi languidam et mutuatam lucem tantum a fratre accipere soleat, videtur nunc proprio lumine fulgere, instar Solis. Lucretius, V, 575; Epicureorum more rem in ambiguo relinquit, utrum splendescat Luna luce mutuata, an propria: primam opinionem secutum esse Anaxagoram declarat Plato in Cratylo. Ipsum Lunæ nomen, Græce σελαγη, σελας νεον, significat splendorem novum. *V. G.*

397. *Tenuia.* Proceleusmaticus est pro dactylo, quam rem quoties-cunque facit Virgilius, servat locum Synizesi; ut, *tenvia;* item et, *Genua labant.* Nubes tenues, pro velleribus accipiendæ. *Serv.* — De quibus Plinius XVIII, 35: « Si nu- « bes ut vellera lanæ spargentur « multæ ab Oriente, aquam in tri- « duum præsagiant. » Lucan. lib. IV: *Phœbus aquis densas in vellera nubes Sparserat* Etiam Martial. IV, 3: *densum tacitarum vellus aquarum*, nivem vocat.

399. *Dilectæ Thetidi Alcyones.* Ceyx filius Luciferi, habuit uxorem Alcyonem: a qua quum prohibitus isset ad consulendum Apollinem de statu regni, naufragio periit. Cujus corpus quum ad uxorem delatum fuisset, illa se præcipitavit in pelagus. Postea miseratione Thetidis et Luciferi conversi sunt ambo in aves marinas, quæ *Alcyones* vocantur. Istæ autem aves nidos faciunt in mari, media hieme: quibus diebus tanta est tranquillitas, ut penitus nihil in mari possit moveri: inde etiam dies ipsi *Alcyonia* nominantur. *Serv.*

400. *Immundi sues.* Ut Horatio dicitur. Epist. I, 2: *Amica luto sus:* sic Columell. I, 4: « In pastu « locus huic pecori aptus uligino- « sus, quod delectatur non solum

402. Tria postrema ab tribus avibus, noctua; Niso; corvis. Nihil tempestatem formides, si videris tacentem noctuam ad occasum Solis; illud *nequicquam exercet*, est non exercet; quam phrasin Virgilii et hic Servius observat, et ego alibi: si videris Nisum (in hoc prognostico rem dilatat ex narratione fabulæ) apparentem in aere, et repetentem pœnas ab Scylla filia pro capillo purpureo, quem illa patri ademit; quacunque enim hæc fugit, ille insequitur; qua hic insequitur, illa fugit: demum si videris corvos ter aut quater vocem ingeminantes, quod faciunt compresso ad formandam vocem gutture; et quum sunt in suis nidis, dulcedine quadam inter se strepitantes; faciunt hoc enim post exactos imbres, dum suam sobolem, dum nidos revisunt.

« aqua, sed etiam luto » ; et paulo post : « Prodigunt in lutosos limi- « tes et lustra, ut volutentur in lu- « to, quod est illarum requies, ut « lavatio homini. » Aratus : *οὐ δὲ σύες φορυτῷ ἰκμαργαίνουσι*. De ipso prognostico ita Plinius XVIII, 35 : *turpesque porci alieno subsultu manipulos fœni lacerantes*. Emm.

403. *Nequicquam seros exercet noctua cantus*. Id est, non. Persius : *Nequicquam fundo suspiret nummus in imo*. Serv. — *Noctua*. Avis est lucifuga : quæ significat pluviam, si cecinerit post Solis occasum. De hac autem talis est fabula : Nyctimene postquam cum patre concubuit, et agnovit facinus esse, in silvis se abdidit, et lucem refugit : ubi deorum voluntate conversa est in avem, quæ pro tanto facinore omnibus avibus est admirationi. *Serv.* — Plinius : « Vesper- « tinum Noctuæ silentium, sere- « nitatis est præsagium : contra « garrulitas, pluviæ. » — *Nequidquam* : noctua gemitu suo proceles imbresque *nequidquam* provocat. Apuleius dicit, noctuam canere, quum advesperascit; ululam autem vespero; bubonem noctu. *V. G.*

404. *Sublimis in aere Nisus*. Nisus rex Megarensium, pater Scyllæ, quo pacto, in volucrem, quæ *haliæetus* sive *falco* nuncupatur; et item filia ipsius *Scylla*, quæ amore Minois hostis capta, patri fatalem capillum præsecuerat, in *Cirin* sive *egrettam* mutati sint, docuit Ovid. Metam. VIII, initio; Noster ex industria in cultissimo et fortasse supremo Poematio, quod Megaris, quo secesserat, motus memoria rei et loci, scripsit, et *Ceiris* inscripsit.

410. *Liquidas voces*. Claros sonitus, qui impediuntur imminente tempestate. Aeris subtilitas facit vocem magis sonoram, quæ quum proficiscitur a corvis, serenioris cæli est indicium, ut Plin. XVIII, 35. Obscuram vocem amittunt, mutata tempestate, ex sententia Lucret. lib. V : *Et partem mutant cum tempestatibus una Raucisonos cantus*, etc. Emm. — Ait Aratus corvos serena tempestate appropinquante, primum singulos, mox catervatim ad nidos volitantes plena voce singultare, læteque circum arborem tumultuare : idem, ait, v. 381, corvorum raucam vo-

415. Reddit poeta rationem, cur aves norint futuram serenitatem : non hanc quidem indicant ingenio aliquo, aut prudentia, quibus fata superent : sed mutata cæli temperie, et densitate aeris conversa in relaxationem, aut relaxatione in densitatem, fit ut aves alios motus, et species induant; canant, lætentur, et tripudient, in serenitate; sicut contra in tempestate erant diverso tristitiæ affectu.

Nedum hic volatum deprimat suum Virgilius, mihi videtur altius et sublimius ascendere!

424. Hactenus tradita sunt prognostica ventorum, pluviarum, et serenitatis, quæ indicantur ab animalibus : tradit jam, quæ indicantur, a Sole, et Luna; sed de hac prius, de Sole posterius : præmittit tres versus procœmii loco, docens neminem posse decipi, qui attendat ad præsagia Solis rapide percurrentis cælum, et Lunæ sequentis stato quodam ordine

cem pluviæ nuntiam esse; claram vero et *liquidam*, serenitatis. Epicurus et Virgilius opinionem Pythagoreorum rejiciunt, secundum quam animalibus inest mundi animæ aliquid. In Statii Thebaide dubitatur, avibusne ratiocinandi facultas statim a mundi principio concessa sit, an mortuorum mentes avium induant corpora; an denique aves aerem pro domicilio habitantes, majorem sentiendi facultatem consecutæ sint. *V. G.*

415. *Haud equidem credo.* Proponit sibi quæstionem acerrimam, et de intima philosophia : quam tamen tota facilitate dissolvit. Nam quærit cur homines, quos constat esse prudentiores animalibus, per se non sentiant qualitatem aeris futuram, sed eam magis ex aliis animalibus colligant. Et hoc dicit, homines prudentiam habere naturalem; et suo judicio posse vel lætos esse vel tristes, quæ res in hæc animalia cadere minime possunt, quæ nihil suum habentia, naturam aeris sequuntur : et pro ejus qualitate, aut læta videntur, aut tristia : nec prædicere aeris naturam videntur; sed eam vel prosperam, vel adversam advenientem sequuntur. Nos vero et læti inter nubila esse possumus, et in serenitate soliciti. *Serv.*

416 *Rerum fato prudentia major;* scilicet cui rerum fatum subditum est : videtur enim vates firma lege oraculorum fata regere : sic apud Lucretium, V, 1085; Corvus et cornix non solum imbrem præsagiunt, sed eum vocant : jejuna esset locutio, si verba *rerum fato* eodem sensu intelligeres, quo supra *divinitus :* jejunior, si *rerum et prudentia* jungerentur contra seriem verborum. *V. G.*

422. *Avium concentus.* Commistus cantus, id est, symphonia. — *Lætæ pecudes.* Aeris serenitate gaudentes. *Serv.*

424. *Solem ad rapidum.* Velocem. Et notandum, hæc signa magis fida et subtiliora esse, quæ ex Sole et Luna colligimus. — *Lunaque sequentis Ordine respicies.* Non

motum Solis, ut certam quamdam regulam: neminem, inquam, posse decipi, etiam si nox sit admodum insidiosa; solet enim nox primo initio clara esse, deinde nubibus tegi.

427. Constituit Lunæ præsagia tria, quum est cornu obscuro, rubro, puro: de primo ait; quum Luna renascitur, nam hoc est, colligere ignes revertentes, si cornu fuerit obscuro, imbres imminent et mari, et segetibus; si rubro, ventus. Observa obiter locutionem dignam hoc vate, *Luna virgineo in ore ruborem sibi suffundit:* si die quarta ab ejus coitu purâ fuerit, non cornibus obtusis, sed clare micantibus, non solum quartus is dies, sed omnes usque ad finem mensis carebunt tam imbribus, qui signabantur per obscuritatem; quam ventis, qui per ruborem: ergo, in tanta securitate temporis, et Lunæ tranquillitate, nullæ erunt procellæ in mari, neque nautæ peribunt; quin potius salvi, atque incolumes pervenient ad litus, ubi vota sua possint solvere Diis litoralibus, videlicet

ordinem respicies, sed *Ordine*, id est, rationabiliter Solem sequentes. Luna enim Solis circulum sequitur, licet ipsa sit inferior. Donatus dicit *Lunas*, noctes accipiendas; sed male: non enim signa, quæ dicturus est, ex nocte, sed ex luna colligimus. — De prognosticis, quibus nuntiatur serenitas vel turbatio aeris, eadem refert Flavius Vegetius libro V, cap. 10 et 11, laudando divinum Virgilii ingenium.

429. *Maximus agricolis pelagoque parabitur imber.* Id est, si non habuerit pura cornua, et intra eam nigrum aerem videris, erit ubique pluvia: sicut supra: *omnia plenis flura natant fossis, atque omnis navita ponto.* Serv.

435. *Exactum ad mensem.* Usque ad mensis ultimam partem: unde et *exacti menses* dicuntur, qui circa partum sunt. Ipse in sequentibus: *Exactis gravidæ cum mensibus errant.* Serv.

437. *Glauco et Panopeæ et Inoo Melicertæ.* Glaucus piscator fuit de Anthedone civitate: qui cum captos pisces super herbam posuisset in litore, et illi, recepto spiritu, rursus mare petissent, sensit quarundam herbarum potentiam, quibus conversus est in numen marinum. Panopea autem est Nympha marina. *Inoo* autem patronymicum est a matre Ino; Melicerta, proprium numinis. Sane Ino et Melicerta filius, postquam sunt in numina commutati, Græce Palæmon ut Leucothoe sunt appellati: Latine Portumnus, et Mater Matuta. His ergo numinibus dicit mox sacrificaturos nautas in litore eis diebus quibus prædicta serenitas affuerit: eo quod sint in mari servati. *Serv. — Glauco, | et Pano | peæ, et | Ino | o Meli | certæ.* Ut infirmioribus etiam manum porrigamus, scandendus est versus, quem grammatici nonnulli male dividunt: sic igitur dicamus more Aspri. *Glauco.* spon. *et Pano.* dact. *peæ et.* dact. *Ino* spon. *o Meli.* dact.

Glauco, Panopeæ, Melicertæ filio Inus: in summa ait, a Luna obscura signari imbrem, a rubente ventos, a pura serenitatem.

438. A præsagiis Lunæ excurrit ad præsagia Solis; hæc duplicia sunt, aut naturalia, aut prodigiosa: naturalia in hoc tractu persequitur, prodigiosa postea, sermone arrepto de morte Julii Cæsaris. Præmittit versus tres quibus ait, capienda esse præsagia a sole oriente, ab eodem occidente; et utraque esse certissima, tam quæ edit oriens summo mane, quam quæ occidens, astris apparentibus.

441. Dixit sumenda esse præsagia a sole oriente, et occidente; agit jam primo loco de his, quæ accidunt illo oriente: hæc tria sunt; primum præsagium significat imbrem copiosissimum; duo reliqua horrentem grandinem; ergo ait: si sol oriens lateat sub nube, et varias quasdam maculas contrahat ex densitate vaporum, qui exsistunt circa horizontem, ac dimidia tantum sui parte appareat, hoc est enim, fugere medio orbe; imbres time; tunc enim Notus sinister ac noxius arboribus, satis, pecoribus, imbres urget impellitque ab alto aere. Pergit ad grandinem: si sub lucem, hoc est, paulo post ortum diem et solem, latens sub nubilo in diversas partes radios demittat: aut si Aurora ante orientem solem pallida sit, grandinem time: quid enim accidet uvis maturis, aut quanam ra-

certæ. spon. — Hic versus e Græco Parthemi; quem vide vol. I, pag. 320., Var. Lect. et Not.

438. *Sol quoque et exoriens, et quum se condit inundas.* Ex poetarum fabulis, nihil hac opinione est notius, solem exorientem prodire ex aquis, et a terris recedentem undis condi. Unde Tacit. de Mor. Germ. c. 45: « Trans Suionas aliud « mare pigrum, ac prope immo- « tum, quo cingi claudique terra- « rum orbem, hinc fides; quod ex- « tremus cadentis jam solis fulgor « in ortus edurat, adeo clarus, ut « sidera hebetet. Sonum insuper « emergentis audiri, etc. » De cadente, videantur Strabo, in lib. III; et ipse Flor. II, 17. « Non prius « signa convertit, quam cadentem « in maria solem, obrutumque « aquis ignem, *etc.* » Emm.

439. *Signa dabit.* Pluviarum, vel serenitatis. — *Certissima signa.* De quibus nemini sit necesse dubitare. *Serv.*

442. *Conditus in nubem.* Id est, si orbis ejus quasi concavus fuerit; quod ipse exprimit dicens: *Medioque refugerit orbe.* Serv.

446. *Diversi rumpent radii.* Abscondito Sole et operto diversi radii per nubem erumpent. *Serv.*

447. *Tithoni croceum linquens Aurora cubile.* Tithonus frater Laomedontis regis, adamatus est ab Aurora: quumque optasset prolixiorem vitam, conversus est in cicadam. *Serv.* — Repetitur hic versus Æn. IV, 585; et Æn. IX, 460.

tione defendentur ope pampinorum, quum ex horrenti grandine tecta etiam crepitent!

450. Sequuntur prognostica a sole occidente, hæc tria sunt ex tribus coloribus, quibus solet infici, cæruleo, igneo, et rutilo maculoso: cæruleus pluviam significat; igneus Euros; rutilus cum maculis ventos, imbres, procellas: non ego, inquit, ea sum stultitia, ut tunc navigem, solvamque a portu; neque me quisquam in eam mentem impellat.

458. Dixit seorsim prognostica, quæ sumenda ab sole oriente, et occidente, et adversa omnia; nunc conjunctim, et quæ bona; itaque ait; si sol quum oritur, et quum occidit, clarus fuerit, carensque nubibus, ne nimbos Austri time: proflabit Aquilo, qui clarus est; nam videlicet imbres dissipat, et claritatem aeri inducit.

461. Concludit, itaque, certissima quæque prognostica sumenda esse a sole, sive sero vespere, sive vento agente, atque expellente nubes serenas, sive inprimis Austro conatus moliente: nam quis est, qui possit dicere, solem aliquando fuisse falsum et frustraneum? nemo profecto: quum etiam ille sæpissime indicaverit, quæ latent in imis sensibus mortalium, fraudes hominum, bellaque occulta: ergo, qui indicat, quæ

448. *Male defendet pampinus uvas.* Id est, non defendet: nam decussis pampinis etiam vim grandinis patitur uva. *Serv.*

450. *Emenso Olympo.* Percurso et perlustrato cælo, quum jam descendet ad occasum. — Sic in passiva significatione alibi Livius: *Postquam multo majorem partem itineris emensam cernunt.* Active sumitur frequentius a probatis scriptoribus, et etiam Nostro Æn. V, 627: *Quum freta, quum terras omnes, tot inhospita saxa Sideraque emensæ ferimur.* Et Æn. VII, 160: *Jamque iter emensi*, etc. *Emm.*

451. *Profuerit meminisse magis.* Ideo *magis*, quia a Sole venientia vespertina signa, meliora sunt. *S.*

455. *Omnia tunc pariter vento.* Id est, ubique et pluviæ et venti erunt. — *Fervere.* Æstuare et impleri: sic Æn. VIII, 677. *Fervere Leucaten.* Tertiæ scilicet conjugationis verbum est *fervo*, ut ad hunc locum Servius, et Priscianus lib. IX, p. 866. Sic compositum *effervere*, vs. 471.

456. *Me nocte.* Gratiorem sensum fecit, interposita suæ personæ commemoratione: nam hoc dicit, nulli se suadere illa nocte navigare. Tali exoursu utitur sæpe Virg. ut infra Georg. lib. II, 315; et lib. III, 436: *Ne mihi tum molles sub divo carpere somnos, Neu dorso nemoris libeat jacuisse*, etc.

461. *Denique quid vesper serus vehat.* Conclusio est, quæ hoc continet, signa quæ possumus ex stellis, vel ex ventis colligere, melius ex Sole colligimus. *Serv.*

463. *Solem quis dicere falsum Audeat.* Id est, fallacem. Sallustius: *Ambitio multos mortales falsos fieri coegit.* Serv.

pendent ab hominum voluntate, cur non, quæ sunt naturalia? *cæci tumultus* sunt, insidiæ, conjurationes, fraudes adhuc latentes in cordibus.

466. Dixit solem fuisse semper indicium bellorum, et motuum, qui latent in intimis sensibus: probat istud his, quæ contigerunt post cædem Julii Cæsaris, et ante bellum Augusti et Antonii contra Brutum et Cassium Julii percussores: falso enim quidam aiunt, hic numerari prodigia, quæ antecesserunt cædem Julianam: imo, quæ subsecuta sunt illam, et quæ præcesserunt bellum civile contra Brutum et Cassium: sed certe in vindictam Julianæ cædis: vates lectore tantum eget: nam expresse ait; *exstincto Cæsare*: præcessit ergo mors Julii. Principe autem loco numerat solis defectum, qui quia longus, ideo dicit, formidatam fuisse a mortalibus æternam noctem, id est, mortem omnium, atque ævi exitum. Sententia, quæ tyronibus serviat, est: ille etiam sol miseratus est Romam

464. *Cæcos tumultus.* Conjurationes et latentes insidias vel in Italia, vel in confinio. Quid sit tumultus docet Cic. Philipp. VIII, 1: « Potest enim esse bellum sine tu- « multu: *tumultus* esse sine bello « non potest: quid enim est aliud « tumultus, nisi perturbatio tan- « ta, ut major timor oriatur? unde « etiam nomen ductum est tumul- « tus. Itaque majores nostri, *tu- « multum* Italicum, quod erat do- « mesticus, *tumultum* Gallicum, « quod erat Italiæ finitimus, præ- « terea nullum tumultum nomina- « bant. »

465. *Et operta tumescere bella.* hic *operta bella*, alia sunt, quam quæ paullo ante nominat *cæcos tumultus*. Sæpissime in descriptione iræ, superbiæ, et rebellionis, Latini scriptores utuntur verbo *tumere*, et vocabulo *tumidus*. Ovid. Fast. II, 607. *Jupiter intumuit;* id est, ira incensus. De superbia Cic. Tusc. quæst. III, 39: « Sic igitur « inflatus, et tumens animus, in vi- « tio est sapientis autem animus « semper vacat vitio, numquam tur- « gescit, numquam tumet. » Quemadmodum hic *operta tumescere bella* dicuntur, sic Cicero ep. ad Attic. XIV, 4: *Negotia tument*, id est, seditiones et bella mox erumpent. Sic etiam Gallice dicimus: *le présent est gros de l'avenir.* — *Tumescere*, initia vitæ, motus, germinationis designat.

466. *Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam.* Bonum epilogi reperit locum, ut in Augusti gratiam defleat Cæsaris mortem. Constat autem occiso Cæsare in senatu, pridie Iduum Martiarum, solis fuisse defectum, ab hora sexta usque ad noctem; quod quia multis protractum est horis; dicit in sequentibus: *æternam timuerunt secula noctem.* Serv. — Scaliger constanter negat, ullam Solis eclipsim his versibus designari. Potius intelligitur, inquit, res prodigiosa, quæ circa Solem acciderit toto anno cædis Cæsaris. Plinius enim refert: *illum annum prodigiosum fuisse Solis pallore continuo, et quo-*

post exstinctum Cæsarem, quum se texit caligine per annum integrum; quum secula impia Julii cæde timuerunt ævi exitum : miseratus, inquit, ut sibi homines caverent.

469. Addit non solum solis indicium, sed terræ, maris, ca-

dam quasi ejus defectu perpetuo; quod non tacuit Tibullus : *Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit Jungere pallentes nubilus annus equos.* Neque aliter Ovidius, Metam. lib. XV : *Solis quoque tristis imago Lurida sollicitis præbebat lumina terris.* Sed, neque pridie Iduum, quod vult Servius, interfectus est Cæsar; neque pridie Idus, quibus interfectus, conjunctio Luminarium fuit. De Emendat. temp. lib. V. *Scaliger.*

467. *Ferrugine texit.* Ferrugo, est purpura nigrior, Hispana. Alibi : *Et ferrugine clarus Hibera.* Serv. — *Ferrugo*, secundum *Nonnium*, colorem indicat modo cinereum, modo cæruleum : hunc Plautus, Mil. IV, 4, 43, tribuit nautis; Claudian. XXXV, 93, violis; Virgil. lib. IV, 193, gladiolis; Æn. IX, 592; XI, 772; Catul. LXIV, 223, Ibericæ purpuræ. Barba Glauci apud Ovidium, Metam. XIII, 960, dicitur *viridis ferrugine. Ferrugo*, perinde ac *cæruleus*, ad colorem saturatiorem designandum sumitur. Virg. Culex, 272; Æneid. VI, 303; Ovid. citato loco, 235; Statius, Thebaid. II, 13; Claudian. XXXV, 275; Ovid. Metam. XV, 789. Nec unquam vocem *ferrugo* eodem inveni sensu usurpatam, quo robigo sumitur. Hujus opinionis defensores locum quemdam Plinii XXIII, 79, adducunt, qui minime huc pertinet : idem dicimus de verbis, *ferrugo rotarum*, XXVIII, 37. *V. G.* — *Quum caput obscura*, etc. Defectus Solis semper prodigiosus. Putat Ursinus expressum a Virg. locum Apollonii Arg. lib. IV : Ἠὼ καὶ ἠέλιος μίσῳ ἤματι νύκτ' ἐπάγησιν Οὐρανόθεν. τὰ δὲ λαμπρὰ δι' ἤέρος ἄστρα φαάνθη. Dicit : *Solem die medio noctem induxisse e cælo, astra visa.* Ego a Petronio in Sat. locum Virgilii, nam loquens de prodigiis bellorum civilium : « Continuo clades hominum, « ventaraque damna Auspiciis pa- « tuere Deum : namque ore cruen- « to Deformis Titan vultus caligine « texit : Civiles acies jam tum spi- « rare putares. » Lucan. inter prodigia belli civil. lib. I : « Ipse caput « medius Titan quum ferret Olym- « po Condidit ardentes atra caligine « currus, Involvitque orbem tene- « bris, gentesque coegit Desperare « diem. »

468. *Impia secula.* Quibus fuerat Cæsar occisus. *Æternam timuerunt noctem.* Propter diutinum, et prolixum Solis defectum; id est, timuerunt, ne semper ille defectus maneret. *Serv.*

469. *Tempore quamquam illo tellus.* Ac si diceret; quamquam illo tempore non solum Sol defecerit; sed etiam diversæ res, et elementa; quasi fleverint Cæsaris mortem, et inaudita portenta fuerint; ut ex reliquorum comparatione, minus mirum videatur solem defecisse. *Serv.* — Græcorum antiquissimi : quum viderent omnia ex aqua, aere et terra gigni, credidere se ab illis facile, communi Apollinis vaticinio, comperturos, quæ aut natura, aut fata

num, volucrum. Videtur mihi poeta voluisse includere universum ferme orbem, ut cælum, terra, mare, aer prædivinarint bella civilia. Cælum signat per solem, per volucres aerem, per obscœnos canes terram: mare aperte nominat.

471. Subdit jam magnam, et incredibilem congeriem prodigiorum; inprimis mugitus Ætnæ, cæli, montium: Ætnæ, nam hæc suos rupit fornaces, flammas vomuit, et saxa ignita

futura sint: 1° a cælo nempe, si avium sublimes volutus et voces; si tonitrua, ignesque, si denique ventos et sidera observarent; 2° a tellure, si vaporum, animalium præsagientium omina; si arbores, sortes, mortuos, somnia perscrutarentur; 3° ab aqua; (Nereus, Proteus, Glaucus, Nymphæ;) si fontes bestiasque aquatiles contemplarentur. De prodigiis vide Iliad. IV, 75; XVII, 547. *V. G.*

470. *Obscenique canes.* Ululantes scilicet, ob visa phantasmata: canum ululatus inter funestissima erant omina, perinde ac immoderati gemitus avium nocturnarum interdiu auditi. Ovid. Metam. XV, 791—796. *V. G.* — *Obscenitas* ominis proprie: nempe quia obscena omnia et fœda, antiquis visa tristia et infausta; ut contra pura purgataque, læta et felicia. Hinc *obscena dicta* appellat Accius δύσφημα. Ovid. de eodem prodigio: *Inque foro, circumque domos, et templa deorum, Nocturnos ululasse canes.* Æn. III, 241, *obscenas volucres* vocat Harpyias. — *Obscenus*, an absque diphthongo an cum diphthongo scribatur, Dausquius in *obscenus*, et *scena*, prolixius disputat. Per obscenas canes intellexeris insolitum, et ominosum latratum edentes. — *Obscenus*, sine diphthongo, ab *ob*, et *cano* deducitur, interposita litera *s*, euphoniæ causa, et contrarium omen, malum et minax augurium, ut hic, significat; nam cum diphthongo, ex *ob* et *cœnum* componitur; non ab *cane*, ut ait Priscianus; neque ab *Oscis*, ut inquit Festus; et tunc turpe aliquid et immundum significat. Sed vide Varronem, lib. VI, de L. L. 5; Manutium, Nonium, et Cellarii Orthogr. — *Importunæque volucres* Alieno nempe tempore volitantes, quæ apud Lucan. I, 558; dicuntur *fœdasse diem*, quia diurno tempore bubones, striges, et ejusmodi generis aves apparere non solent; *importunus* enim dicitur, qui rationem habet nullam occasionis, loci, vel temporis, sed ea agit quæ animo est lubitum.

472. *Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam.* Malum enim omen est, quoties Ætna, mons Siciliæ ubi graves Cyclopum Jovi fulmina fabricantium officinæ, non fumum, sed flammarum egerit globos: et ut dicit Livius: « Tanta « flamma ante mortem Cæsaris ex « Ætna monte defluxit, ut non tan« tum vicinæ urbes, sed etiam Rhe« gina civitas afflaretur. » Serv. — *Undantem.* Undæ modo flammas evomentem. Æneid. XII: *Undabat vertex flammis;* ita Euripides dixit νᾶμα παμφάγου πυρός. Arist. Met. II. τὸ τῆς φλογὸς ῥεῦμα: et πυρὸς ποταμός. — *Fornacibus.* Lucret. quo-

per agros Cyclopum : cæli, nam in Germania auditi sonitus armorum toto cælo discurrentium : montium, nam Alpes tremuere insolitis motibus.

476. Quæ includit quinque versibus, horrenda omnia sunt : nam auditæ voces ultra humanum modum in lucis; visa pal-

que de Ætna lib. VI : *vastis Ætnæ fornacibus.* Ovid. Metamorph. XV : *sulphureis ardet fornacibus Ætna.* Claudius Marius Victor lib. II, pro *fornacibus* posuit *caminis* : « Non « aliter, quam dum ruptis sæva « Ætna caminis Egerit immistis « stridentia sulphura flammis. »

474. *Sonitum toto Germania cælo Audiit.* Bene *Germania*, quam vicerat Cæsar, ut eo occiso, in rebellionem videretur exurgere. *Serv.* — *Armorum sonitum.* Hoc prodigium quoties accidit. Tibul. II, 5, 73 : *Atque tubas, atque arma ferunt strepitantia cælo Audita.* Lucan. de Prodigiis bell. civ. *Tum fragor armorum.* Ovid. Met. XV, 783 : « Arma ferunt nigras inter « crepitantia nubes, Terribilesque « tubas, auditaque cornua cælo « Præmonuisse nefas. » Petron. Satyr. : « Armorum strepitu cælum « furit, et tuba mortem Sideribus « transmissa ciet. » Plin. II, 57 : « Armorum crepitus, et tubæ so- « nitus auditos e cælo, Cimbricis « bellis accepimus; crebrosque et « prius, et postea. » — Locus in Val. Maximo insignis I, 6, 12 : « Quo constat in delubris Deum, « sua sponte signa conversa : mi- « litarem clamorem, strepitumque « armorum, adeo magnum Antio- « chiæ, et Ptolemaide auditum, ut « in muros concurreretur : sonum « tympanorum Pergami abditis de- « lubris editum. » — Aiunt quidam exaudiri interdum in aurora boreali sonitum, ut avium catervatim volantium : hoc parum refert, utrum verum sit, necne; nam ad timidos homines decipiendos, ne simulacro quidem opus est. *V. G.*

475. *Insolitis tremuerunt motibus Alpes.* Aut novis, id est, nunquam antea in Alpibus factis; aut magnis, et majoribus solito. *Serv.* Lucan. lib. I : « tum cardine tellus « Subsedit, veteremque jugis nu- « tantibus Alpes Discussere ni- « vem. »

476. *Vox quoque per lucos volgo exaudita silentis.* Crebra fit de hisce prodigiis, de voce e lucis audita, mentio. Val. Max. I, 6, 7 : « Talis vox sine ullo auctore ad « aures ejus pervenit, Mancine, « mane. » Testis luculentior inter veteres non occurrit, quam Livius I, 31 : « Visi etiam audire vocem « ingentem, ex sumni cacuminis « luco, II, 7. Adjiciunt oracula « huic pugnæ; silentio proximæ « noctis ex silva Arsia ingentem « editam vocem : » quæ Silvani fuisse creditur. De Gallis adventantibus etiam Juvenalis Sat. XI, 111 : « et vox Nocte fere media, « mediamque audita per urbem, « Litore ab Oceani Gallis venienti- « bus, et Diis Officium vatis per- « agentibus, his monuit nos. » Ovid. Metam. XV, 792 : *Cantusque feruntur Auditi, sanctis et verba minacia lucis.* — Apud Sophoclem, Dii quibus perspicuum jam Trojam perditum iri, imagines suas hu-

lida quædam simulacra ad terrorem mortalium; locutæ sunt pecudes res infandas; steterunt amnes; discessit tellus; fuderunt lacrymas eburneæ templorum statuæ; eorumdem æra sudarunt.

meris auferunt : Quin et Hierosolymæ exitio appropinquante, multa evenere, quæ etiamnum vulgi admirationi proponuntur : tunc exercitus in aere pugnantes visi sunt, et quum Pentecostes nocte templum inissent sacerdotes, inter tumultus et varios motus vox clamavit quædam; *abeamus hinc.* — Nota verbum *ingens*, quod versus initio sensum concludit; admirandam enim huic loco tribuit vim et effectum, præsertim quia positum post *silentes* resonare latius videtur. *V. G.*

477. *Simulacra modis pallentia miris.* Id est, umbræ. Sæpe hoc delectatus est Virgilius. Nam in Æn. VII : *Multa modis simulacra videt volitantia miris :* et Æn. I : *Conjugis ora modis attollens pallida miris.* Sententiam ipsam aliter extulit Cicero in suo consulatu : « Jam « vero variæ nocturno tempore vi- « sæ Terribiles formæ bellum mo- « tusque monebant. » Petron. vero in Satyr. exsequens prodigia ita : « Ecce inter tumulos, atque ossa « arentia bustis, umbrarum facies « diro stridore minatur. » Ovid. Met. XV; loquens de prodigiis, quæ antecesserunt mortem Cæsaris : *umbrasque silentum Erravisse ferunt.* Et Lucanus de his, quæ antecesserunt bella civilia : *venientes cominus umbræ.* Cerda.

478. *Pecudesque locutæ, Infandum.* Aut infanda verba protulerunt; aut hoc ipsum infandum fuit, quod sunt contra naturam locutæ. *Serv.* — De sermone brutorum, multa exstant : Achillis equum cum eo locutum, ejusque obitum prænuntiasse, sunt qui volunt. Ut Julius Obsequens de prodigiis c. 7 : *Canis et serpens verbis expressis sunt locutæ.* Juxta eundem c. 103 : *Bos locuta est, et canis Arimini.* De bove testatur non uno loco Livius XXIV, 10 : *Bovem in Sicilia locutum* XXVII, 11 : *Et Priverni satis constabat bovem locutum*; et XXXV, 21 ; *Consulis Cn. Domitii bovem locutum,* ROMA CAVE TIBI. Appian. de B. C. lib. IV : βοῦς τις φωνὴν ἀφεῖκεν ἀνθρώπου. Tibull. II, 5 : « Et simulacra Deum lacrymas « fudisse tepentes, Fataque voca- « les præmonuisse boves. » Per pecudes sæpe boves significari, dubium non est ex nostro Marone, Columella, et aliis. — Hoc prodigio quasi attonitus poeta et perturbatus, ad sequentia enarranda utitur præsente verborum tempore; *sistunt, dehiscunt,* etc. *V. G.*

479. *Sistunt amnes.* Plin. II, 103; inter prodigia : *Amnes retro fluere et nostra vidit ætas, Neronis principis annis supremis.* Papin. Stat. Theb. lib. VII; nonnihil variat in hoc prodigio : *aversique suis de cursibus amnes.* Sicut et Petronius: *nec vaga passim Flumina per notas ibant morientia ripas.* Rhodanum magno prodigio retroivisse scribit Greg. Turon. hist. IV, 31. *Cerda.*

480. *Illacrimat templis ebur.* Scilicet simulachrorum. Tibul. *Et simulacra Deum lacrimas fudisse tepentes.* Silius lib. VIII : *lacrymæque vetusta effigie patris late fluxere*

481. Conjungam huc reliqua prodigia. Timuit Eridanus, atque tam insanis vorticibus sylvas inundavit, ut secum ar-

Quirini. Lucan. lib. VII: *rotantia fletu usque ad Thessaliam Romana, et publica signa.* Et lib. I: *Indigetes flevisse Deos.* Ovid. Met. XV: *Mille locis lacrymavit ebur.* Seneca in Thyeste: *flevit in templis ebur.* De fletu simulacri Apollinis videndus S. Augustinus Civ. III, 11. *Cerda.* — *Æraque sudant.* Signa sunt laboris futuri. Hujus illustrationem debes Ursino, qui conjungit ex prodigiis Apollon. lib. IV: ξόανα ἱδρώοντα αἵματι: *simulacra cum sudore sanguinis.* Et epigr. lib. I: Ἄρτεμις ἱδρώουσα παράγγελός ἐστι κυδοιμοῦ: *Sudans Dianæ nuntia est tumultus.* Ex interprete Apollonii in dictum locum ὅταν μέλλει τι συμβαίνειν χαλεπὸν, εἰώθασι τὰ ἀγάλματα ἱδροῦν: *Cum quid mali imminet, consueverant sudare simulacra.* Adjungo Lucanum, qui inter prodigia belli civilis lib. I: *urbisque laborem Testatos sudore lares.* Appian. qui Civ. lib. IV, de prodigiis, quæ præcesserunt cædem proscriptorum, καὶ τῶν ξοάνων τὰ μὲν ἵδρουν, τὰ δὲ καὶ αἷμα ἵδρουν: *ex simulacris nonnulla sudore, nonnulla sanguineo sudore perfusa.* Ab his non abit sudor ex lapidea statua Antonii, quam rem inter prodigia belli Actiaci narrat. Plutarch. in Antonio. Huc pertinent verba Ciceronis Divinat. I: « Quid Lacedæmoniis, « paullo ante Leuctricam calamitatem, quæ significatio facta est, « quum in Herculis fano arma sonuerunt, Herculisque simulacrum multo sudore manavit? » Ibidem inter prodigia belli Marsici: *Deorum simulacra sudavisse.*

481. *Insano.* Magno; ut: *Quid tantum insano juvat indulgere labori?* Et sciendum flumina, quum supra modum crescunt, non tantum ad præsens inferre damnum, sed etiam alia futura significare. *Serv.* — Dio Cassius narrat Padum, post interfectum Cæsarem, vicinia magna inundatione invasisse, subitoque ad ripas reversum serpentium copiam innumerabilem in agris reliquisse. *Eridanus* Padi antiquum nomen est; at secundum quorumdam opinionem, Eridanus fluvius erat quidam Pado proximus, quem Strabo nusquam inveniendum declarat. *V. G.*

482. *Fluviorum rex Eridanus.* Padum dicit. *Fluviorum* autem *rex*, per Italiam; aut certe per totum orbem, secundum quod dicit Lucanus, qui ait, quum de isto flumine loqueretur: « Non minor hic « Nilo, si non per plana jacentis « Ægypti Libycas Nilus stagnaret « arenas: non minor hic Istro, ni- « si quod, dum permeat orbem, « Ister casuros in quælibet æquora « fontes Accipit, et Scythicas exit « non solus in undas. » Dicit ergo tantum tunc excrevisse Eridanum, ut etiam silvas moveret, et erueret arbores. *Serv.* — *Rex;* vel quia maximus inter Italiæ fluvios; vel quia Eridani simulacrum inter astra receptum efficit cæleste signum ab Æquatore ad Oriona variis anfractibus pertinens. — *Fluviorum;* vel pes anapæstus hic pro dactylo; vel duæ breves *fluvi* contrahuntur in unam longam *fluvj*, ut alibi; tenuia, *tenvia;* abiete, *abjete:* ut apud Horatium, *consilium* et *principium*, lib. III, Od. IV, 41; VI, 6.

menta auferret; et armentorum stabula. *Proluit contorquens*, est, proluit, et contorsit, id est, egit in gyrum convulsas arbores, quas proluerat. Apparuerunt in extis fibræ admodum minaces: manavit cruor e puteis; errarunt per urbes lupi ululantes: ceciderunt fulgura plurima e cælo, quum hoc esset serenum: arsere passim cometæ diri.

489. Ostendit jam quid indicaverint præcedentia, nimirum bellum civile contra Brutum et Cassium gestum ab Augusto,

484. *Tristibus extis.* Visceribus pecorum, tristia portendentibus alludit Ovid. Met. XV, 794: « Victi- « ma nulla litat; magnosque *instare* « tumultus *Fibra* monet, cæsum- « caput reperitur in extis. » Extorum *in extispicina*, ut Salmas. in Plinian. exercit. p. 129; « primum « præcipuumque jecur, etsi pul- « monem quoque et cor ceteraque « inspicerent: quin imo *extorum* « nomine plerumque jecur intelli- « gebant. *Fibræ* jecoris sunt extre- « mitates, λοβοὶ του ἥπατος. »

486. *Lupis.* De hoc prodigio errantium per urbes luporum, ut Livius lib. XXXII. « Romæ non in « urbem solum, sed in Capitolium « penetraverat lupus » : Idem lib. XXXIII, et XLI. — Lupi quum ad urbes accedunt, ut eorum ululatus exaudiri possit, supplicationes instituuntur. *Altæ*, usque in urbis interiorem partem; (Æn. I, 26; *alta mente.*) Servius languidiore interpretatione verbum *altæ* pro *magnæ* sumit. *V. G.* — *Alte*, adverb. meliorem sensum et terrori pingendo magis aptum exhiberet.

487. *Non alias cælo ceciderunt plura sereno.* Omen est in eo, et quia sereno cælo missa sunt fulgura, et quod plura missa sunt. *Serv.* — Virg. Æneid. VIII: « Arma « inter nubem cæli regione serena « Per sudum rutilare vident, et « pulsa tonare »; et IX: « Audiit, « et cæli genitor de parte serena « Intonuit lævum. » Horat.: « Dies- « piter per purum tonantes Egit « equos volucremque currum. » Et Lucret. lib. VI: « Denique cur nun- « quam cælo jacit undique puro « Jupiter in terras fulmen, soni- « tusque profundit? »

488. *Diri cometæ.* Criniti, et pessimi: quia sunt et boni, facti ex Jove, vel Venere; quam rem plenissime Avienus exequitur. *Serv.* — *Diri.* Ideo, quia auctore Sueton. Neron. c. 36: « Stella crinita summis « potestatibus exitium portendere « vulgo putatur. » Tacit. Ann. lib. XIV: « Cometes effulsit, de quo « vulgi opinio est, tanquam muta- « tionem Regis portendebat. » Tibull. II, 5: *belli mala signa cometem.* Sil. lib. I: *terret fera regna cometes;* et lib. IV: *Regnorum eversor rubuit lethale cometes.* Lucan. lib. I: « crinemque mutandi Side- « ris, et terris mutantem regna co- « metem. » — *Cometæ.* Ad Etymon satis clare Manil. lib. I: *Flamma comas imitata volat tenuesque capillos.*

489. *Paribus concurrere telis.* Quia in civili bello Romani contra Romanos, eisdem et similibus telis armisque pugnaverunt. Lucanus: *Pares aquilas, et pila minantia pilis.* Serv.

et Antonio apud Philippos, et quia civile, ideo *paribus telis:* ait *iterum*, quia civile Pompeii et Cæsaris eodem loco gestum. Hujus tam atrocis belli conquestionem excitat, quod Dii dignum judicaverint, et eadem Emathia bis tingeretur Romano sanguine; et campi illi, qui siti ad Hæmum montem.

493. Exaggerat, quale illud fuerit bellum contra Brutum ab eventu, qui futurus post multa secula: nam agricolæ arantes eam partem camporum, invenient Romana pila rubigine obsita, galeas rastris pulsabunt, admirabuntur ossa Romano-

490. *Iterum videre Philippi.* Civitas est Thessaliæ: in qua primo Cæsar contra Pompeium; postea Augustus contra Brutum et Cassium, dimicaverunt. De hac urbe accurate Appian. de Bello C v. IV. Cui regioni tribuenda sit, contenditur inter scriptores. Procul dubio in finitibus ita jacet et Macedoniæ et Thraciæ, ut utri adscribenda sit, vix erui possit. Danda venia est Virgilio, aliisque Poetis, imo et ipsi Floro eandem arenam insedisse Cassium et Brutum affirmanti, quæ fatalis Cn. Pompeio fuerat. Lipsius duorum Philipporum meminit, et in Thessalia, ubi Pompeius dictus ad Peneum flumen, et in Macedonia, ubi Brutus et Cassius contra Cæsarem et Antonium dimicarunt: illum vide ad Vell. Paterc. II, 70. — Lege acta erud. 1750, p. 661: ibi plura invenies in quadam dissertatione sub titulo: Pharsalia et Philippi, seu geminæ Philippi apud Virgilium, Georg. lib. I, 490. *V. G.*

491. *Nec fuit indignum superis.* Quasi exclamatio est ad deos. *Serv.* — *Bis sanguine nostro Emathiam, et latos Hæmi pinguescere campos.* Hunc locum adumbrasse videtur Lucanus lib. VII. Nam cum respectu ad bellum Cæsaris et Pompeii, quod præcessit, et Bruti, insecutum est, ita cecinit, loquens cum ipsa Thessalia, ubi utrumque est gestum: « Quo non Romanos « violabis vomere manes? Ante no- « væ venient acies, scelerique se- « cundo Præstabis nondum siccos « hoc sanguine campos. » Hoc enim quid est aliud, quam bis Emathiam pinguescere Romano sanguine? *C.* — *Pinguescere.* Aut fœcundos fieri ex humano eruore; aut *pinguescere* dixit poetice, quasi humana corpora terra devorans pinguis effici potuerit; sicut ex carnium commixtione frequenter humana caro pinguescit. *Serv.*

493. *Scilicet.* Vide supra 282: poeta propositi sui memoriam reducit inter bellorum calamitates. *V. G.*

495. *Scabra robigine.* Aspera: unde et scabies dicitur a corporis asperitate. *Serv.* — Catull. *Ne nostrum scabra tangat rubigine nomen* Lucan. lib. I: *Et scabros nigræ morsu rubiginis enses.* Ovid. Met. VIII, de fame, *scabri rubigine dentes.* Et Fast. I: *Interea crescat scabræ rubiginis expers.* Pulchre dixit Val. Max. II, 9: *Horridæ vetustatis rubigine obsitum imperium.* Gerda.

497. *Grandia ossa.* Aut multa, aut ingentia; quasi antiquorum heroum. *Serv.* Vide vol. I, pag. 327, notam ad hunc versum.

rum, et ea grandia, ut quæ magnorum et fortium hominum, qui occubuerunt.

498. Post deplorata bella civilia, convertit se ad Deos Romæ Tutelares, et Imperii præsides, a quibus petit, ut velint longo ævo vivere Augustum, tunc florentem ætate, et instaurantem Urbem orbis dominam, URBEM ÆTERNAM, ac restituentem in pristinæ dignitatis honores ævum illud civilibus bellis eversum.

501. Confert caussam bellorum civilium in perjurium Laomedontis, qui fraudavit Neptunum, atque Apollinem mercede, quam promiserat propter structionem Trojani muri; quasi in posteros crimen illud redundarit. Quod facit magna in suum

498. *Di Patrii, indigetes, et Romule, Vestaque mater.* Patrii dii sunt qui præsunt singulis civitatibus : ut Minerva Athenis; Juno Carthagini. *Indigetes* autem, proprie sunt dii, ex hominibus facti; quasi in diis agentes. Abusive autem omnes dii generaliter possunt dici Indigetes, tanquam nullius rei egentes. Romulum autem ideo invocat, quia ipse jam inter deos colebatur : et recte eum ad Augusti salutem invocat, quasi ex eo descendentis, et qui illius sit urbis imperator, quam Romulus condiderat. *Serv.* — *Di patrii*, sunt Dii patrum, majorum; opponunturque Diis devictarum gentium, qui numero Deorum a Romanis cultorum paulatim recepti sunt. Dii patrii primum singulas domos tantum et familias tutabantur: *Indidigetes*, erant majores antiquitus Deorum numero recepti; indigetes, ut videtur, idem quod *indigenæ*, χθονιοι, ἐγχωριοι : ut Janus, Picus, Faunus, indigenæ, Æn. VIII, 314 : hujusmodi erat et Æneas, qui ad fluvium Numicum, *indiges* vocabatur Æn. XII, 794. Arnobius I, p. 39, ipsos tyrannos postea ad cælum evectos indigetibus adscribit, unde sequitur, *indigetes* omnes *patrios jure* appellari posse, nec tamen omnes patrios *indigetes*. Inter *patrios* Deos præcipua hic Vestæ mentio : comitata est enim Trojanos penates; inter *indigetes* vero Romulus, qui auctor generis fuerit. Ovid. Metam. XV; 861.... 865. Silius IX, 294. *V. G.* — *Vestaque mater, Quæ Tuscum Tiberim, et Romana Palatia servas.* Poetice : nam verum nomen ejus numinis, quod urbi Romæ præesset, sciri sacrorum lege prohibetur : quod ausus quidam tribunus plebis enuntiare, in crucem levatus est. *Serv.*

499. *Tuscum Tiberim. Tuscum* etiam *Tiberim* adpellat Noster Æn. VIII, 473 : *hinc Tusco claudimur amni :* et Æn. XI, 316 : *Est antiquus ager Tusco mihi proximus amni;* quia dirimit Latium ab Hetruria, vel quia fluit per Tyrrheniam.

500. *Juvenem.* Sic Ecl. I : *Hic illum vidi juvenem*, etc. — Cæsar Octavianus, anno U. C. 690, natus Cicerone consule : itaque anno 718, juvenis agebat 28 annos : vide Horat. I, Od. II; 29... 44. *V. G.*

502. *Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ.* Excusat Augusti tempora, et eum dicit suis viribus non compensare damna reipublicæ,

Principem adulatione, quasi Augusti tempora nihil tale mereantur; sed crimen jam inde altius conflatum sit.

503. Convertit se a Diis ad Cæsarem, de quo cum magno elogio ait, illum invideri a Diis optantibus, ut jam in cælo regnet, quasi terræ indignæ sint tanto Principe; additque cælum ipsum queri de Cæsare, qui curet humanos et mortales triumphos, quum divinos et æternos mereatur.

505. Reddit duas rationes, quibus tantopere Cæsar a Diis optetur: quia videlicet humana omnia ac divina jura confusa sunt, mista, turbata; hoc est enim, versum esse fas, versum esse nefas: deinde, quia nullus honos aratro habetur, ac rebus rusticis. Probat primam, a bellis quæ erumpunt per orbem; a

quæ ex majorum vitiis descendisse confirmat. *Serv.*

504. *Atque hominum queritur.* Quum cælestes possis mereri triumphos. — *Ubi fas versum, atque nefas.* Apud homines scilicet, qui speruunt licita, appetentes illicita. *Serv.* — De imminentibus bellis ac seditionibus, vide apud Dionem Cassium et Appianum. — Quadrigis idem cursus a carceribus circa metam, et retrorsum, septies renovandus erat, vocabaturque *spatium*. Seneca Ep. 30, aurigarum lætitiam memorat, quum septimo *spatio* palmæ appropinquant. Ovid. Halieut. 68; seu septem *spatiis* circo meruere coronam. Suetonius refert, cap. 4, Domitianum singulos missus a septenis *spatiis* ad quina corripi decrevisse. Isidor. XVIII, 37, quadrigas, inquit, septem percurrere spatia, vel quo septem planetarum cursum indicarent, vel propter hebdomadis septem dies. Ausonius, Ep. 35; septem cursus appellat *septenas vias*. Propertius II, 25; 26; *septem rotas*: (vid. lib. IV, 484). Arnobius VII, p. 245, aliique, *gyros septem*. Apud Sidonium, XXIII, 380... 385, spatium appellatur *orbis, circes* et *reditus*. Eodem sensu ait Virgilius, Æn. V, 316: *corripiunt spatia*: Æn. VII, 381; *curvatis fertur spatiis*. — *Addere in spatia* loco vulgaris locutionis *spatia* addere *in spatia*: idem exprimit Arnobius verbis *replicare gyros*. Nec minus audax est locutio, *addere ætati*, scilicet ætatem, qua Palladius, recentiorum more, et in pedestri sermone utitur; aut locutio, quæ apud Livium et Plinium juniorem legitur, *addere gradum*, scil. *gradui*. Silius etiam, qui Virgilii male sedulus imitator fuit, de cursu agens, semel tantum de carceribus ad metam et retrorsum perficiendo, utitur verbis *addere in spatia* ad designandos cursores qui jam metæ propinqui, regressuri erant tunc quum cuique primum *spatium* jam absolutum esset; Punic. lib. XVI, 374: « jamque fere medium evecti certamine campum in *spatia* addebant. »

In ludis Olympicis, Pythicis et Isthmicis, erant cursoribus duodecim *spatia* percurrenda. Ex quo hujus mei operis prima in lucem editio prodiit, magis magisque in dies huic interpretationi confisus sum. Nam quod ad Servii lecti-

variis formis scelerum : probat alteram, quia arva squallent colonis inde abductis, et translatis ad bella; quia falces in gladios commutantur ad usum bellorum. Sic ad hujus libri argumentum solerti ingenio mentem nostram revocat!

509. Regreditur ad primam illam rationem de bellis, quibus humana omnia ac divina confunduntur, eamque tripliciter dilatat; videlicet a bellis distantibus, finitimis, et toto bellante orbe : a distantibus; nam ab oriente Parthi, qui ad Euphratem sunt, ad Septemtrione Germani, arma commovent; a finitimis; nam urbes vicinæ arma capiunt, rumpunt fœdera : a toto orbe, nam ubique Mars sævit impius.

512. Tumultuantem orbem, neque parentem suo rectori, egregie comparat cum curru effuso e carceribus, ac sese cir-

nem, *addunt se in spatia*, attinet, ex imitatione Silii refellitur; quippe qui particulam *se* æque omiserit : nec meliore conditione affirmant vocem *cursum* subintelligendam, et eamdem levitatem profitentur, quam qui *addunt in spatia*, pro *se addunt*, *interpretantur*. Reliquæ autem lectiones *addunt in spatio; se spatio, se in spatio*, manifesto mendosæ sunt; vel emendationes interpretum quo se vertant nescientium. *V. G.*

507. *Squalent abductis arva colonis.* Pro eo Statius Theb. lib. IV : *rarescunt alta colonis Mœnala;* id est, desolantur necessitate bellorum : conquisitores enim, et id genus hominum, ex quovis sibi loco militem scribunt; inde Noster, Æn. VIII, 8; *latos vastant cultoribus agros.* Nec mirum, nam teste Plinio XVIII, 5 : *Fortissimi viri, et milites strenuissimi, ex agricolis nascuntur.* Veget. de re milit. I, 3; *Aptiorem armis rusticam plebem, quæ sub divo et in labore nutritur.*

503. *Et curvæ rigidum.* Pari sententia Lucret. lib. V : « Inde mi- « nutatim processit ferreus ensis, « Versaque in opprobrium species « est falcis ahenæ » ; et Virg. ipse in Æn. VII, 635 : « Vomeris huc, « et falcis honos, huc omnis ara- « tri cessit amor; recoquunt pa- « trios fornacibus enses. »

509: *Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum.* Undique bellum movetur. *Euphrates* namque Orientis est fluvius : Germania autem Occidentis provincia. *Euphratis* autem mentione innuit Parthicum bellum, quod Antonius imperfectum reliquerat. Et Parthi quidem æmulatione imperii; Germani vero immanitate, Romanis erant terribiles.

510. *Vicinæ ruptis inter se legibus*, etc. Et externa, et civilia bella desæviunt. *Serv.*

512. *Ut quum carceribus.* Hoc vult dicere; Res quidem publica habet optimum imperatorem; sed tanta sunt vitia temporum præteritorum, quæ in dies singulos aucta sunt : quemadmodum in processu equorum cursus augetur; ut ea, licet optimus rector, refrænare non possit; sicut et auriga a ferventi cursu equos plerumque non potest revocare. *Serv.* — *Carcer*, teste Varrone de L. L. lib. IV, a coer-

cum metas flectente, tanto et tam cœco impetu, ut equi neque loris, neque vocibus aurigæ inanes conatus molientis pareant; ut ipse currus monentes et retinentes habenas *audire* nolit, atque despiciat.

O Poetam vere Civem, vere Divinum!

cendo, quod ex eo noxii exire prohibentur. Sic *carceres* septa erant, vel repagula, quibus continebantur equi, ad cursum parati, donec, signo per magistratum dato, copia *sese effundendi*, procurrendi fieret. Noster, Georg. III, 104; et Æneid. V, 144 : *Non tam præcipites, etc.* Frequens etiam hujus comparationis usus apud poetas : Hor. Sat. I, 1, 114; *Ut quum carceribus missos rapit ungula currus.*

EXPLICATIO.

1. Virgilius dicit in præcedenti libro scripsisse cultus arvorum, cæli sidera; quia videlicet, scripsit, quid faceret lætas segetes, et quo sidere vertenda esset tellus.

2. Tria proponit, de quibus dicturus hoc secundo libro: Bacchum, per quem signat vinum, uvas; virgulta sylvestria, per quæ arbores omnes significantur; demum olivam, quæ tarde crescit.

NOTÆ.

Multa de titulo et versibus hujus libri secundi, ex Theophrasto petita esse, quemadmodum in libro antecedente ex Arato, manifeste demonstrat Petrus Victorius Var. lect. XIV, 24 *Emm.*

1. *Hactenus arvorum cultus, et sidera: Nunc te, Bacche, canam.* Mire iteravit illum versum: *Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram.* In hoc autem libro exequitur culturam agri consiti, qui omnium arborum continet genera. Et sciendum est Virgilium vites quoque arbores dicere; ut: *nec secius omnis in unguem Arboribus positis secto via limite quadret.* Serv. — *Hactenus.* Imitatur hoc proœmium Colum. de R. R. III, 1: « Hactenus « arvorum cultus, ut ait præstan- « tissimus Poeta: nihil enim pro- « hibet nos, P. Silvine, de iisdem « rebus dicturos celeberrimi car- « minis auspicari principia. Sequi- « tur arborum cura, quæ pars rei « rusticæ vel maxima est. »

2. *Bacche.* Inventorem pro vitibus posuit, de quibus κατ' ἐξοχὴν in hoc libro loquitur; nam vites præcipuæ sunt, licet et aliarum arborum faciat commemorationem. *Serv.* — *Nunc te, Bacche, canam.* Bacchi appellatione vites significat, et tria proponit explicanda: de vitibus; de arboribus silvestribus, iis nimirum, quæ vitibus sunt usui, subministrando iis pedamenta, aut vincula, aut similem aliquam rei rusticæ operam præstando: denique de excolendis oleis. *Pont.* — Bacchus Græcis non vineam solum a rubri maris litore attulit, ut apud Athenæum testatur Philonides, XV, 5; sed etiam arborum fructus omnes dedit, ut in Neoptolemi Parii Dionysiade narratur (Athen. III, 7). Unde καρπιμος vocatur et διυδρίτης. *V. G.* — *Nec non silvestria tecum Virgulta.* Id est, infecundas arbores, quibus præcipue in Italia vites cohærent, et quasi *maritantur;* ut sunt salices, populi, ulmi, orni, etc. Georg. I, 2: *ulmisque adjungere vites.* — *Virgulta*, tum frutices significat, tum sureulos: Lucret. V, 933; *nova defodere in terram* virgulta. Hic præcipue, propagines arborum silvestrium, ulmorum, populorum, fraxinorum, quæ vitibus maritantur. — In codice Madridensi invenitur hujus libri et sequentium argumentum, hexametro carmine compositum, inscriptumque *Ovidii* nomine, sed ne relatu quidem dignum. *V. G.*

3. *Tarde crescentis olivæ.* Res enim diu duratura tardius crescit:

4. Quum præcipua pars hujus libri versetur in vitibus, commode Bacchum invocat: neque solum vult, ut veniat, et sibi aspiret; sed etiam, ut cothurnos adimat, nudet crura calcandis uvis in lacu; itaque vult, ut veniat etiam in partem laboris. Parenthesis continet tres rationes, cur Bacchum invocet: primo, quia vites invenerit, egregio munere dato mortalibus: secundo, quia in ejus honorem totus ager prægnans gravidusque efflorescat, concepto intra se Autumno exuberante pampinis: tertio, quia tunc spumet vindemia plenis torcularium labris.

Ita creditum de hac arbore, et testes oculi; ideo a Græcis oliva dicitur ὀφίζονες, ὀφίκαρπος, ὀφλάστης, ὀφιαυθὴς, omnia ab hac tarditate; et ab Apollon. lib. IV; πολύμητος, quasi multum laboris ponatur, ut crescat, ut augeatur.

4. *Huc, pater o Lenæe.* Pater, licet generale sit omnium deorum, tamen proprie Libero semper cohæret: nam Liber pater vocatur. — Bacchus perinde ac fluviorum Dii, hic pater dicitur ob abundantiam · ceterum enim exhibebatur figura nobilissimi, ac gaudio exsultantis juvenis: nescio igitur quid delirarint barbari isti artifices, qui eum ventricosi et ebrii senis forma donavere. *V. G.* — *Lenæus* ἀπὸ τοῦ ληνοῦ, id est, a lacu, sive Torculari; nam quod Donatus dicit ab eo, quod mentem leniat, non procedit: nec enim potest Græcum nomen Latinam etymologiam recipere. *Serv.* — *Tuis muneribus.* Sunt tamen qui ἀμπελουργίαν Osiridi tribuant, teste Isacio Tzetze, Xenocratis interpr. Athenæus lib. III; tradit Theopompum *Chium* narrare Alpheum vitem invenisse. Pausan. autem in Bœot. Thebanis attribuit. *Meyen.*

5. *Pampineo gravidus autumno.* Vites in auctumno foliis et uvis plenæ sunt atque adeo maturæ. Hunc autem versum Diomedes *exilem* vocat et quasi *elumbem;* quod loco Dactyli in quinta sede iambum habeat. Vett. lib. *purpureo.*

6. *Tibi Floret ager.* In honorem tuum exultat et lætus est, ut quidem exponit Servius, quum in auctumno ager florere non possit. Sed quum idem notet Æneid. VII, 805, *florens* dici omne id, quod nitidum est, putarim *florere* hic dictum, ut illud Lucret. lib. V: *floret mare navibus:* et *gemmis florent arbusta:* ubi scil. multæ naves sunt, et gemmæ copiosæ.

7. *Veni.* Hac forma solitos invocari Deos, multorum testimoniis probat Brisson. de Form. lib. I, Græci quoque ἴλθι ad eamdem rem. — Bacchum invocat solum, quia præcipuum hujus libri studium impendit in vinearum cultura et vini laudibus describendis.

8. *Cothurnis.* Sunt calceamentorum genera venatori apta, quibus crura etiam muniuntur, cujus calceamenti effigies est in simulachris Liberi et Dianæ. *Probus.* — *Cothurnis.* Non hoc temere (inquit Turneb. XXV, 30.) nam cothurnatus erat Bacchus.

Pars prima. 9. Dicit variam esse naturam in creandis arboribus, adhibebitque postea tres modos, quibus naturaliter, aut arbores, aut frutices proveniunt; videlicet sponte, semine, radice.

10. Enumerat species quatuor ex his, quæ sponte, et cogente nemine implent campos, et litora fluminum; campos implent siler, et genistæ; litora populus, et salices. Omnia afficit propriis epithetis: nam siler est molle; genistæ lentæ; populus, et salices canent albicantque fronde glauca; albicant videlicet ex una parte, nam ex altera virides.

14. Secunda species arboris naturalis, ea est, quæ vivit recepto in terram semine, ut castaneæ, æsculus, quercus. Accipiunt castaneæ commendationem ab altitudine: æsculus a dignitate, nam hæc arbor est maxima nemorum et in honorem Jovis frondescit: quercus a divinitate, quæ olim hanc

9. *Principio arboribus.* Creandarum arborum naturaliter sunt tria genera: aut enim sua sponte nascuntur; aut ex seminibus receptis; aut ex radicibus pullulant.

11. *Sponte sua. Sponte,* hic nomen est; quia junctum est ei genus, quo caret semper adverbium. — *Camposque et flumina late Curva tenent.* Per transitum ostendit in quibus locis arbores sponte nascantur, scilicet in humidis; nam terra mater est rerum omnium, et seminum cunctorum creatrix. *Serv.*

12. *Ut molle siler;* notandum genus neutrum de arbore; quod est admodum rarum. — *Siler,* salicis creditur esse genus; non nisi in aquosis proveniunt salices, alni, populi, *siler,* ligustra tesseris utilissima; Plin. XXIV, c. 10; § 44. — *Genistæ, Genista,* frutex apibus gratissimus, et ligandis vitibus perutilis. Dubitat Plinius, an hæc sit, quam Græci ὀνάρυον appellavere. Vide XXIV, 9; et in primis Jac. Dalechamp. ad XIX, 1 et 2.

13. *Glauca canentia fronde salicta.* Locum salicum, pro ipsis arboribus posuit; bene autem ait et *Glauca,* et *Canentia:* nam salix ab una parte alba est, ab altera viridis.

15. *Castaneæ.* Fagus castanea, cujus fructum Græci Sardinian glandem appellabant, vel *Jovis glandem,* Ecl. II, 52. Romani castanearum optima genera edebant, vel tosta, vel molita, et in placentis. Reliqua genera alendis suibus adhibebantur: lignum pedamentis idoneum erat. *V. G.* — *Nemorumque Jovi.* Ordo est: *Nemorumque* (i. e. arborum) *maxima Æsculus, quæ Jovi frondet,* quæ Jovi consecrata est, ut sit Plin. XII, 1; et inter *glandiferas* arbores ponitur Theophrasto. In opt. Lexico etiam Turnebi *Æsculus* exponitur φηγος βαλανηφόρος: XXVII, 10. Non miror igitur a quibusdam cum fago confundi.

16. *Atque habitæ Grajis oracula quercus.* Nam in Dodonæo nemore

Græcis oraculi vice aditam, consultam, auditam commendabat.

17. Tertiam speciem efficiunt, quæ pullulant ab radice in sylvam densam; tales sunt cerasus, ulmus, laurus. Postremam exornat tum a Numine, quia Parnassia, id est, Apollonia, sacra Apollini quem colit Parnassus; tum a descriptione plena majestatis, quæ depingit parvam laurum se subjicientem, crescentem, ac repullulantem sub matris umbra.

20. Colligit quæ dicta: hos, inquit, modos creandarum arborum jam tum orbe condito dedit natura, nullum alium: et his debent mortales quidquid vivit in sylvis, frutetis, nemoribus. Sacra vocat nemora, quia in his ex superstitione gentium culta semper Numina: quia nemora fuerunt loco templorum.

arbores, dantes responsa, fuisse dicuntur. *Habitæ* autem *Grajis*: vel quasi non credens dixit, vel quasi Italus, qui loca illa nesciret; vel revera quondam *Habitæ*, quia illo jam tempore silebant. *Serv.*

17. Nunc tertium modum naturaliter nascendi aggreditur poeta: *ab radice*, plerumque stolonibus, qui apud Catonem 51, *pulli*, apud Plinium XVII, 12, *pulluli* dicuntur: nullis vero arboribus pulluli proveniunt, nisi quarum radices amore Solis atque imbris in summa tellure spatiantur. *V. G. Pullulat ab radice* Mira in singulis proprietas: nam ait: *Sponte sua veniunt, surgunt de semine; pullulant ab radicibus.* — *Densissima silva.* Fruticum sive stolonum de quibus Plinius: *Natura et plantaria demonstravit, multarum radicibus pullulante sobole densa*, etc.

18. *Ut cerasis.* Sane Cerasus civitas est Ponti, quam quum delesset Lucullus, genus hoc pomi inde advexit, et a civitate Cerasum appellavit. Nam arbor cerasus; pomum cerasum dicitur. Hujus autem nobilissimæ species temporibus Plinii jam ad Rhenum, Gallias, et Britanniam pervenerant. — *Parnasia laurus.* Dicitur, quia subjecta est Apollinis tutelæ, cujus oraculum Delphicum Parnasso monti Phocidos subest: vel in Parnasso monte frequenter crescens.

19. *Matris.* Solitum magnis scriptoribus usurpare, in re silvestri atque arborea, nomina quæ pertinent ad sobolem, membra, ætates, affectiones hominum. Locum istum æmulatur Claudian. de nuptiis Honor. et Mar.: « ceu forte « minor sub matre virenti Laurus, « et ingentes ramos, olimque futu- « ras Promittit jam parva comas. »

20. *Hos natura modos primum dedit.* Bene *primum*: nam favor naturæ fuit etiam ad alios inveniendos: contra naturam enim nihil hominum inventum valeret. *S.*

21. *Fruticum.* Ita definiri possunt frutices ex Theophrasto, hist. I, 5; et ex Aristotele, Plant. I, 4: plantæ, quæ statim a radice se in ramos et virgulta effundunt, et nunquam arborescere queunt; me-

22. Post modos, quibus arbores naturaliter, nunc septem adhibet, quibus humana industria, et artificiose proveniunt. Sunt, inquit, alii modi, quos usus mortalium sibi, in suam utilitatem reperit, via quæpiam separata ac diversa ab naturali: sane hic poeta studium mortalium, et industriam, cultura et meditatione formatam, signate vocat *viam*.

23. Primus modus est avulsio stolonum, qui, una cum fimbriis et radiculis avulsis ex corpore arboris, mandantur scrobibus; quos scrobes hic vocat *sulcos*.

24. Secundus, quum trunci ipsi, seu stirpes una cum radicibus, quum sudes fissæ, quum valli acuti infodiuntur in terram. Sudes vocantur *quadrifidæ*, quia in formam crucis solent findi, quum infodiuntur.

26. Tertius est propagatio; fit hæc, quum rami instar arcus incurvantur, demittuntur in terram, obruunturque. Solet hic modus præsertim in vitibus exerceri. Exornat rem poetice, datque sensum arboribus, quæ cernunt sua membra curvari, atque infodi. *Sylvarum aliæ*, nihil est aliud, quam *aliæ arborum*, nam pro arboribus sumi sylvam constat.

27. Quartus, quum plantaria, id est, arbusculæ, quæ sunt in seminariis una cum terra in alium locum transferuntur. Ait, *viva plantaria;* nam hæ plantulæ dicuntur vivi radices:

diæ sunt inter arbores et herbas vel olera, unde Plinius vocat *suffrutices*, et Theophrastus δενδρολάχανα, quasi ex arboribus et oleribus, mixta natura, constent.

22. *Sunt alii quos, etc.* Modos sex enumerat, quos ad producendas arbores reperit usus, id est, experientia hominum, qui edocti *via* culturæ, huic multa studia, meditationes curasque adhibuerunt.

23. *Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum.* Primus modus, *avulsio*, qua stolones, *les rejetons*, una cum fibris e stirpe aut corpore arboris abscinduntur, et sulcis sive scrobibus mandantur. — *Abscindens* mihi magis proprium videtur quam *abscidens*, quia *hoc* amputando et secando, *illud* lacerando et avellendo separat ramum a trunco.

24. 25. *Hic stirpes*, etc. *Quadrifidasque sudes*, etc. Secundus modus, *defossio stirpium*, sive *infossio sudium* et *vallorum* viventium. Tunc terra teguntur stirpes, (*des souches*,) cum suis radicibus validæ; tunc infiguntur sudes, perticæ inferius quadrifariam divisæ, et in formam crucis fissæ, ut facilius multos radicum agant ramulos; tunc valli, pali virides quorum *robur*, truncus in acumen exacuitur, (*des pieux*); ut apud nos salices, alni, etc., quæ sic nudæ plantatæ revirescunt. Plinius idem de myrto, lib. XVII, 17. Ruœus male unum hunc modum in duos divisit.

26. 27. *Sylvarumque aliæ pressos propaginis arcus, et viva plantaria*

viva itaque, quia cum sua terra; sicut postea sicca ligna, id est, mortua, quia sine terra et radiculis. (Vide notam.)

28. Quintus, quum surculus amputatus e summa arbore in terram refertur, mandaturque scrobi : et sane comprehendit, etiamsi nihil habeat radicis.

30. Sextus, quum caudex olivæ carens omni radice, concisusque ac sectus per medium in partes plures, infoditur, et inde (quod mirere) trudit, progignitque radicem, ac mox arborem. Quum ait, *sicco ligno*, intellige non omnino aridum, nam ita nihil germinaret; sed vacuum ab humore, ut quod careat radice, qua succum trahat.

32. Extremus est insitio, qua rami unius arboris apparent in altera : sic pyrus mutatur, et fert mala insita : sic corna,

exspectant. Tertius modus, *propagatio*, quæ præsertim in vitibus colendis adhibetur : *propago* est ille palmes luxurians, (*provin*) qui e trunco in terram arcuatim inflexus, hinc a vite pendet, velut ab ubere alimentum ducens; inde *sua terra*, genitali, cui mater simul adhæret, innutritus pullulat, et *vivo plantario* vivus insertus crescit occulte, radices *suas* et alteram agens vitam, de ramo fit arbor *expectata*. — *Sylvarum aliæ*, id est, aliæ sylvæ, arbores, ut vites Italiæ. Hic Cerdam et Abramum deserui, qui Servium amplexi diversum a *propagatione transpositionis* modum agnoverunt. Vide supra explicationem, quam tantis viris admissam non possum tamen sequi.

28. *Nil radicis*, etc. Quartus modus, *infossio summi surculi*, sive taleæ e cacumine rami amputatæ, quæ absque radice crescit et virescit, postquam putator, sive qui illum amputavit, scrobibus infossum retulit in terram e qua exierat.

30. *Quin et caudicibus sectis.* Quintus modus, *infossio circumsecti stipitis*, qui non acuminatus, non e cacumine decisus, sed præcisus ab utraque parte, et ramulis radicibusque spoliatus, tamen radicem ex sese progignit. *Caudex* in arboribus, idem est, quod *caulis* in herbis; nempe id, quod e terra simplex assurgit, ex quo rami et folia circum erumpunt; *la tige*. *Radix oleagina truditur*, propellitur et germinat, urgente *ligni* natura. — *E sicco ligno*, opponitur fibris succo abundantibus. Plin. XVI, 84, refert, ex olea cardines in foribus diutius immotos, plantæ modo germinasse. *V. G.*

32. *Et sæpe alterius*, etc. Sextus modus. *Insitio*, quum surculus unius arboris alteri immittitur, quæ quasi in ejus naturam transit; *enter*. De ea fusius infra vers. 73. — *Vertere*. Id est, vertere se, ut Georg. III, 365. *In glaciem vertere lacunæ*, id est, verterunt se. Et Æneid. I, 108, *tum prora avertit;* id est, avertit se. Et Æneid. II, 229, *novus per pectora cunctis insinuat pavor;* id est, insinuat se. — *Impune*, sine sui damno *insitas* arbores, non *insertas* videmus. — Quod omnium generum surculi omnibus arboribus inseri possint, licet videantur prisci negare, ad-

quibus lapideum est et durum os, rubescunt pruris. *Impune* est, sine damno sui : ita Servius.

35. Desinit hortando agricolas, ut discant cultus arborum, ut colendo molliant feritatem sylvestrium fructuum, neve patiantur, ut terræ sint segnes. Mox vero, ut animos illorum attollat ad spem ingentem, promittit præceptis a se tradendis effecturum, ut Ismarus mons Thraciæ abundet vitibus, Taburnus mons Campaniæ olivetis. Has partes longe distantes posuit, ut qui universos terrarum tractatus vellet intelligere.

struit Colum. V, 10. De insitione antiquis usitata, quæ nonnunquam inoculatione, nonnunquam emplastratione fiebat, Plin. XVII, 23; ubi Dalecampius insitionum species dispungit, et Cato de R. R. c. 40, 41; et 42.

33. Miror Martinum dubitasse, utrum hoc loco Virgilius corna prunis inserenda diceret (1). Ne Ruæo quidem concesserim, esse hic ambiguitatis aliquid; nam etsi pruna silvestria intelligas, quis corna illis inserere velit? Sane miram insitionem præcepisset Virgilius, si res se ita haberet. — Cornum loca cornus dicitur, ut infra v. 60, uva pro vite ex acinulo crescente. Inter laudatiora prunorum genera, Plin. XV, 12, cerina refert purpureaque : quem Plinii locum iis in memoriam reduco, quibus verbum rubescere dubium videri possit. Ipsa pruna nigra initio, rubescunt; vid. Prop. IV, 2, 16. Similes notabimus ineptias, ad v. 71 : ibi enim fagos castaneis inseri volunt. Vid. vol. I, p. 342, not. 32. *V. G.*

34. *Lapidosa corna.* Dura : quæ ossiculum habent unicum.

35. *Quare agite.* Absoluta Naturæ et curæ sive artis partitione, hortatur agricolas, ut *generatim*, i. in singulis Arborum generibus *propriam* et cuique speciei congruentem culturam servent, et loca sterilia vinetis et olivetis frequentent.

36. *Fructusque feros mollite colendo.* Hanc sententiam ita extulit Ovid. de Med. faciei : *Cultus et inprimis succos emendat acerbos.* Plin. XVII, 10; loquens de plantis, quæ adoleverunt in seminariis, et mox transferuntur : « Discedentes, vi- « rus relinquunt, mansuescuntque « tractu, ceu feræ, dum radici « avellitur planta. » Virgil. infr. *exuerint silvestrem animum;* et Lucret. lib. V, 1367 : « fructusque fe- « ros mansuescere terra Cernebant « indulgendo, blandeque colendo. »

37. *Segnes terræ.* Pigræ, infœcundæ; et docet posse industria etiam loca asperrima ad fertilitatem perduci. *Serv.*

38. *Vestire.* Tegere; hoc verbo nihil frequentius apud rei rusticæ scriptores. Colum. III, 2 : « Earum « minor vulgo notissima; quippe « Campaniæ celeberrimos Vesuvii « colles, Surrentinosque *vestit.* » Paullo post : « melius arborem, sed « et jugum commode *vestiunt*, III, « 10. Alios fronde sola *vestivit*, ad « protegendos tutandosque par-

(1) Journal de Trévoux, 1747, tome IV.

39. Post invocatum Bacchi Numen, post materiam propositam invocat favorem Mæcenatis, et illum captat: invocat, quum petit, ut adsit, ut secum percurrat hunc laborem, ut explicet vela favoris: captat, quum vocat illum decus suum, et famæ suæ partem maximam: quo significat, se, Mæcenatis favore, magna ex parte versari in ore omnium. In illis *decurre laborem*, existimo metaphoram sumi a circo: *patens pelagus* est, opus hoc Georgicorum. Itaque vult, ut Mæcenas una secum currat, una naviget.

42. Perscribit sibi modum, quem habiturus in tractatione arborum: nam omnia dicere, quis sanus possit, etiam si illi multæ linguæ, multa ora, vox ferrea? Et nota, hunc posse esse locum attentionis, quia breviter rem absoluturus.

44. Recurrit ad favorem petendum, et vult sibi in hoc initio aspirari à Mæcenate. Istis enim, *oram lege primi litoris*, vide-

« tus: » et passim. Noster Ecl. III, 38: « facili superaddita vitis Diffu- « sos edera *vestit* pallente corym- « bos »: et Ecl. IV, 45: *Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos;* et Georg. II, 219: *Quæque suo viridi semper se gramine vestit.*

39. *Tuque ades, Mæcenas.* Adesto, et incœptum favorem omnibus libris impendito. Post Bacchum invocat *Mæcenatem*, ut Ge. I; post varia Numina, *Augustum.*

40. *O decus, o famæ merito pars maxima nostræ.* Horatius: *O et præsidium et dulce decus meum.* Propert. II, I: « Mæcenas nostræ « spes invidiosa juventæ, Et vitæ « et morti gloria justa meæ. »

41. *Pelagoque volans da vela patenti.* Simplici generi carminis præsta favorem; ut *Vela*, favorem accipiamus. *Patens pelagus*, carminis facilitatem. Hoc autem carmen facile esse, ipse significat dicens et: *In manibus terræ*: hoc est, in facili et promptu res posita est. *Serv.* — *Pelago da vela patenti.* Pari metaphora Ovid. vocans Germanicum Fast. I: *timidæ dirige navis iter.* Propertius quoque ad suos versus conformavit sermonem de re nautica: « Quid me scribendi « tam vastum mittis in æquor, Non « sunt apta meæ grandia vela ra- « ti. » Fuit semper locus communis Poetarum, confugere ad navigationem initio operum. — *Volens*; vide Æn. III, 457; appositio vim augens sententiæ: lectio *volans* sensu caret. *V. G.*

43. *Non, mihi si linguæ centum sint, oraque centum*, etc. Hi versus etiam leguntur Æn. VI, 625 Sumptos eos testatur Macrobius Saturnal. VI, 3; ex Homero Iliad. B, 488. Πληθὺν δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι, οὐδ' ὀνομήνω, Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν, Φωνὴ δ' ἄρρηκτος, χάλκειον δέ μοι ἦτορ ἐνείη. Pers. V, 1: « Vatibus hic mos « est, centum sibi poscere voces, « Centum ora, et linguas optare in « carmina centum. » Quare *æream* vocem dixerit Lucretius, exponit Gyphanius in conlect. Sive *ferrea*, sive *ærea*, sumitur pro indefessa, interprete Sabino.

44. *Primi lege litoris oram. Lege*,

tur signari initium, ut deinde Mæcenas favoris vela explicet, aspirans in patenti pelago totius operis.

45. Jam mihi, inquit, terræ sunt in ipsis manibus (nam videlicet paucula jam delibavit superiore divisione arborum, quæ creantur partim naturaliter, partim ex humano artificio) nolo te longis ambagibus tenere, longis exordiis. Est vero hic locus docilitatis, quia non ficta dicturus. Itaque captata est benevolentia, facta attentio, proposita docilitas.

47. Memineris, positas supra tres species, arborum naturalium, scilicet quæ sponte proveniunt, quæ ex semine, quæ ex radice: easdem in hoc tractatu repetit, tantum commutat ordinem, nam secundo loco ponit pullulantes a radice, tertio a semine. Docet autem uti istæ arbores esse utiles possint: nam quum ex una parte fortes sint ac validæ ex ingenita fecunditate soli, ex altera ipsæ infecundæ, ut quæ nimium luxu-

nauticus sermo est, qui nunc et ad navigandum, et ad lectionem potest referri. Nam hoc dicit; Faveto principio, vel humilitati carminis mei. *Serv.*

45. *In manibus terræ.* Vel perseverat in eadem allegoria; qui enim extremam oram litoris præterlegunt, nec in altum pelagus invehuntur, ii terram habent in manibus, id est, in propinquo, ut; *in manibus Mars ipse, viri;* vel est reditio ad propositum, quia dixerat; *Neu segnes jaccant terræ:* hoc sensu jam ad propositum revertor, et sermonem, qui de terra erat institutus. — Vide Apoll. I, 1113; et Propert. III, 3, 23: « alter remus aquas, alter tibi radat arenas. » *V. G. — Non hic te carmine ficto, Atque per ambages et longa exorsa tenebo.* Id est, simpliciter universa describam: neque ut in Æneide, aliquibus figmentis, aut ullis utar ambagibus longe repetitis; nisi forte tangat Hesiodum, qui, in describenda agricultura, variis fabulis lectorem detinet et fatigat. — De Ruæi sententia, qui temere pronuntiat, reponendam esse hanc invocationem post versum 8 hujus libri, vide notam 39, vol. I, pag. 343, hujus editionis.

47. *Sponte sua,* etc. Ad illud, quod omiserat, redit, et exequitur qualitatem trium generum, quæ supra memoravit: arborum, scilicet sponte natarum, procreatarum ex semine, et earum, quæ de radicibus pullulant. *Serv.*

48. *Infecunda quidem.* Fœtu carentia: et per transitum rem physicam tangit; nam semen salicis esum, dicitur infecunditatem mulieribus gignere. — *Læta et fortia.* Quasi hoc in ipsis arboribus genus sit fecunditatis. *Serv.*

49. *Quippe solo natura subest.* Quia, ut supra diximus, naturaliter rerum omnium mater est terra, et universa intra se continet semina. Hinc est, *Quippe solo natura subest.* Nam natura dicta est ab eo, quod nasci aliquid faciat. Mire autem ait *Subest.* i. e. inest latenter; quia non apparet.

riant: huic infecunditati medicinam adhibebis, si inseras: si mutes in alios scrobes probe subactos et paratos: quod postquam feceris, cole illas frequenter, ac tibi tunc parebunt non invitæ. Quum dixi, has arbores mutandas in alios scrobes, ne capias de integris, sed de surculo aliquo illarum.

53. Transit ad arbores, quæ pullulant ex radice, quæ etiam steriles sunt, sed si transferantur, digeranturque in campos vacuos, atque soli expositos, facient idem, quod primæ; reddentur frugiferæ, atque urbanæ, parebuntque tibi. Reddit rationem, cur digerendæ in vacuos campos: quia nunc frondes ipsæ luxuriantes, et rami ipsiusmet matris, arboris, opacant inumbrantque fœtus, adimuntque illos matri magna foliorum exuberantia crescenti, ac demum urunt, et consumunt illam volentem fœtus ferre.

57. Restat de his, quæ proveniunt ex semine. Istæ, inquit, tardissimæ sunt in ferendo, atque illarum umbra vix se nepotes ejus, qui semen jecit, oblectabunt. Præterea, poma harum arborum facile degenerant, veluti oblita suam naturam et succos. Ac si fortassis vitis aliqua nata ex semine proveniat, adeo turpes, neglectosque fert racemos, ut serviant ad prædam avibus, non ad esum hominibus. Inde desinit in hortationem, qua monet, impendendum laborem in curam omnium arborum: cogendas illas in sulcum, ne vagentur pro libidine, domandas multis mercedibus, et mercenariis, ut exuant sylvestrem animum, induant urbanum.

50. *Scrobibus mandet mutata subactis.* Nos *scrobes* genere dicimus masculino; licet Lucanus dixerit contra artem: *Exigua posuit scrobe.* Serv. — *At* pro *et;* nec rectum exhibet sensum lectio *aut;* nam sola insitione agrestis truncus in salicto, frugifera arbor fieri potest; sed quæritur, quomodo id sola mutatione loci fieri possit. *V. G.*

51. *Exuerint silvestrem animum.* Naturalem asperitatem et infecunditatem: τὸ ἄγριον ἐξημεροῦται, Theophr. Ita Plinius, XVI, 19. *Arbores* distinguit in *silvestres* et *urbaniores:* et *urbanas* ait non improbe dici *mites, quæ fructu, aut aliqua dote umbrarumve officio humanos juvant.* Taubm.

54. *Hoc faciet.* Id est, erit fecunda, si inde transferetur. — *Vacuos si sit digesta per agros.* Id est, si sit translata, ordinata extra umbram in locum apricum, et soli expositum.

59. *Pomaque degenerant.* Modo *degenerant,* in pejus vertuntur: alias in melius. Poma vero arborum ex semine procreatarum dicit; quas constat, nisi translatæ, aut insitæ fuerint, non respondere qualitati seminis sui. *Serv.*

60. *Turpes.* Silvestres, viles, et avibus diripiendos. *Taubm.* — *Fert*

63. Memineris hic quoque, positos supra modos septem, quibus arbores exsistunt ex humana industria: jam docet, quæ et quo modo melius proveniant. Incipit ab olea, quæ melius ex truncis, id est, caudicibus consectis; erat hic sextus modus: vites ex propagatione; erat hic tertius modus; myrtus, quæ est in tutela Veneris Paphiæ, ex infossione; erat hic secundus modus.

65. Quartus modus erat transpositio plantarum ex seminario in alium locum una cum terra: ex hac optime ait provenire plures arbores, quas connumerat afficitque propriis epithetis mira quadam poesi. Sunt illæ, corylus quæ dura est: fraxi-

uva racemos. Uvam pro vite posuit, id est, fructum pro arbore. Sane racemus, botryonis est pars, et botryo Græcum est, et sic uvam pro vite posuit; sicut Horatius, pro vino: nam sic ait: *Cæcubum et prælo domitam Caleno, Tu bibes uvam.* Serv.

63. *Sed truncis oleæ melius.* Quia supra ait, *Truditur e sicco radix oleagina ligno;* et jam redit ad eos modos, quos invenit industria. Dicendo autem *melius*, ostendit etiam alias arbores ex truncis posse creari. Sane olea est arbor ipsa; unde derivatum est oleum. Oliva vero fructus ipse, unde olivum dicitur. Legimus tamen et olivam de arbore, ut: *Incumbens tereti Damon sic cæpit olivæ.* Serv.

64. *Solido Paphiæ de robore myrtus.* Sicut et olea. *Paphiæ* autem *Venereæ*, a Papho insula, in qua Venus colitur. Huic autem myrtus consecrata est; vel quod hæc arbor gaudet litoribus, et Venus de mari dicitur procreata: vel quod, ut Medicorum indicant libri, hæc arbor apta est mulierum necessitatibus plurimis. *Serv.*

65. *Plantis et duræ coruli nascuntur. Duras* dixit, non ad lignum, sed ad fructum ipsarum refereus: alii *Eduræ* legunt, quasi non duræ, ut paulo post, *Enodes trunci;* id est, sine nodis: ut E modo, minuentis, non augentis habeat significationem. Sane coruli propriæ dicuntur: nam avellanæ, ab Avellano, Campaniæ oppido, ubi abundant, nominatæ sunt. *S.* — *Eduræ coruli.* Legendum, inquit, Fabricius, *eduræ*, sed non explicandum, pro, non duris. In qua sententia veteres nonnulli fuerunt, quos imitatus Mancinellus, Siponţius, Ascensius. Immo vero, *eduræ coryli*, i. valde duræ: ut idem Serv. exponit Ge. IV: *Eduramque pirum.* Ovid. in Arte: *Nec tamen edure, quod petit illa, nega*, i. obstinate et rustice. Hactenus auget. Minuit vero in istis, *Enodis* abies: *enodes* trunci, qui sunt leves et absque nodis. Hæc Fabricius. — Corulus, fraxinus, populus, quercus, palma et abies, optime proveniunt ex *plantis:* nonnulli, inter quos Heynius, v. 23 decepti, cum surculis confundunt plantas. Quam falsam interpretationem ipse Martynus sequitur; ait vero quercum, abietes, palmasque, non nisi de semine provenire. Nec tamen errat Virgilius, quamvis editores eum male sic interpretentur. Planta enim

nus, quæ ingens; nam hæc multum exeresci: populus, qua se Hercules coronat: quercus arbor glandifera, quæ sacra est Jovi, qui cultus in Chaonia: palma, quæ ardua, et alta est: abies, ex qua naves fiunt.

69. Septimus et ultimus modus erat insitio. Docet itaque, quæ arbores melius ex insitione proveniant, quam ex quolibet alio modo, Nux inserenda est in arbutum, et ita melius veniet: mala in platanum: castaneæ in fagum: pyra in ornum: glans in ulmum: uti ista poetice illustret, perspicuum legenti.

73. Sistit in extremo modo, quæ erat insitio, et ait, hanc esse duplicem: prior, quæ vere dicta insitio: posterior, quæ inoculatio. Conceptus enim hujus versus est; non est unus modus simplexque inserere, atque oculos imponere: nam videlicet, alia est insitio, alia inoculatio.

dicitur, respectu futuræ arboris, omne germen, natura vel arte proveniens. Inde *plantare* et *deplantare* significant cum radice demittere: et *explantare* apud Columel. idem quod eradicare: fere eodem modo usurpatur vox *pes* de leguminibus, ut nunc de radice, nunc de ipsa planta sumatur. Varr. I, 2, *pedes betacei*; vide Salmas. ad Sol. p. 583: Gallice dicitur *un pied*, de planta cujuscumque generis. Ut vocabulum hoc male interpretatum vero sensui restituam, chartæ non est parcendum. Plinius XVII, § 11, *a radice planta*: § 12, *dum radici avellitur planta*: § 13, *avulsi stolones... Hoc modo plantantur punicæ*: § 15, *maritas ulmos auctumno serere utilius quia carent semine: nam ex plantis eæ seruntur.* — Pallad. II, 15; *amygdalus seritur semine et plantis quæ de majoris radice tolluntur.* Idem passim testantur Varro, Columella, Plinius, Quintilianus, et alii. *V. G.*

67. *Chaoniique patris.* Jovis Epirotici. Periphrasis quercus, Jovi Dodonæo sacræ.

69. *Fœtu nucis arbutus horrida.* Versus dactylicus: nam male quidam *horrens* legunt. Horrida autem hispida; et jam transit ad insitionem, quæ duplex est: nam aut insitio dicitur, quum fisso trunco surculus fecundæ arboris, sterili inseritur: aut oculorum impositio; quum inciso cortice libro alligatur alieno, et arboris germen inserimus. *Serv.*

70. *Et steriles platani malos gessere valentes*, etc. Dicit quid in quam arborem debeamus inserere: in arbuto nucem; in platano malum; in fago castaneam; in orno pirum: non enim in castanea fertili, infecunda fagus inseritur. — *Platanus* umbram propter tanta colitur cura, ut orator Hortensius a Cicerone quondam petierit, diem judicio dictum differri, quo posset in prædio suo platanos vino conspergere. *V. G.*

73. *Nec modus inserere atque oculos imponere simplex.* Aut, non est simplex aut fortuita ratio, sed ea, quæ ingenti labore colligitur: aut hoc dicit; non est idem inserere,

74. Explicat primum, quæ sit inoculatio; sed ego præmitto duo: 1° tunica in arboribus est eadem cum libro: est vero liber, cortex ille interior ipsi ligno adhærens: inde libri appellati, quia confici soliti ex tuniculis interioribus arborum. 2° Nodus, gemma, oculus, germen, eadem res: protulerant ista primo vere ex ipso cortice. Ergo ait, qua gemmæ erumpunt ex cortice ruptis tuniculis, in ipsomet nodo, id est, ubi est ipsamet gemma, debere fieri sinum, et cavitatem (fit hæc avulsa gemma et cortice ex arbore vetere in modum scutuli, aut oculi, ut paretur domicilium advenienti germini alterius arboris). In eam itaque includatur germen alterum: nam hoc debet succedere, ut una insutum et insertum coalescat cum libro vetere. Vocat vero hic librum *udum* ex summa peritia: nam artis hujus scientissimi exspectare solent ad hanc insitionem tempus illud, quo sudent arbores: tunc enim melius expellunt tuniculam, et locum præbent venienti et insuendo germini.

78. Sequitur insitio, quæ clara ex verbis poetæ. Secentur trunci, non qua est nodus ille: nam ad insitionem hanc nihil hoc interest: quin si opus, findatur via cuneis usque ad me-

quod et oculos imponere: quarum rerum discretionem hoc loco commemorat. *Serv.* — De insitione, et quomodo sit inventa, vid. Plinium XVII, 14. Duplicem insitionem constituit Poeta; altera proprie vocatur insitio, *enter en greffe;* altera inoculatio, *enter en écusson:* insitio est, quum medio ligno arboris fisso inseritur surculus, a Græcis dicitur ἐγκέντρισις: inoculatio, quæ ab iisdem dicitur ἐτεροφθαλμισμὸς, est, quum gemmæ surculorum, sinu corticem inter et truncum aperto includuntur: nonnulli tertium genus addunt; scilicet ἐμφυλισμὸν, emplastrationem, quum sublata parte corticis, hujus in locum substituitur alterius arboris gemma, pari magnitudine, quæ sublati corticis spatium repleat. In hoc nostri homines a Virgilio discedunt, quod hic sinum in ipso arboris nodo gemmaque faciendum moneat, quem nos, infra vel supra nodum in corticis parte maxime tersa ac nitida aperimus.

74. *Trudunt.* Propellunt, et ejiciunt. — *Gemmæ.* Oculi et tumores parvi, qui incipiunt exire et pullulare tempore veris. Sic Ecl. VII, 47: *jam venit æstas Torrida: jam læto turgent in palmite gemmæ.* Et recte *gemmas trudere* pro *emittere*, Noster Ge. II, 335: *Sed trudit gemmas, et frondes explicat omnes.* Emm.

78. *Aut rursum enodes.* Miror Philargyrium dicere, τὸ *rursum* vacare; præsertim in hoc Poeta: *rursum*, valet, secundo loco, vel secundo modo; vel *rursus*, id est, aliter. *Cerut.* — *Enodes.* Id est, nodis carentes. Sic Plin. XII, 4: *Quod melius, arboreum, trunco enodi:* et c. 14: *Quibus credi potest, matrem*

dullam : in hanc rimam inserantur feraces surculi : post tempus non longum exsistent ex hoc surculo rami felicissimi, incogniti trunco illi, arbosque admirabitur frondes novas, poma non sua.

83. SECUNDA PARS hujus libri continet diversas species arborum : et ita ait, non esse genus unum ulmorum, salicum, lotorum, cupressorum. Postremam speciem *Idæam* vocat, quia illius ferax est Ida mons Cretæ.

85. Constituit tres species olivarum; orchadum, radiorum, pausiæ. Primæ nomen habent a rotunditate; secundæ a figura oblonga; postrema a paviendo.

87. Ab agris transit ad hortos, et ait, poma (est hoc nomen generale ad mala, ad pyra, ad similia) atque hortenses arbo-

quoque teretem enodi fruticare trunco. Emm.

79. *Finditur in solidum.* Ut solida sit ipsa fissio, et non habeat rimas aut fissuras. Plin. XVII, 14: « Per media trunco leniter fisso, « cuneoque tenui fissuram custo- « diente, donec cuspidatim deci- « sus descendat in rimam cala- « mus. » *Taubm.*

82. *Miraturque novas.* Quis non miretur, Servium interdum non servire nobis? vult hic nos legere : *Mirata estque novas,* ut stet versus, quasi vero cadat, si legatur : *Miraturque novas. Novas* dicit Poeta *non suas.* Cerut.

84. *Salici.* Plin. XVI, 37, octo genera salicis recenset. — *Lotoque.* Lotos Nympha quædam fuit, quam quum amatam Priapus persequeretur, illa deorum miseratione in arborem conversa est, quæ vulgo faba Syriaca dicitur. *S.* — Præter *lotum* ab Homero laudatam, et *lotum* Nymphæam, multæ arbores pecori hominibusque victum præbentes hac appellatione designantur. Patet igitur subesse huic voci sensum quemdam *recreationis;* hinc λωιων, λαὸς, *latum,* multæque aliæ voces derivantur. Arabes arborem vocant *Seder,* fructum *Nabka,* et fingunt *lotum* in paradiso suo abundare, fructusque illius a formosis mulieribus *Houri* dictis porrigi advenientibus mortuis. Odyss. IX, 92. Plin. XVI, 44, 53. *V. G.*

86. *Orchades.* Plin. XV, 1 : « Genera olearum tria dixit Virgilius, orchites, et radios, et pausias. » Sed Varro I, 24, octo genera; Colum. V, 8, decem numerant. Est autem *Orchas,* sive *Orchitis,* (nam ita cum Plinio legit Cato, Festus, et Turneb. XXII, 2) genus oleæ, dictum ἀπὸ τῶν ὀρχίων, *quod sit testiculorum magnitudinis,* ut Fest. ait. *Taubm.* — *Radii.* Olivæ, ita a longinquitate radiorum nominatæ. — *Amara pausia bacca.* Oliva a paviendo dicta, id est, tundendo : aliter enim ex se oleum non facit. *Amara* autem *bacca* viridi, ut alibi, *Floribus atque apio crines ornatus amaro :* id est, viridi : nam de pausia viride oleum fit; unde contra dulce dicitur, non viride. *Serv.*

87. *Pomaque.* Subaudi a superioribus, Non unam nascuntur in

res (has enim intellige per sylvas Alcinoi) varias sub se species continere : probat; nam triplicia sunt pyra, videlicet Crustumia, Syria, Volema. Prima laudem habent a Crustumio Italiæ oppido, auctor est Servius : altera a Syria, unde advecta : postrema a magnitudine : nam ita grandia, ut volam manus impleant.

89. Ex hortis gradum facit ad vineta, et enumerat varia uvarum ac vitium genera, præmittitque hanc sententiam : Vites Italorum diversæ sunt ab aliis, neque enim nobis eadem est vindemia cum ea, quam carpit Lesbos insula ex Methymna : est hæc urbs Lesbi. Dicit *pendet*, quia vites Italiæ pendent ex arboribus, jugatæ his et maritatæ.

91. Accingit se ad narrationem plurium specierum, quas

faciem. *Serv.* — Latini vocem *pomum* modo latius, modo strictius acceperunt. Apud nonnullos exceptis nucibus, ficis, et uvis, reliqui omnes arborarii fructus, pomorum nomine veniunt. Juxta Grammaticos nuces generaliter dicuntur omnia, tecta corio duriore, ut avellanæ, juglandes, amygdalæ, castaneæ, ut contra poma dicuntur omnia molliora. Plinius pomorum nomine omnes arborum fructus comprehendit exceptis olivis; idem facit Virgilius hoc loco, quem imitari videtur Plinius. — *Alcinoi silvæ.* Id est, pomiferæ arbores : nam Alcinous rex Phæacum fuit, diligens cultor hortorum; unde per ejus silvas, arbores pomiferas intelligimus.

88. *Crustumiis.* Crustumia pira sunt ex parte rubentia, ab oppido Sabinorum Crustumio nominata. *Serv.* — *Syriisque piris.* Hæc Columella vocat etiam Tarentina, v. 10. Dat illis Plinius proximam bonitatem post Crustumina XV, 15 : ita scribit : « Proxima his (Crustuminis) Falerna, a potu, quoniam tanta vis succi abundat, lactea hæc vocantur, in iisque alia colore nigro donantur Syriæ. » Ex verbis Plinii lucem accipit Isid. XVII, 7 : *Syria dicta, pro eo, quod de Syria est allata, sive quia nigra est.* Dissimulo hic de generibus pirorum; nam Virgilius tertia tantum attigit. Certe Plin. XV, 15, numerat genera 35 : sed opus est oculis ad hunc numerum eliciendum : Colum. v. 10, septem supra decem : Macrob. Saturn. III, 19; unum supra triginta. *Cerda.*

90. *Methymnæo. Lesbos,* insula est in Ægæo mari, cujus civitas *Methymna,* habens pretiosissimum vinum. Ovid. Art. I : *Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos.*

91. *Thasiæ vites.* A Thaso, maris Ægæi insula : unde Θάσιος οἶνος pro optimo, et Θασία σταφυλή. Plinio XIV, 18, duo genera Thasii vini diversa memorantur : unum, quo somnus concilietur; alterum, quo fugetur. — *Mareotides albæ.* Ægyptiæ; Mareotis enim pars est Ægypti; et dicendo *Albæ,* ostendit etiam esse purpureas, vel alterius coloris. *Serv.* — Sunt tamen, qui *vites*

ego hic unico tractu complectar. Ergo enumerat vites Purpureas, Precias, Rheticas, Falernas, Amineas, ex montibus

Mareoticas non Ægyptias, sed Græcas interpretentur; quum præsertim et Columella III, 2, eas inter Græculas recenseat.

92. *Pinguibus hæ terris habiles, levioribus illæ.* Pinguibus Thasiæ, levioribus Mareotides: nam ordinem positum sequimur, quum aperte aliquid non commemoratur. *Serv.* — Sed usus Grammatices mihi velle videtur, *his* Mareotidas, et *illis* Thasias attribui vites, quamvis interpretes fere omnes adhæreant Servio.

93. *Passo Psythia utilior.* Bene *utilior;* ut ostendat etiam de alia uva posse passum fieri, sed melius de Psythia. *Passum* autem dicitur a patiendo: nam decoquitur mustum, et inde fit *passum*: hinc *Defrutum* dictum est quod defraudatur, et quasi fraudem patitur. *Serv.* — *Passo utilior.* Utilior ad *passum*, i. vinum, quod fit ex uva passa, sive Sole siccata: de quo Colum. XII, 39. *Taubm.* — *Tenuisque Lageos.* Lageos est, quæ Latine leporaria, a colore leporis, dicitur. *Tenuis* autem, penetrabilis, quæ cito descendit ad venas. *Serv.*

94. *Tentatura pedes, etc.* Locus Plauti Pseud. v. 1, 5, vino idem adscribit: « Magnum hoc vitium vino est, pedes captat primum; Luctator dolosus est. » Terentiani Chremetis, quum vinum quod biberat, vivisset, neque pes, neque mens, satis suum officium faciebat, in Eun. IV, 2, 1 et 3. Virgilius in Catalect. *copia vini Et tentat gressus, debilitatque pedes.* Huc facit, quod memini me legere epigramma vetus: « Vindicat ipsa suos, quos pertulit uva labores, Quæ pede quod premitur, subtrahit ipsa pedem. » *Emm.* — *Olim.* Adverbium est cujuslibet temporis. *Serv.*

95. *Purpureæ.* Purpurei coloris. —*Preciæque.* Hæ cito maturescunt: unde et *preciæ* dictæ sunt, quasi præcoquæ; quod ante alias coquantur. — *Quo te carmine dicam, Rhætica.* Hanc uvam Cato præcipue laudat in libris, quos scripsit ad filium: contra Catullus eam vituperat, et dicit nulli rei aptam esse, miraturque cur eam laudaverit Cato. Sciens ergo utrumque Virgilius medium tenuit; dicens, *Quo te carmine dicam Rhætica.* S. — Plinius secundum, post Falernum vinum, dedisse locum Rhætico videtur. Rhæti autem populi in Italiam usque supra Veronam et Comum extenduntur. Vina autem Rhætica grata fuisse Augusto, scribit Tranquillus. Et in hujus fortasse gratiam a Virgilio tantopere laudatum; quamquam et Cato idem fecerit. Contra vero Catullus, auctore Servio: quod tamen carmen, ut et alia istius poetæ, ad nos non pervenit.

96. *Nec cellis ideo contende Falernis.* Licet sis a Catone laudata, et *Augusto gratissima*, tamen vino te Campano præferre non debes: nam *Falernus*, ager Campaniæ, ubi vina nascuntur optima; ubi *colles* (ut Plin. ait III, 5) *vitiferi, et temulentia nobilis est succo per terras indito.* Tibull. II, 1, *fumos proferte Falernos.* Horat. Od. I, 20, *Vites Falernæ.* — *Cellis.* Cella vinaria locus frigidus, ubi servabatur mustum effervescens in doliis piceatis,

Tmolo Lydiæ, et Phanæo Chii, Argitin minorem, uvam Rhodiam, et bumastum. Exornat ista, ut decet poetice loquentem. Difficultatibus, quæ obviæ, occurrent nostræ Notæ.

103. Sed quis, inquit, aut species, aut nomina uvarum comprehendat? citius scies arenas, quas in campis Libyæ, ubi sunt deserta et cumuli arenarum, conturbat Zephyrus, ventus occidentalis : fluctus, quos in Ionio Eurus excitat, ventus orientalis.

109. Tertia pars hujus libri docet quid, quibusque locis

ex argilla aut e ligno factis, et pro dimidia parte infossis. Vere, circiter VIII Kal. Maj. vinum in urceos piceatos, aut in lagenas argillaceas vitreasve diffundebant. Obturamentum pice vel gypso sigillatum, vini consulumque exhibebat nomen. His peractis, vinum in altiores locos portabant, ubi fumus vetustatem properaret. *V. G.*

98. *Tmolius adsurgit quibus, et rex ipse Phanæus.* Sententia est; Amineas vites ita esse optimas, ut et vitibus inclytus Tmolus et Phanæus rex vinorum illis assurgant, et honorem præbeant, neque velint primum locum tenere. Sed quare *rex Phanæus?* Merito putant viri docti expressum hoc ex Lucilio, qui χῖος τε δυνάστης vinum Chium, ubi est mons Phanæus, vocat Satrapam, Regem, Principem. — Lectio *Tmolius*, propter sequens verbum *Phanæus*, mihi videtur anteponenda : Monachus quis, ut opinor, vulgare scripsit *Tmolus;* alius ad implendum *versum* particulam *et* adjecit. *V. G.*

99. *Argitisque minor.* Quantum ad solam pertinet speciem : nam majore præstantior celebratur; duplex enim species est, ex Columel. lib. III, 2.

102. *Tumidis, bumaste, racemis.* Ideo *tumidis*, quia *bumastus*, id est, *mammeus* aut *bumeus* : est enim bumastos uva instar mammæ; — Nomenque ducit ab ubere lactis pleno : βοῦ et μαστος. Varro II, 5, has uvas *bumammas* dicit. *V. G.*

103. *Sed neque quam multæ species*, etc. Scit apud diversas lecta esse innumerabilia vitium genera; quibus offensus ait; colligere tanta vitium genera, nec utile est, nec possibile. Qui enim conatur universa cognoscere, debet etiam impossibilia scire, ut est arenarum, vel fluctuum numerus. *Serv.*

105. *Libyci.* Ipse : *Litus arenosum Libyæ*, dixit; unde *æquor Libycum*, non de mari, sed de campis Libyæ desertis et arenosis : namque non bis maria in comparationem adduxisset. Hanc sententiam protulit Theocritus, Idyll. XVI, 60, a quo Virgilium accepisse, verisimile est. Potest etiam videri imitatus illud Catulli : « Quam « magnus numerus Libyssæ arenæ « Laser piciferis jacet Cyrenis Ora- « clum Jovis inter æstuosi. »

107. *Incidit.* Reddit procul dubio Homerum, qui etiam de Euro Odyss. v. ἴκτιος. Cic. etiam in Arat. *Sin gravis inciderit vehementi flumine ventus.* Cerda.

109. *Nec vero terræ ferre omnes omnia possunt.* Aut generale est, sicut ait in primo : *Et quid quæ-*

melius nascatur; ubi gentium hæ præ illis arbores felicius proveniant. Non, inquit, unus locus fert omnia: nam flumina ferunt salices, paludes alnos, montes ornos, myrtos litora, colles vites, loca exposita frigoribus taxos. Adverte, uti quædam exornet epithetis, quædam variet locutionibus. Paludes crassæ sunt, steriles orni, montes saxosi: terræ ferunt, alni nascuntur, Bacchus amat colles.

114. Jam hic commemorat arbores regionibus separatis memorabiles. Adspice, inquit, o Mæcenas, orbem totum; Arabas, qui siti ad orientem; Gelonos, qui pictis sunt corporibus: nam hæ separatæ sunt, ac divisæ patriæ certis quibusdam arboribus. Sola India fert ebenum, thus soli Sabæi. Quid tibi commemorem Judæorum balsama, quæ sudant ex odorato ligno? Quid Ægyptiorum acanthum semper frondentem?

que ferat regio: aut ad superiora pertinet, ut sit sensus talis: non prodest, nosse cuncta vitium genera; nec omnia procreantur in omnibus terris. *Serv.*

110. *Salices* in fluviorum ripis, *alni* in cœnosis paludibus seruntur, ut irrumpentium aquarum inhibeant impetus. *V. G.*

111. *Ornus* foliis latis; etsi montium amica, tamen in plana descendit. *V. G.*

112. *Litora myrtetis lætitissima.* Locum posuit pro ipsis arboribus, sicut salictum pro salicibus; nam myrtetum est locus: arbor vero ipsa myrtus vocatur. — Myrtus silvestris eo differt ab hortensi, quod brevior est, rubrasque baccas habet. Plinius XVI, 30, ait myrtum etiam subire in montuosa: sed illud intelligendum est de genere myrtorum validiore, quæ vocantur *montanæ* a Dioscoride I, 156. *V. G.*

115. *Eoasque domos Arabum.* Arabia, Panchaia, Sabæorum gens est, apud quam tus nascitur; ut, *solis est turea virga Sabæis.* Item: *Totaque turiferis Panchaia pinguis arenis.* Plautus, *Arabico ture.* Serv.

117. *Ebenum.* Non infrequenter cum adspiratione: absque illa concinnius, Græcisque conformius, quibus ἔβενος. Hac de re disserentem lege Dausquium in Orthogr. *Emm.* — *Solis est turea virga Sabæis.* In Longobardico; *Solis et turea*, sed inemendate. *Turea* vero absque aspiratione in antiquis codicibus: quod multi fuere, qui *tus* Latinum esse vocabulum, et a tundendo dictum voluere. *Pier.* — *Turea.* Vide apud Plin. XII; 30, 31, 32. Philostrat. in vita Apollonii affirmat, tus quoque defluere ex arboribus Caucasi: existimant recentiores arborem a Philostrato memoratam eamdem esse quam vocant *juniperum Phœniceam*, vel *Thuriferam. V. G.*

119. *Balsamaque. Que* vacat; ut alibi; *Dixitque, et prælia voce diremit.* Sane *Balsamum* est arbor ipsa: *Opobalsamum*, succus collectus ex arbore: nam ὀπὸς dicitur succus: τὸ ξύλον lignum ipsius arboris. Probatio autem opobalsami, ut dicit Plinius, hæc est: *Si contra solem feratur, et corruptum non sit, manum ferentis exurit.* S.

Quid nemora Æthiopum, ubi in ipsis arboribus nascitur gossypium candidum? Quid vellera, quæ tenuissima Seres depectunt (pectendo auferunt) ex ipsis foliis arborum? Quid lucos Indiæ, quæ proxima Oceano, quæ extrema orbis pars? ubi arbores ita altæ, ut jactu sagittarum superari nequeant, etiamsi a peritissimis ejiciantur, velut est Indorum gens, quæ non segnis in hac arte laudatur.

126. Post commemoratas excursu quodam arbores plurima-

— *Balsamaque.* Balsamum uni Judææ concessum esse, auctor Plin. XII, 25; Joseph. X, 4; Hegesipp. I, 16; Justin. lib. XXXVI; Dioscor. lib. I; Theophrastus multis in locis. *Meyen.* — *Semper frondentis acanthi.* Acanthus arbor est in Ægypto semper frondens, ut oliva, laurus: acanthus dicta, quia spinis est plena. Abundat hac etiam Circina insula. *Serv.*

120. *Æthiopum.* Æthiopia Ægypto contermina, insignes habet arbores, laniferas quoque, auctore Plinio. In Tylo insula maris Persici, sunt arbores (gosampinos vocant) lanigeræ; folia habent infecunda: quæ nisi minora essent, vitium poterant videri. Ferunt cucurbitas amplitudine mali cotonei; quæ maturitate apertæ, ostendunt lanuginis pilas; ex quibus pretiosa lintea conficiunt. Et Juba tradit circa fruticem lanuginem esse, linteaque inde fieri Indicis præstantiora. — *Molli canentia lana.* Pimpontius, liniferas arbores notari putat, quæ byssum ferunt, linum auro contra carum. Sed docet Lipsius, *Byssum* e terra gigni, ut linum; et imperite a multis confundi *Byssina*, *Bombycina*, et *Serica*; quum *Byssina* vestis fit e limo: *Bombycina* e verme; *Serica* ex arborum lana confecta. *Taubm.* — Byssus erat forte, lana illa flava, quam in Guinea vidit *Isert*: nam ibi solis regibus ornamento conceditur, ut si quis eam exportare conatus deprehenderetur, capitis damnaretur. *V. G.*

121. *Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.* Apud Indos, et Seres, sunt quidam in arboribus vermes, et bombyces appellantur, qui in aranearum morem tenuissima fila deducunt; unde est sericum: nam lanam arboream non possumus accipere, quia ubique procreatur. *Serv.* — Vide Plin. VI, 20; Aristot. V, 19. Manifestum est viam per Mediam, Assyriam, Mesopotamiam, Armeniamque ad Seres innotuisse tunc temporis; eaque mercatores usos, multas fabulas excogitasse. Viæ hujus Plin. XXXIV, 41; Ammianus XIV, 7; XXIII, 157, meminerunt. Pausanias araneam nostra duplo majorem refert in Assyria et in Seribus inveniri. Dionysius addit eam nemora filis tenuissimis tegere. Justiniano imperatore monachi duo de bombyce notitiam accuratiorem in Constantinopolim attulere. (Confer notam 121, vol. I, hujus editionis, pag. 356.) *V. G.*

122. *Oceano propior gerit India lucos.* Hæc enim habet arbores magnas, quæ est juxta Oceanum; hinc est: *Extremi sinus orbis.* Serv.

rum regionum, sistit in arbore quam fert Media, cujus arboris fructum vocat *malum felix*. Ergo describit hanc arborem a succo, qui tristis, aut quia amarus, aut quia acris, et pungens: a sapore, qui tardus, nam tarde atque invite deglutitur propter acrimoniam: a virtute contra venena, nam si novercæ, ut sunt perfidiosæ, inficiunt pocula, herbas miscent, adjungunt verba nocentissima et incantatoria ad tollendos privignos; nullum est contra hæc pharmaca remedium præsentius felici malo; nam adest in auxilium, et venena e membris

126. *Media fert tristes succos, tardumque saporem.* Pars Parthorum Media est appellata a Medo, filio Medeæ et Ægæi, ut existimat Varro, qui quatuor libros de Argonautis edidit. Arbor autem, quæ describitur a Virgilio, nascitur quidem in Italia, sed non est ejusdem effectus, cujus in Media: et appellatur Rododaphne. *Probus.* — *Tardumque saporem Felicis mali.* Apud Medos nascitur quædam arbor, ferens mala, quæ medica vocatur: quam per periphrasin ostendit, ejus supprimens nomen; hanc plerique citrum volunt; quod negat Apuleius in libris quos de arboribus scripsit: et docet longe aliud genus arboris esse. — *Tardum saporem. Amarum* et *acerbum* interpretatur Turn. IV, 4. Servius *hebetem* et vix intelligibilem, scil. carne sui media: nam prima facile saporem ostendunt. Philargyrius *gravem*, et diu linguæ et palato immorantem. *Taubm.* — Recentiores hæc de aurantiis interpretantur. Theophrastus ait, malum medicam folia ferre, ut lauros; lubrica, ut pyros sylvestres, et acutissimis aculeis; esse odoratissimam, nec comedi, sed vestibus mundandis adhiberi, venenique remedio: cf. Plin. XII, 7; XVI, 32, 59; Macrob. Saturn. II, 17; Athen. conviv. III, 7; Plin. XV, 33; XVI, 44; XVII, 11. Ex his omnibus locis patet, aurantias tunc temporis nondum innotuisse; præsertim quum Palladius varias memoret artes, quibus citrei *acres medullæ* dulciores reddebantur. Crediderim itaque citreum malum idem esse et Medicum. *V. G.*

128. *Sævæ novercæ.* Aut hæ, quæ sævæ sunt: aut epitheton est omnium novercarum. Quare monet pupillos Juvenalis VI, 628: « Vos ego, pupilli, moneo, quibus « amplior est res: Custodite ani- « mas, et nulli credite mensæ: Li- « vida materno fervent adipata ve- « neno. » De exemplaribus sævitiæ novercalis vide Marcellum Donatum ad initium annal. Taciti. *Em.*

129. *Non innoxia verba.* Liptotes; id est, nocentissima: et est augmentum, quasi parum putent venena miscere, nisi etiam magicos cantus addiderint. *Serv.* — Qui hunc versum, ut Georg. lib. III, 283, iterum occurrentem absque ullo discrimine, hinc aut illinc rejiciunt, li non judicium suum ostendunt, sed levitatem. *V. G.*

130. *Membris agit atra venena.* Radices, nuces, lupini, citrum, apium, prosunt contra futurum, non contra jam acceptum venenum. Unde etiam antiquitus ante

expellit: a forma, nam est arbor ingens, lauro perquam similis; imo laurus ipsissima erat, id est, esset, nisi alium haberet odorem; ad hæc, folia nunquam cadunt, etiamsi venti incumbant; flos quoque in ea constantissime retinetur: iterum a virtute odoris duplici, qui est in flore; nam Medi illo halitus graves recreant, et medentur senibus anhelis, id est, asthmaticis.

136. Nunc excurrit fuse in laudes Italiæ, quas annectit tertiæ parti hujus libri: putat vero hanc partem mundi præstare feracissimis orbis partibus. Primo assumit Mediam, quæ Italiam non superat, etiamsi nobilis sit felici malo: non ea pars Indiæ, quam Ganges interfluit, gemmarum copia, et nitore pulcher: non Indi reliqui: non Panchaia, Arabiæ regio, thure suo nobilitata.

ullas alias epulas, hæc solebant mensis apponi.—Ideo Theophrast. Hist. plant. IV, 4: *χρήσιμον δέ, ἐπεὶδὰν τύχῃ πεπαικώς τις φάρμακον.* Eadem fere verba habet Athenæus III, 7 et 8; ubi mirabilis historia de duobus latronibus, qui, quum raperentur ad supplicium, illæsi manserunt contra venenatos morsus serpentum, citrium quia casu quodam comedissent; sed pro *φάρμακον* dicit *θανάσιμον φάρμακον. δοθὲν γὰρ ἐν οἴνῳ, διαλύοντι τὴν κοιλίαν, καὶ ἐξάγει τὸ φάρμακον.* Idem testatur Dioscorid. I, 167; et Galen. lib. VII, simpl. medic. — *Atra venena.* Quia homines efficit lividos, nigros; sic Ovid. Metam. I, 147: *Lurida terribiles miscent aconita novercæ.* Inde Juvenal. I, 72; *nigros efferre maritos.* De livoribus, quæ conspiciebantur in Germanico, qui ferebatur veneno extinctus, Suet. in Calig. c. 1. *Emm.*

131. *Faciemque simillima lauro.* Figura Ciceronis, qui ait in Cæsarianis: *Sed simillimum deo judico.* Sane etiam hæc probat citrum non esse; nam citri arbor et multum non potest crescere, et multo habet folia majora quam laurus. *S.* — Theophrastus folia dicit esse denticulata et aculeata, ut lauri: hæc autem in aurea malo nullo modo occurrunt. *V. G.*

134. *Animas.* *Δύσπνοιαν*, id est, pulmonis vitiosum anhelitum; quod exprimit subdens: *senibus medicantur anhelis.* — *Olentia ora.* Putentia, id est, *δυσωδίαν* oris: notandum sane huic uni tantum arbori incubuisse Virgilium, et expressisse ubi sit, qualis sit, cujus potestatis sit; sicut in quarto de herba amello; quod qui de arboribus aut herbis scripserunt, in omnibus exequuntur. *Serv.* — *Illo* non ad vocem *flos* referendum, sed ut notat Ruæus, subintelligendum est *malo;* omnia enim ad citrei vel medici mali descriptionem pertinent: fovere a vetere foo, fuo, *φυω* unde derivantur *fomenta frigida; fomes.* V. G.

136. *Sed neque Medorum silvæ.* Jam incipit laus Italiæ, quam exequitur secundum præcepta Rhetorica. Nam dicit eam et habere

140. Quum Italiam non superent Media, India, Lydia, Bactra, Arabia, in quibus veræ divitiæ; multo illam minus superabit tellus Colchorum, ubi fictæ. Nam Italiam nunquam inverterunt tauri fabulosi Jasonis, qui ignem naribus spirabant; nunquam in ea sati sunt dentes draconis; non exiit e sulcis seges Martia, galeis et hastis horrida: sed impleverunt illam fruges frumento gravidæ, liquor Bacchi, qui nascitur pretiosissimus in Massico monte Campaniæ; illam occupant oleæ, illam armenta læta, et pinguia.

145. Explicat, quæ hæc armenta; videlicet equi ad bellum, tauri ad sacra. Utrumque exornat, nam illi sunt bellatores, ardui, sine metu sese campo inferentes: isti candidi, et principes victimarum. Parenthesis ad Clitumnum Jovem dirigitur. Illud *greges, et taurus duxere triumphos Romanos ad Deorum templa*, est, quia ipsa animalia præibant pompam triumphantium ad Capitolium, ubi immolanda, et ita quodammodo dici possunt, pompam ducere. Dicit, greges, et taurus, id est, greges albi taurorum, ut *molemque et montes*, id est, molem montium.

bona omnia, et carere malis universis. *Serv.*

141. *Satis dentibus.* In tertio casu; neque enim post dentium sationem aratum est, sed ut sererentur. Conf. Ovid. Metam. VII, 104, 142. — Hanc regionem valde laudat Strabo, non solum quod auro referta sit, ferro, argentoque; sed etiam quod omnibus rebus abundet, excepto melle, quod ibi subamarum est. *V. G.*

143. *Gravidæ fruges.* Largæ, abundantes. Ita in Ciri *gravidos Cereris fœtus* Scaliger F. exponit γονίμους; quomodo Cicero dixerit *graviditates* τὰς κυήσεις. — *Massicus humor.* Vinum Campanum, a Massico monte Campaniæ. *Serv.*

144. *Tenent oleæ armentaque læta.* In nonnullis post oleæ *que*. In Mediceo, et antiquioribus aliquot codicibus, et iis præsertim qui particulam *que* geminare gaudent, legere est: *tenent oleæ armentaque læta*, absque particula *que*, post dictionem *oleæ*. Pier. — *Armentaque læta.* Boum maxima auctoritas, præsertim in Italia, quæ a bobus nomen habere fertur. Veteres Græco sermone, ut tradit Timæus, Ιταλους appellabant tauros; unde etiam provenit latina vox, *vitulus*. Ita Plin. XXXVII, 77, ait: Italici cursores nullos equos indigenis anteponebant. *V. G.*

146. *Hinc albi, Clitumne, greges.* Vocativus est *Clitumne*. *Clitumnus* autem fluvius est in Mevania; quæ pars est Umbriæ partis Tusciæ, de quo fluvio, ut dicit Plinius in historia naturali, animalia quæ potaverint, albos fœtus creant. — *Maxima taurus Victima.* Quia triumphantes de albis tauris sacrificabant. *Serv.*

148. *Templa.* Jovis Capitolini. — *Duxere triumphos.* Si equi, duxe-

149. Addit quatuor, quæ præclara; videlicet temperiem cæli adeo miram, ut æternum esse ver appareat: æstatem in mensibus non æstatis; quia quæ alia loca terrarum ferunt in æstate, Italia fert eadem reliquis etiam anni temporibus: fecunditatem pecudum, quæ bis pariunt: fertilitatem arborum, quæ bis fructificant.

151. Sequuntur laudes a rebus nocentissimis, quibus Italia caret. Non sunt in ea tigres, non leones, non herbæ venenatæ (per aconita enim herbas omnes intelligit veneno imbutas quæ fallant legentes, quia videlicet sæpe malæ herbæ indi-

runt: si boves, deduxerunt. *Serv.* — Triumphatoris currus quatuor vehebatur equis candidis: hunc anteibant tauri quatuor, vittis, coronis, et auratis cornibus insignes, candidi et ipsi. *Victima maxima*, ob rem feliciter gestam oblata, taurus erat: hostia autem maxima ad deos placandos, erat ovis mansuetudinis causa. Ritus erat, et in minore triumpho ovem sacrificare, unde ovationis appellatio derivata. Cave confundas hæc cum sacrificiis, in quibus majores hostiæ dicuntur adulta animalia, per oppositionem cum lactentibus. *V. G.*

149. *Hic ver assiduum.* Verna temperies; nam ver assiduum esse non potest. Horatius: *Ver ubi longum tepidasque præbet Juppiter umbras.* Serv. — *Alienis mensibus æstas.* — Ita Lucret. lib. I: *Subito exorirentur, Incerto spatio, atque alienis partibus anni.* — Græci, post Phocæorum in Hadriatico mari investigationes, Italiam fabulosis laudibus extollebant. Patet ex Aristotelis et Hecatæi verbis apud Stephanum, eorum opinione, pecora Umbriæ in annum quemque binos vel ternos partus eniti, quorum plerique gemellis constarent: existimabant iidem Gallinas bina in diem ova proferre; frumentum vero in annum ter colligi. *Dionysius Halicarnassæus*, se Campaniæ agros vidisse ait, ubi ter messem facerent, hieme, æstate et autumno apud Plinium XVI, 50, vites sunt et triferæ, quas *ob id insanas* vocant. Etiammum laudatur uva *che volte l'anno*: ter enim fert a Augusto ab februarium. Laudatur etiam *fico di Pasqua*, quæ primum Augusto vel Septembri, iterum mense Maio fert. *V. G.*

152. *Semina.* Genera: *et est Lucretii sermo.* Nam quod ait semina, aut cruenta accipimus, aut re vera sæva semina. Ut enim dicit Plinius « Animalia hæc, quæ sunt cum « acutis unguibus, frequenter pa« rere non possunt: vitiantur enim « intrinsecus se moventibus pul« lis. » — *Nec miseros fallunt aconita legentes.* Mira arte usus est, ut excusaret rem, quam negare non potuit: nam aconita nascuntur in Italia: sed non ea obesse dicit, quia sunt omnibus nota. Hæc autem herba dicitur nata esse de spumis Cerberi, quo tempore eum Hercules ab inferis traxit. Quæ quia in saxis et cotibus nascitur, *aconitum* dicitur, ἀπὸ τῆς ἀκόνης, id est, a cote: et dicimus τὸ ἀκόνητον, καὶ τὰ ἀκόνητα. *Serv.*

153. *Neque tanto Squameus.* Sunt

cretæ a bonis : non denique serpentes tam inusitatæ magnitudinis, ut raptent per humum orbes immensos; colligant in spiram ingentes tractus et volumina.

155. Transit ad laudes alias. Sunt in Italia multæ urbes, et illæ egregiæ : labor operum, id est, sunt eximiæ fabricæ : oppida in quibus ædificia instar præcipitii et rupium efformata ab humana industria : muri in his oppidis ita constructi, ut aditum præbeant magnis fluminibus urbes ipsas intercurrentibus.

158. Ab urbibus pergit ad maria, lacus, portus, et attingit laudes Cæsaris. Ait Italiam allui mari supero, id est, Adriatico, quod a Septemtrione, sublimi parte mundi, Italiam contingit; mari infero, id est, Tyrrheno, quod a Meridie, ima mundi parte. In mentione lacuum adducit Larium, et Benacum; illum vocat maximum, hunc instar maris frementem. De portubus tantum meminit Lucrini. Lucrino addita sunt claustra; æquor indignatur se arceri; unda Julia inclusa molibus placide sonat ponto longe refuso, atque amandato; æstus maris Tyrrheni communicatur per fretum Averni.

quidem serpentes in Italia, sed non tales, quales in Ægypto, aut in Africa. — *In spiram*. In collectionem volubilitatis; quod est a funibus tractum. *Serv.* — Megathosthenes ait, Indiæ serpentes in tantam magnitudinem adolescere, ut solidos hauriant tauros cervosque, et pontum supervolantes quamvis alte pertinaciterque aves, haustu raptas absorbeant. Nota est in bellis Punicis ad flumen Bagradam a Regulo imperatore ballistis tormentisque, velut oppidum aliquod, expugnata serpens, CXX pedes longa : pellis ejus maxillæque usque ad bellum Numantinum duravere Romæ in templo. Faciunt iis fidem in Italia appellatæ *Boæ* in tantam amplitudinem excuntes, ut divo Claudio principe, in alvo cujusdam serpentis occisæ solidus spectatus sit infans. (Vide Plin. lib. VII cap. 14.) *V. G.*

155. *Adde tot egregias urbes*. Laudat Italiam a civitatibus, quas et plures habet et maximas, et opportunissime collocatas. *Serv.*

162. *Indignatum magnis stridoribus æquor*. A solita exclusum licentia, et indignationem suam stridoribus prodens. *Serv.* — Agrippa in secundo vitæ suæ dicit, excogitasse se, ut ex Lucrino lacu portum faceret. Verum hujus gloria Augusto cessit. *Indignatum* autem ideo dixit, quia quo tempore in Lucrinum lacum mare immissum est, deinde terra effossa, contigit inter ipsum Lucrinum et Avernum, ut duo lacus miscerentur; et tanta tempestas orta est, ut prodigii loco habita sit, ac nuntiatum sit simulacrum Averni sudasse. Propter quod Pontifices ibi piacularia sacra fecerunt. *Philarg.*

163. *Julia*. *Julia unda*, significat portum Puteolanum. Per pro-

165. Caput aliud de metallis, quæ inclusa in visceribus Italiæ, neque illa exigua: nam argentum instar rivorum fluit, aurum instar fluviorum; æs instar venarum imam terram intercurrit.

167. Laus extrema, et potior de nationibus bellicosis, et viris bello acribus, quos tulit Italia. Nationes adducit quatuor; Marsos; Sabellos; Ligures bellorum malis et laboribus assuetos; Volscos verutos, id est, veru armatos; viros totidem Decios, Marios, Camillos, Scipiones; et extra ordinem, omnium maximum Augustum. Hujus laudem attingit, qui tunc in extrema Asia Indos arceret a Romano Imperio.

173. Egregie absolvit, jubetque Italiam salvere, quasi nulla alia re possit tantæ fertilitati satisfacere, nisi precatus salutem; additque ingredi se ad commodum Italiæ (nam hoc est, *tibi*) res antiquæ laudis, et artis, id est, res rusticas, quæ in Italia olim habitæ in magno honore; seque primum omnium

lepsim positum est, ut loca prius laudet, quam illum, qui ea fecit; ut laudes inveniant auctorem, id est, Augustum. *Philarg.*

168. *Adsuetumque malo Ligurem.* Sunt, qui κακοῖς» interpretentur, *malo*, non labori, ut Servius, sed κακίᾳ, exponentes, ducti conjectura loci in Æn. sequentis: « Vane Ligur, frustraque animis « elate superbis, Nequicquam pa- « trias tentasti lubricus artes. » Virgilium, vel privata offensa, vel vitio gentis Liguribus non satis propitium fuisse verisimile est. — Ligures ad sinum Ligustinum, separantur ab Etruria flumine *Macra*, a Gallia flumine *Varo*. Secundum veteris geographiæ notiones Ligii juxta occidentalem mundi marginem infra Celtas ad columnas Herculeas usque porrigebantur. (Cicero contra Rullum.) *V. G.*

169. *Hæc Decios.* Creavit. Decii autem duo fuerunt, quorum unus bello Italico, alter Gallico se devovere pro republica. *Serv.*

172. *Inbellem avertis.* Id est, avertendo reddis imbellem. — *Romanis arcibus.* Romanis urbibus, a Romano imperio. *Serv.* — Romæ colles, usitata locutio, qua Roma designatur; septem enim in collibus condita; Georg. II, 535: Æn. IV, 234: X, 12: eodem modo invenies, *Pergameæ arces; Carthaginis, Tritonidis arces.* Ruæus et Cerda qui Indos, a castellis in finibus imperii positis, arceri volunt, Cæsarem non valde hac interpretatione extollunt. *V. G.*

173. *Salve.* Notat Pontanus solemnem esse Poetarum locum, ut post laudes alicujus rei erumpant in salutationem ejusdem, et firmat loco Virgilii, Catulli, Ovidii. Idem adnotat Germ. et advocat Callimachum. — *Magna parens frugum, Magna virum.* Est hoc magnum elogium Italiæ, a quo non abeunt ista Plinii: *Omnium terrarum alumna, eadem et parens.* Iterum: *Numine Deum electa.* — *Magna virum.* Virorum fortium.

recludere fontes sacros Græcorum; nam edit Latinis versibus per oppida Italiæ, quæ ante illum Græcis Hesiodus, qui ex oppido Ascræ.

177. QUARTA PARS. Præmittit duobus versibus dicturum se de ingeniis, id est, conditione arvorum; de robore, ac virtute quæ est cuique loco; de colore, qui aptior ad fructum; de natura, quæ idonea rebus ferendis. Et observabis, redigi commode in hunc tractum materiam eandem, etiamsi pertineat ad diversos libros Georgicorum. Nam, quæ dicet de frumentis pertinent ad librum primum; quæ de oleis et vitibus ad secundum; quæ de armentis ad tertium.

179. Primum explicat, qui locus aptus ad oliveta: terræ difficiles tractatu; colles, qui maligni, id est, male ferentes; ad hæc, locus omnis argillosus, dumosus, calculosus, aptus est sylvis Palladis, id est, oleis, quæ diu vivunt, et quas Dea Pallas invenit. Hujus rei indicium est, reperiri frequentissime in eo loco oleastros, et baccas sylvestres oleastri per solum sparsas: cur non ergo hic locus oleas feret, si colatur?

Jam concludit, laudans a viris, a fertilitate rerum, a Saturni imperio. — *Tibi res antiquæ laudis et artis Ingredior.* In tuam utilitatem scribo carmen Georgicum. Antiquæ autem laudis, vel magnæ, vel quod apud majores in ingenti honore fuerat agricultura. *Serv.*

176. *Ascræum carmen.* Hesiodicum: nam Hesiodus de civitate Ascra fuit. Id est, Romanis latine cano, quod græce Græcis Hesiodus.

177. *Nunc locus arvorum ingeniis.* Naturis: tempus est, inquit, naturam agrorum describere. Et multi hoc loco culpant Virgilium, quod in unum coegit quatuor librorum propositiones; nam et de arvo, et de consito, et de pascuo, et de floreo isto in loco commemorat: quod ideo non est reprehendendum; quia non ea late exequitur; sed carptim et breviter transit; quæ latius explanat in singulis. *Serv.*

180. *Tenuis ubi argilla.* Sine humore, quia est et pinguis. Plinius dicit lib. XVII, 4, hanc terram, qua utuntur figuli, vineis propagandis multum conducere. — *Calculus.* Lapis brevis terræ admixtus. Dictus *calculus*, quod sine molestia sui brevitate calcetur. *Serv.*

181. *Vivacis olivæ.* Diu viventis; hinc supra: *Tarde crescentis olivæ.* Res enim diu duratura, tarde crescat, necesse est. *Serv.* — *Oleaster*, κότινος ἀγριελαία est oliva silvestris: hæc est cultu minor; eamque quadratis et aculeatis ramulis, fronde breviore et duriore, minoribusque baccis facile cognosces: oleaster est e nucleo cultæ olivæ degeneratio, nec multum transplantatione proficit. Hujus frondibus Olympici victores coronati sunt: arbor quam nostri hortorum cultores oleastrum vocant, nihil aliud est nisi Cappadociæ zyzypha, de quibus Plinius lib. XXI, cap. 27. *V. G.*

184. Exponit secundum, quæ terræ aptæ vitibus. Illæ videlicet, quibus insit pinguedo; quibus uligo, atque uviditas perpetua; dum hic humor dulcis sit, non salsus: quæ herbosæ sint: quæ fertiles ad erumpendum in alia quæpiam præ nimia ubertate. Definivit locum a rebus quatuor, pinguedine, uligine, herbositate, fertilitate: ante vero quam ulterius procedat, adhibet exemplum loci definiti. Vidisti aliquando convallem, in quam occipiente tepore veris humor plurimus (hoc est enim *amnes*) liquitur e montibus, qui secum trahit felicem fecundumque limum: huic similem volo existimes terram ad vites. Procedit, et adhibet duas alias conditiones: campus, qui Austro est expositus, non Boreæ: deinde, qui fert filicem, idoneus erit vineto. Hic obiter attingit, filicem invisam esse aratris, ut ad quam evertendam opus sit multiplici iteratione, propter vividas, ac sibi ipsis implexas inhærentesque radices.

190. Exponit quales ibi vites proveniant. Hic, inquit, locus qui pinguis, qui uliginosus, qui herbosus, qui fertilis, qui Austro expositus, qui fert filicem, dabit tibi vites primum fortes, ac validas: deinde copioso vino fluentes, atque uvarum fertilissimas: tertio tantæ bonitatis, ut eo vino possis Diis libare in pateris et auro, id est, in aureis pateris. Obiter vero attingit ritus sacrorum: nam adest minister pinguis, ex Etruria, ut frequenter solebat, accitus, qui inflat tibias ex ebore: et redduntur Diis exta in lancibus pandis, id est, patulis. Particulam *olim* quæ præcessit, explica *quovis tempore.*

184. *Dulcique uligine læta.* Uligo proprie est naturalis humor terræ, ex ea nunquam recedens; bene autem *Dulci* addidit, ad discretionem *amaræ.* Uliginosus ergo ager est, semper humidus; nam *uvidus* dicitur, qui aliquando siccatur. *Serv.*

187. *Dispicere.* Dispicimus non tantum mente, quum recta rationis trutina rem ponderamus et animo diligenti perpendimus; sed etiam quum corporis lumina omnes in oras circumferimus: apud omnes fere codices legitur, *despicere* quod male *Meyen* interpretatur καταφρονεῖν: nam hic significat, *de summo aspicere in imum*: hoc non vidit. Cl. Heynius.

188. *Felicem limum.* Terrarum scilicet, id est, fertilem; nam fluminum limus est noxius. *Serv.* — *Quique editus austro.* Hoc loco de uno eodemque agro intelligit, qui sit pinguis, et lætus dulci uligine, herbosus et ubere fertilis in austrum expositus.

194. *Lancibus pandis.* Aut patulis, aut extorum pondere incurvatis. Lanx autem fuit vas sacrificiis destinatum. — *Fumantia exta* dicuntur, vel quia victimæ ventri

195. Exposuit terram, quæ apta olivetis, et vinetis; transit jam tertio loco ad explicandum, quæ sit pascuis commoda. Ergo, qui armenta curat, et vitulos, id est, armenta vitulorum; qui oves; qui capellas; eligat pascua, qualia habet Tarentum, qualia urbs Mantua; namque ibi sunt saltuosa, herbosa, rigua, rorida. Ad has enim quatuor conditiones reduco, quæ hic poeta: saltus clare ponit: herbas in illis *herboso flumine*, et, *non gramina desunt*, et, *saturi Tarenti*, id est, fecundi: aquas, quum nominat flumen Mantuanum, et fontes

recens erepta, vel quia cocta, ut Servius ait: vid. Varro de L. L. IV: Æn. XII, 214; Stat. Theb. IV, 466. *V. G.* — *Reddimus.* Sacerdotum verbo usus est. Reddi enim dicebantur *exta*, quum probata et elixa aræ superponebantur, auctore Servio. Tacitus, H. IV, 53: *Lustrata bove, et super cespitem redditis extis.* Tibullus, *reddere tura*; Ovidius, *reddere liba, vina*, quia debentur: ejusdem familiæ est *dare*.

195. *Sin armenta.* Quare de armentis dicit, quum tertius liber ad pecudes divisus sit? Solvitur sic: varietatis causa, ne uniformis narratio esset. Nunc et *armenta*: non de his dicit, sed de terra, quæ utilis sit armentis: ante enim posuit quæ nutriant, et hic quæ nutrit. *Philarg.*

196. *Urentis culta capellas.* Capræ exitiales sunt sationi, frugibus, fructibus. In prædiorum rusticorum locatione excipi solitum fuit; *colonus in agro suroulario capra natum ne pascat*: quæ verba sunt in Varrone R. R. I, 2: addit rationem; *harum enim dentes inimici sationis.* Servius hic; *omne enim, quod momorderint, urunt: unde est admorso signata in stirpe cicatrix.* Plin. VIII, 50: « Morsus ea- « rum (caprarum) arbori exitialis: « olivam lambendo quoque steri- « lem faciunt, eaque ex caussa Mi- « nervæ non immolantur. »

197. *Saturi Tarenti.* Aut fœcundi, aut quod est juxta oppidum Saturum. Tarentum enim et Saturum vicinæ sunt in extrema Italia civitates. Horatius, lib. I, Sat. VI, 59: *Me Saturiano vectari rura caballo.* Ita Æn. VII, 801: *Qua Saturæ jacet atra palus.* — *Longinqua Tarenti.* Agrum Tarenti a Virgilii patria remotum. — Nunc autem ibi ac eodem loco non nisi maculosæ oves sunt, lanam nullius pretii ferentes: ad oppidum Saturum, vel Saturejum nobilissimi erant equi, de quibus vide supra Horat. Hanc ob causam editores quidam vocem *Saturi* pro *Saturani* sumunt. *Stolberg* narrat ibi etiamnum bonos equos educari. *V. G.*

201. *Et quantum longis*, etc. Quod hic scribit Poeta pæne prodigiosum est; paria Varr. R. R. I, 7: « Cæsar Vopiscus Ædilitius, cau- « sam quum ageret apud Censores, « Campos Roseæ, Italiæ dixit esse « sumen in quibus relicta pertica « postridie non appareret propter « herbam. » Eadem Plin. scribit, V, 4. *Cerda.* — *Longis diebus. Æstivos* designat, ut Censorinus. De diebus longis in Italia Plin. II, 75. Noster hoc ab Homero, qui ἤματα μακρά.

liquidos : rorem in extremis illis, *exigua tantum gelidus ros nocte reponet.*

203. Extremo, et quarto loco explicat agrum, qui aptus frumentis. Ille videlicet, qui niger, qui pinguis, qui putris natura, id est, solutus, ac facilis (hoc enim ars ipsa arando imitatur) frumentis erit optimus. Videas certe in hunc agrum multos agricolas ire, multos ex illo decedere, et ex nullo plures. Quum vero ait plaustra, respicit genus illud vehiculorum, quæ gravidam et amplam segetem ex agris tarde domum deducunt. Pergit: ille etiam ager bonus erit frumentis, qui habuit prius sylvam, nemora, arbores, quam tamen sylvam arator devexit domum ad usus suos, iratus tamdiu ibi perstitisse, cum sui incommodo : evertit nemora, eruit arbores stirpitus, in quibus aves nidos habebant, quæ eversis domibus in cælum avolant : at vero statim loco sylvæ, nemorum, arborum inutilium apparet, enitescitque campi illius bonitas, ut primum arator vomerem inducit; qui sane campus hactenus rudis fuerat, quia nunquam aratus.

212. Non contentus dixisse indicia terræ aptæ ad frumenta, addit indicia illius, quæ inepta est, ut ita melius cultorem agrorum perducat ad notitiam. Pendet sententia ex superioribus, hunc in modum. Quæ nigra est, quæ pinguis, quæ putris, quæ habuit sylvam, optima est frumentis : nam glarea,

202 *Reponet.* Id est, restituet, instaurabit, resarciet; desumpta metaphora a debitore, qui quum debitum creditori persolvit, reponere dicitur.

205. *Æquore.* Id est, agro, sive arvo : æquor autem pro terra accipit Servius, Ge. I, 50 : *At prius ignotum ferro quam scindimus æquor.* — *Tardis.* Gravitatis pondere ex copia frumenti.

209. *Antiquasque domos.* Aut revera antiquas, aut caras : *domos* pro nidis.

211. *Rudis enituit.* Colum. II, 2 : *Expediendi rudis agri rationem.* Theophr. caus. III, 9; dixit φυτικῶν παιδείαν : plantarum eruditionem. Ager enim eruditus dicitur : est enim nihil aliud erudiri, quam amittere ruditatem. *Cerda.* — *Enituit.* Cl. Voss. ait, nullo modo hic de nitore pinguis glebæ agi, quamvis de lib. I, Georg. 153, *culta nitentia*, et de Cicerone, Tuscul. II, 5, *fruges enitent*, inter exempla adduxerit. Ego vero pace tanti viri dixerim, non solum vomeris lucidi repercussu refulgere campum, dum aratro finditur; quod passim et omnibus evenit; sed etiam *solum frumentis optimum* diu post abductum sulco vomerem enitere, quia pingue, et primum colitur.

212. *Jejuna glarea.* Sicca et sterilis terra. Gall. *le gravier.*

213. *Casias roremque.* Casia, et Rosmarinus, apibus aptæ sunt her-

tophus, creta probanda non sunt; non glarea, quia jejuna, id est, infecunda, præsertim si sit in clivo, ubi humor nequit consistere, et quæ præ tenuitate vix fert casiam apibus, vix rorem; non tophus, quia hic scaber est; non creta, quia hæc aptior potius ad chelydros: et qui rerum naturam sciunt, negant alios agros æque aptos esse ad proferendos cibos serpentibus, ad præbendas illis latebras: id est, affirmant terram, tophaceam, cretosam, aptissimam esse serpentibus.

217. Discriminavit hactenus terras, quæ seorsim aptæ essent olivetis, vinetis, pascuis, frumentis: nunc conjunctim ponit indicia quatuor terræ illius, quæ apta quoque ad ea quatuor: itaque ait; quæ exhalat nebulam, et fumos; quæ humorem

bæ. Vide Eclog. II, 49. — *Rorem* Servius, Philargyrius, et Pomponius de rore marino intelligunt, idque jure: nam quod *Bersmann* et *Taubmann* somniant, id verbum de rore accipiendum esse, perabsurdum est: quæritur enim quomodo ros macri soli esset indicium. Rosmarinus coronis frutex aptissimus, habet exiguo trunco magnam foliorum copiam, et in exilibus agris, locis putridis ac macris nascitur; folia oblonga et angusta grave olent: nullo modo erat opus voce *marinus;* nam dicitur nonnunquam *ros maris*, vel *ros terræ*, vel etiam simpliciter *ros*. Plinius quum libro XXIV, 59, 60, aliud Libanotidis genus rosmarinum vocaverit, copiosiusque descripserit, addit: *hæc quæ ex rore supra dicto nascitur. V. G.*

214. *Tophus scaber.* Lapis asperrimus, e terra et arena concretus; Gall. *le tuf*: unde et *scabies* dicitur ab asperitate, secundum Servium. — *Nigris chelydris.* Veneno noxiis. Georg. I; 129: *Ille malum virus serpentibus addidit atris.* Et est χέλυδρος ἀμφίβιον, unde et δρυΐνας appellatur, quod in cava quercu lateat. Lucan. *tractique via fumante chelydri;* nam qua serpunt, fumum emittunt. *Taubm.*

215. *Negant.* Nicander et Solinus, qui de his rebus scripserunt. *Serv.* — *Dulcem.* Ordo est, *æque dulcem*, hoc est, tam dulcem cibum. — Nocivis herbis præcipue gaudent serpentes: Æn. II, 471; *mala gramina:* prævaluit tamen Hebræorum falsa opinio, serpentes terra vesci. Geop. VII, 12... Apud Silium Italicum XVII, 449, inducitur serpens; *ferventi pastus arena. V. G.*

217. *Quæ tenuem exhalat nebulam.* Dicit agrum omnium rerum feracem. Quatuor enim genera agrorum imitatur, qui solus potest, quod, illi quatuor: sicut sequentia indicant. — *Fumosque volucris.* Quasi fumos: scilicet ex humore. *Serv.* — Alas dat fumo; ita Æn. VII: *Volat vapor ater ad auras.* Manil. lib. I: *rara vagantur Principia aurarum, volucrique simillima fumo.* Silius, lib. XIII: *fumoque volucri, Et nebulis similes animas.* Eurip. Troad. ad finem, κόνις—ἴσα καπνῷ πτέρυγι: *pulvis similis volanti fumo;* et paulo ante. πτέρυγι δὲ καπνός: *fumus cum ala*, aut, *fu-*

bibit, et remittit, quum vult, quæ uliginosa est proprio succo, quæ semper est vestita virenti gramine; quæ non inficit ferrum scabritie, et rubigine: hæc apta erit texendis vitibus cum ulmis, ferax olearum, facilis pascendo pecori, patientissima aratri ad frumentum. Talis est ager Capuanus; talis Campanus, qui vicinus est Vesevo monti; talis ille, qui proximus Clanio fluvio, qui fluvius iniquus est urbi Acerrarum; nam hanc sæpe suis inundationibus delet, vacuamque efficit.

226. Post præcedentem doctrinam commode sequitur, ut doceat, qua ratione quodque solum cognosci queat, ne erret

mus alatus. Lucret. lib. I: *volucrum flammarum.*

218. *Ex se ipsa remittit.* Pervenusta est locutio. *Ipsa* nominativus est, et sic passim optimi. Cæsar B. G. lib. I: *Sibi ipse mortem conscivit.* Terent. prol. Ad. vs. 4: *Indicio de se ipse erit.* Corn. Vit. IV, 4: *Neque prius vim adhibendam putaverunt, quam se ipse indicasset.* Emm.

219. *Suo gramine.* Naturali scilicet non coacto. *Serv.* — Faber legit *viridis*, quod ego amplexus sum, invitis omnibus librariis, qui decepti vocabulo *suo* et littera *s*, consueto more, vulgarem lectionem anteposuere. *V. G.* — Cl. Potier n° IV, pag. 312, asserit in codice 2 Regiæ Biblioth. legi τὸ *viridis*, ut hac peculiari dote distinguatur a cæteris hæc tellus.

220. *Nec scabie et salsa lædit rubigine ferrum.* Salsugo et amaror terræ inficit vomerem rubigine, quæ ferri quasi scabies est.

222. *Illa ferax oleo est.* Sic in antiquissimo Romanæ notæ et in Mediceo legitur, et hoc admisit Heynius; sed affirmare ausim nusquam apud sinceros poetas reperiri hunc loquendi modum; *terra ferax pane, vino*, vel *oleo*; τὸ *ferax* non regit *ablativum*; et poeta qui fruges describit, naturam aut Deum potius exprimit quam artis humanæ laborem et industriam: unde malim, *illa ferax oleæ*, ut ferunt quinque nostri Codices Regii, et vulg. Edit.

224. *Dives Capua.* Ideo *dives*, quia talem arat. *Serv.* — *Capua*, antiqua Campaniæ urbs, ubertate agri celeberrima. — Vesevus, ut Lucret. VI, 747; ut Martial. IV, 44; Vesvius, aut Vesuvius vitibus olim consitus, anno *post* Christ. nat. 79, tres urbes, Herculanum scilicet, Pompeios et Stabias diruit, Pliniumque absorpsit. Laboriæ a Plinio valde laudantur: has præterfluit a Nola decurrens Clanius, Clanis, vel Glanis (*Lagno*) qui Acerras frequenter vastat. Grammatici fabulantur Virgilium initio scripsisse *Nola* loco *ora*, et ob negatum sibi a Nolanis aquæductum, nomen hujus urbis delevisse. Hæc ne memoratu quidem digna, *nisi* inde pateret Virgilio in Phlegræis campis prædium fuisse. *V. G.*

227. *Supra morem.* Ordo est: si requiras rara sit, an supra morem densa; et *supra morem hic pro valde* est positum, hoc est supra modum, supra justum. *Philarg.* — Illi autem versus incomparabiles sunt: tantam habent sine ali-

agricola, si uni committat, quod est alterius. Primo docet, qui cognoscatur solum rarum, aut densum : quod plurimum interest, nam densum frumentis est aptius, rarum vinetis. Ratio vero hæc est : cape locum oculis, id est, elige : jube puteum altum defodi in eo loco solido (nam si cavus sit, et rimosus, nihil facies) repone iterum terram erutam, preme illam pedibus : si desit terra ad replendam cavitatem putei, clarum indicium raritatis; hanc igitur pascuis, et vinetis destina : si repleto puteo, adhuc terra supererit, ea procul dubio multum habet densitatis, et spissitudinis; tum exspecta, proba, experire glebas illas cunctantes, vel otiosas et inertes, vel cunctantes opperientesqæe diligentiam tuam, et, quia solum illud crassum est, juvenci sint validi. His indicat, terram densam aptam esse frumentis.

qua perissologia repetitionem. *S.*

228. *Altera.* Docet experiri, rarum an spissum solum sit, hoc modo : Facito in solida terra fossam; et inde repleto eadem terra, et calcato pedibus : si terra non æquabit superficiem fossæ, rara est : si superabit, spissa est. Rara est idonea pecori et vitibus : spissa est idonea tritico. Columella ait : « Sed si velis scrobibus effossis « egestam humum recondere, et « calcare, si abundaverit, certum « est esse pinguem; quum defuerit, « exilem; quum æquaverit fossam, « esse mediocrem, quamquam ista « quæ nunc retuli, non tam vera « possunt videri; si sit pulla terra, « melius proventus frugum anno- « tantur. » Ex aqua cælesti natura terræ cognoscitur : quæ imbrem statim sorbet, rara est; quæ difficulter bibit, spissa est. Cognoscitur etiam terra, ictu cuspidis : et quando herbas creat sponte validas, tunc terra est spissa; quando creat languidas arbores, si in raro solo tophus subest, aut arena, omne alimentum remanet in radicibus arborum. *Pomp. Sa.*

229. *Densa magis Cereri.* Bene addidit *magis* : nam hoc vult ostendere quid ubi melius nascitur; potest enim et frumentum in rara, et vinum in densa, sed non feliciter nasci. *Serv.*

230. *Capies.* Eliges; ut, Æneid. I, 396, *Aut capere, aut captas jam despectare videntur.* Serv.

233. *Si deerunt.* In Medic. et antiquis aliis *deerunt, et derunt*, facta synæresi ex duobus *ee* in unum. *Pier.* — *Vitibus almis.* Eo significato videntur vites dictæ almæ, quo Bacchus almus, Ceres alma, frumenta alma; nimirum ab alendo; nisi quis torqueat ad rem sacram, et dicatam Baccho. *Cerda.*

284. *Aptius uber erit.* Aptior ubertas et fertilitas. *Serv.* — *Sin in sua posse negabunt Ire loca.* Hic videtur quasi sensum et mentem terræ ipsi tribuere; *negant ire*, pro, *non possunt.*

236. *Glebas cunctantes.* Graves; cum mora et difficultate proscissas, et aratrum tardantes.

237. *Exspecta.* Ex allatis modo indiciis judica, et pro certo habe. — *Validis juvencis.* Quare jungen-

238. Ponit artem, qua deprehendatur tellus salsa, aut quovis alio modo amara, ut nullatenus agricola illi commendet fruges; nam omnino est infelix frugibus, ut quæ nullis unquam aratris mansuescat, immo quæ ingrate acceptas generosas vites, reddit deterrimas; poma item. Sed quæ demum ratio ad hoc specimen, et probationem? Præmitto cognitionem vocum. *Quali* sunt vasa viminea, hispanice *cestos:* cola, viminea item vasa, dicta a colando, subduntur ista prælis: sunt vero præla trabes, quibus uva, aut oliva premitur; pressa cadit in cola, e quibus colatur, liquaturque ad destinatum locum. Solent ista vascula reponi ad fumum, ut serventur innoxia. Ergo ager ille, qui malus et salsus est, conjiciatur in qualos aut cola, Gallice, *paniers, ou passoires*, et una cum illo aquæ fontanæ ac dulces; calcentur ista ad plenum, affatim, diu, presse; luctabitur aqua cum terra quærens exitum; gusta illam, ac tunc salsedinem deprehendes: nam, quum primum tentabis, ora torquebis tristia præ illo amaroris sensu.

di sunt tauri plures et juvenes et robusti; hos olim *glebarios* appellabant.

239. *Frugibus infelix.* Philo de mundi opificio, quidquid est ἀλμυρὸν, *salsum*, vocavit αἴτιον ἀγονίας, *causam infœcunditatis.* Cerda. — *Nec mansuescit arando.* Dum aratur; alibi de arboribus ita, *Exuerint silvestrem animum.* Serv.

241. *Specimen.* Dignam probationem. — *Spisso vimine.* Spissi viminis. — *Qualos, Colaque prælorum.* Qualos, per quos vinum defluit; qui et ipsi a colando dicti sunt. Præla autem trabes sunt, quibus uva jam calcata premitur. *Serv.* — *Qualos.* Quali vasa sunt e denso vimine contexta, quibus vinum percolatur acinis remanentibus, liquore defluente; quamvis hoc nomen canistris omnibus et calathis videtur convenire.

242. *Cola.* Vasa quibus vinum percolatur, vel saccus, sive cilicium vinarium. Quæ cola, ut et quali suspenduntur ad fumum, ut serventur innoxia; ut Georgic. I, 175, de instrumentis agriculturæ dictum: *Et suspensa focis exploret robora fumus.*

244. *Eluctabitur.* Cum mora egredietur, et sensim velut luctando viam sibi faciet, ac transibit.

247. *Amaror.* Amaritudo; et est sermo Lucretii: et vera lectio ipsa est: nam multi *Amaro* legunt; ut sit, *sensu amaro.* Serv. — *Sensu torquebit amaror.* Quamvis Servius et aliquot alii, veram hanc esse lectionem asserant, et a Lucretio sumptam, lib. IV, 225: *Cum tuimur misceri absinthia, tangit amaror*, accedantque codicum nonnullorum perveterum testimonia, multaque in hanc lectionem Aulus Gellius congesserit; displicere tamen non potest, quod in antiquissimo codice Romano *amaro* legitur. Sapor enim utrique verbo suppositum esse potest. In Longobardico etiam *amaro* scriptum erat, sed enim *r* litera altera manu et atramento apposita est; idem factum

248. Hactenus duo tantum docuit, spissitudinem, saporem; et utrumque longo excursu. Nunc breviter multa docet; videlicet, quæ sint indicia terræ pinguis, humidæ, gravis, levis, nigræ, frigidæ. Est pinguis, quæ jactata manibus, versata, ac trita, nunquam fatiscit, nunquam ita atteritur, ut abeat in arenulas, atque omnino pereat; sed resistit, hæretque ad digitos, et instar picis lentescit, dum habetur in manibus: est humida, quæ alit herbas majores solito; quæ lætior est, quam oporteat; proh me miserum agricolam, si terra ista nimium sit fertilis, si primas aristas ostentet prævalidas, nam ista indicia sunt telluris luxuriantis et evanidæ, non benigni proventus: est gravis, cui multum ponderis: est levis, cui parum: est coloris illius, quem oculi percipiunt, in quo nihil laboris ad indicium: est frigida, quæ res difficilior cognitu, in qua tantum nascuntur piceæ, interdum taxi, et nigræ hederæ.

Pars quinta. 259. Cæteris longius producitur, ut quæ in vitibus versatur, quæ continent præcipuum argumentum hujus libri. Incipit vero a satione, docetque uti parandi scrobes. Vis præcepti primi in hoc est posita; debere agricolam, qui plantaturus est vinetum, multo ante scrobes facere, ut solum illud excoquatur recipiendis surculis: quum vero vites plantandæ sint (ut postea docebit) verno tempore, necessarium erit, ut scrobes facti fuerint per totam præcedentem hyemem. Ideo ait glebas supinatas, id est, effossas inversasque ostendendas Aquiloni, id est, hyemi, et frigori præcedenti ver.

in Mediceo. *Pier.* — Hanc ultimam opinionem acriter et docte meo judicio defendit et probat *Cl. Potier*, n° IV, l. cit. pag. 313 et sqq.

251. *Justo Lætior.* Ultra modum, plus quam oportet; nam terra quæ vim nimiam in herbas aut frondes effusam consumit, non magnam virtutem habet ad fructus ferendos.

253. *Neu se prævalidam.* Ne se nimis feracem herbis surgentibus ostendat. Sed et hæc parum probata Plinio lib. XVII, 4. *Taubm.* — *Primis aristis.* Herbis surgentibus, quarum luxuries futuris frugibus nocet: quas culmi tenues ferre non possunt. *Serv.*

259. *His animadversis.* Id est, agri qualitate deprehensa. — *Terram multo ante memento Excoquere.* Hoc dicit, non esse eo anno ponendas vites, quo fodiuntur scrobes; sed post annum; ut calore, frigore, et labore rustici, possit terra putrefieri. *Serv.*

261. *Ante supinatas glebas.* Pro, inversas, ex penu Virgilii, caruit enim imitatione, nam nemo ante illum. Pulcre hoc etiam Ovid. dixit Fast. IV: *Tum primum soles eruta vidit humus.* De fossis, simili præ-

tibi sola clivosa tumulis, et supinati elatique colles; ordines vitium laxius, rarius, indulgentius erunt disponendi; quia ut plurimum colles laxiores sunt, et rariores, neque possunt sustinere confertas arbores.

277. Ab ordinibus, sive confertis in plano, sive laxis in colle, transit ad speciositatem et pulchritudinem eorumdem ordinum. Non secius, inquit, non minus quærenda est speciositas, efficiendumque uti viæ omnes (sunt istæ interstitia arborum) quadrent, id est, nihil inter se discrepent, secto veluti ad unguem limite.

279. Exornat rem illustri comparatione, ut poetam decet:

dunt, qui supra dixerit, v. 229, *densam* terram vineæ haud aptam esse. *V. G.*

276. *Sin, tumulis adclive solum.* Docet vites in quincuncem disponendas esse : dicuntur autem vites, vel arbores, in quincuncem digestæ, quum ita collocatæ sunt, ut literæ V inter se speciem præbeant : V enim litera, quinarium numerum significat, et Latini ipsam literam V quincuncem appellaverunt. Porro hæc figura duplicata literam X efficit, quæ Latinis numerum denarium significat, et vocatur a Latinis decussis; est igitur in quincuncem et decussim vites vel arbores redigere, et ordine eas collocare, ut similitudinem V vel X referant, ita ut in quamcumque partem spectaveris, semper rectæ sint lineæ, quæ ratio non modo utilis, verum etiam adspectu grata. *Cerutus.*

277. *Indulge ordinibus.* Internodia et ordines effice largiores. *Indulgere* proprie est contrarium τοῦ *urgere:* ea enim origo vocis. *Indulgere* pro *inurgere* dixerunt inserto *d;* ut *indolescere*, pro *inolescere:* unde est *indoles.* Deinde *l* pro *r* posito, quæ literæ in omnibus linguis facile permutabiles. *Urgere* est severi ἐργοδιώκτου, qui pensum morose exigit; *indulgere* est ejus, qui de summo jure aliquid remittit, ut fere parentes liberis. Persius Sat. V. *Hic campo indulget,* i. multus est in campo. Ubi hæc ita explicat eruditissimus Casaubonus. *Taubm.* — *In unguem.* Ad perfectionem : et est translatio a marmorariis, qui juncturas unguibus probant. Horatius, *ad unguem Factus homo.* Serv.

278. *Arboribus positis.* Vitibus ordinatis. — *Secto limite.* Ducto. Unde et sectæ philosophorum dicuntur, id est, ductus. *Serv.* — *Via.* Nominat Poeta vias *interstitia* et intervalla vinearum : et supra *indulge ordinibus :* in utroque, ut apparet ex sequenti comparatione, confugit ad militiam Romanam, in qua erant similiter viæ, et ordines. Liv. VIII; de Romana acie : *compressis ordinibus velut claudebant vias.* Et X : *panduntur inter ordines viæ.* — *Quadret.* Consentiat, congruat. Translatio a quadris lapidibus, qui sibi invicem bene conveniunt. *Serv.*

279. *Ut sæpe ingenti.* Hic locus haud dubie videtur ductus ab illo Lucret. lib. II : « Præterea magnæ « legiones, cum loca cursu Cam-

sint dimensa omnia paribus numeris, et intervallis viarum, ut solet esse legio militum ante conflictum, nondum perturbatis ordinibus, sed adhuc dubio Marte. In hac enim legione cohortes bellissime explicantur, stant agmina aperto campo, acies directæ, tellus omnis fluctuat, resplendet renidenti ac fulgenti ære mucronum, cuspidum, thoracum, galearum.

285. Reddit rationem hujus speciositatis, quæ non quærenda, ut animus tantum delectetur, hoc enim inane esset: sed tum, ut terra æque impertiat vires suas arboribus: tum, ut rami ipsi sese explicent, atque extendant in vacuum, in spatia illa aeris plena, quæ esse videntur inania, et vacua.

288. Discriminat inter vites, et arbores: vites debent conseri in scrobe exiguo, arbores in profundiore: ideo vites committuntur tantum, et creduntur terræ: arbores defiguntur altius, et penitus.

291. Meminit unius æsculi, quæ arbos altissime debet defigi, et poetice dilabitur ad ejus arboris descriptionem, quæ quidem absolvitur quatuor capitibus, altitudine, firmitate, ætate, amplitudine: est altissima, nam et ad cælum se attollit, et pari

« porum complent belli simulacra « cientes: Et circum volitant equi- « tes, mediosque repente Trans- « mittunt valido quatientes impe- « te campos: Fulgur ibi ad cælum « se tollit, totaque circum Ære re- « nidescit tellus, subterque virum « vi Excitus pedibus sonitus, cla- « moreque montes Icti rejectant « voces ad sidera mundi. » Vult arbores apte poni et seri, ad exemplum militiæ, in qua manipuli aut cohortes situ isto alternanti explicantur.

282. *Ære renidenti tellus.* Sic et Eurip. in Phœniss. κατάχαλκον ἅπαν πεδίον ἀστράπτει. Ut autem *fluctuat* dixit *ære*, sic et Eurip. in Iphig. in Taur. ῥεύματα στρατοῦ dixit: et in Rheso, Θρήκιος ῥέων στρατός· et Sophocl. de hostili agmine in Antigo. καὶ σφὰς ἐσιδὼν πολλῷ ῥεύματι προσνισσομένους χρυσοῦ καναχῆς ὑπερεπλίας. Et Æschyl. in ἑπτὰ; κῦμα στρατοῦ. *Renidere* enim proprium æris est, quum politum et levigatum fuerit: cujusmodi esse arma decorum est, quod a Vegetio præcipitur. Nam et Servius, *fluctuat*, splendet exponit, ut ab hac sententia non recedat. Quamvis id per metaphoram potius dictum videtur, eo quod instructæ acies fluctuum marinorum instar moveri videntur. *Renidere* vero, quamvis apud Catullum et Statium adblanditionem quandam significare videatur: apud Horatium tamen eo significatu dictum, quo hic Virgilius utitur, *Non ebur, neque aureum mea renidet in domo lacunar.*

288. *Forsitan et scrobibus quæ sint fastigia quæras* Ut etiam supra diximus, scrobes sunt masculini generis: nam Cicero in Œconomicis sic dicit: et Plautus ait, *Sexagenos scrobes.* Minor autem est Lucani et Gracchi auctoritas. Nam Lucanus

mensura demittit ad tartara : firmissima, ut quam non convellant hyemes, flabra ventorum, imbres, semperque immota maneat, quod non contingit aliis arboribus in tanta ventorum, atque imbrium pertinacia : vivacissima, ut quæ mortales omnes durando vincat, et non unum, sed multa videat secula : amplissima, nam huc illuc ramos diffundit, tendit brachia; interque tot ramorum, et brachiorum explicationes, in medio ipsa posita ingentem umbram efficit, et sustinet.

298. Vineta occasum ne respiciant : corylus inter vites ne seratur, quæ arbor nocua. Flagella, et plantæ, id est, surculi depangendi, ne sumantur ex superiori vitium, aut arborum parte; sed ex ima, et quæ propinqua est terræ; nam istæ, ex amore illo terræ feraciores sunt, quum mandantur scrobibus. Semina, id est, surculi, qui assumuntur, ut infodiantur scrobibus, secentur ferro acuto, non obtuso, aut retuso, ne lædantur : demum, ne inter vites serantur trunci sylvestres oleæ, id est, oleastri.

303. Satis duxit, percurrisse breviter superiora præcepta : in extremo illo (de oleastro non conserendo inter vites) excurrit fusius, adducens rationem, cur id non oporteat. Ratio sumitur ab incendio, quod graphice describit : nam ignis, qui

ait, *Exigua posuit scrobe.* Gracchus, *abunde fossa scrobis est* : quod exemplum in Terentiano est. Fastigium et summæ et imæ partis possumus dicere : sicut altum et mare et cælum dicimus. Hinc est, *Cælumque profundum* : quum et puteus sit profundus. *Serv.* — Fastigia, infimas altitudines dixit.

293. *Non flabra.* Hoc nomen tantum pluralem recipit numerum : ab eo vero quod est flamina, flamen possumus dicere : licet sit vitandum propter aliam significationem. Nam dicitur flamen Dialis, flamen Martialis. *Serv.*

296. Loco *tum*, scripsi tam, quod ad juncturam multo efficacius est, quam languidum istud *tum* : alio loco, I, 449, *tam* a librariis etiam in *tunc* perperam immutatum est. *V. G.*

299. *Neve inter vites corulum sere.* Radices enim ejus nocent vitibus. — *Neve flagella Summa pete.* Flagella dicuntur summæ arborum partes; ab eo quod ventorum crebros sustinent flatus. *Serv.*

301. *Tantus amor terræ.* Sic diligenter a rusticis ager est colendus. — *Ferro læde retuso. Retuso*, obtuso, quo vites quassantur potius, quam putantur. *Serv.* — Acuto ergo; nam plaga, quia celerior, ideo mitior, et levior. Colum. V, 10 : « Semina lege sine ulceribus, integro libro : ea bene, et celeriter comprehendent. »

302. *Neve oleæ silvestres insere truncos.* Non quod non prosit, sed ut etiam ipse dicit, propter casum incendii. *Serv.*

303. *Incautis pastoribus.* Negligentibus, circa alia occupatis. *S.*

forte ex incuria pastorum solet excidere, primum omnium apprehendit oleastri unius corticem, tegiturque ibi, ac vivit, ut in materia pingui, deinde elabitur serpitque in frondes altas, editque magnos crepitus: tertio ex frondibus ad ramos sequitur victrici flamma, regnatque in ipso cacumine: quarto occupata jam hunc in modum una arbore, transvolat ad totum nemus, illudque involvit ignibus; et ruit, id est, egerit, emittitque usque ad cælum atram nubem fumi, crassus ipse ex caligine picea.

310. Addit, hoc incendium dirius esse solere, si tunc incumbant sylvis flatus vehementissimi, et tempestas ventorum, et hæc a vertice, id est, superne: tunc enim ventus glomerabit, feretque incendia in omnem partem; atque adeo vastitatem vineto afferet: nam quamvis vinetum humilius sit oleis, tamen quum superne ventus incumbat, dissipabit incendium in partes etiam demissas, et corripientur vites. Hæc ergo est caussa, cur non debeant oleastri vitibus interseri.

312. Tantum dicit poeta, ubi hæc calamitas contigerit, fore, uti vites cæsæ tam gravi incommodo, nequeant iterum reverti, nequeant revirescere in pristinam similitudinem: itaque tantum terram illam possidebunt oleastri infelices.

315. Est jam poetæ sermo de tempore, quo vites conserendæ; aitque, non commovendam terram, quum ea est rigida ab spirante Borea, etiam si prudentissimus quisque hoc persuadeat. Addit rationem, quia tunc hyems claudit rura im-

308. *Et totum involvit flammis nemus.* Homer. Iliad. II, sic prior: πῦρ αἰδηλον ἐπιφλέγει· ἀσπετον ὕλην. Par incendium habes in Iliad. XX. — *Et ruit atram.* Egerit, emittit, et ruere facit: nam modo *ruit* agentis est. *Serv.*

310. *Præsertim si tempestas a vertice.* Negat Victorius Servii sententiam defendi posse, ut *a vertice*, ab Aquilone accipiamus: sed potius pro eo quod est a superiore cæli parte, vel stirpium. Certe, ut me Victorii partibus adjungam, *a vertice*, id simpliciter significare puto, quod Græcis κατ' ἄκρας.

311. *Incubuit.* Tempestas impotentior et atrocior infertur, quæ a vertice, id est, superne, ut Æn. I, 118; *ingens a vertice pontus*, dejecta est, et eleganter dicitur *incumbere*, quum desuper veniat.

315. *Nec tibi tam prudens quisquam.* Dicit quo tempore vites ponendæ sint; et probat tolerabiliter autumno, melius verno: nam dicturus, *Ver adeo frondi nemorum, ver utile silvis.* Serv.

317. *Rura gelu tunc claudit hiems.* Huic locutioni opponit postea, *Laxant arva sinus.* Cicer. opponit verba *comprimo, relaxo*; l. IV, de Rep. apud Nonn. « Quumque autumno « terras ad concipiendas fruges pa-

mani gelu; neque sinit, quum semen jacitur, ut radix concrescat, affigaturque terræ.

319. Quod ergo aptum tempus? duplex, ver, et Autumnus: et in utroque signat initium: hoc colligas ex notis, quas adhibet. Seratur, inquit, ea parte veris, quum ad nos ciconia adventat, inimica serpentibus: solet hæc autem adventare mense Martio, qui primus veris. In Autumno autem serendum, quum æstas præterit, et ante prima frigora, quæ contingunt toto Novembri, et parte Octobris; et quum sol est rapidus brevitate dierum incipientium post æquinoctium.

323. Occasione præceptorum adhibet amœnissimam descriptionem veris, cum qua non facile invenias, quam conferre possis. Explicabo aliter, quam omnes: solet poeta in rebus ejusmodi jacere quædam fundamenta, ad quæ mox recurrit orationem structurus. Ergo jacit fundamenta tria, primo ver esse utile nemoribus, sylvis, arboribus, totis arvis: deinde terras tumescere, imminente tunc gravitate, et partu: tertio, velle tunc quoque terram accipere in se semina, ut recuperet, unde restauret prolem, quam tunc prægnans, et tumens egerit e visceribus: nam quæ tumuit, et peperit, vult semen novum accipere.

325. Dixerat primo ver esse terris utile: explicat jam, quia Jupiter Pater omnipotens, qui idem cum æthere, solet verno tempore descendere ad gremium conjugis terræ, totus pluvia

« tefecerit, hieme ad conficiendas « compresserit, vere ad effunden- « das relaxarit. » Itaque tellus hieme dicetur *clausa, compressa;* vere *laxata, relaxata*, ex Musa unius, ex prosa alterius. *Cerda.*

318. *Concretam radicem.* Ante enim quasi gutta quædam est ex terra et humore procreata, quæ postea tenditur in radicem. *Serv.* — *Radicem affigere terræ.* Admodum poetice, et ex natura scrobium, quibus tanquam foraminibus surculi infodiuntur. Imitatur Ovidius Remed. I: *Ipse potes riguis plantam defigere in hortis.* Cerda.

320. *Candida venit avis.* Juvenalis, *Serpente ciconia pullos Nutrit.* Serv. — *Longis invisa colubris.* Isidorus XII, 7: *Serpentium hostes* nominat. Ideo petunt lacus et fluvios, ut Aristot. Hist. Animal. VIII, 3. Huc faciunt verba Plin. X, 23: « Honos iis serpentium exi- « tio tantus, ut in Thessalia capi- « tale fuerit occidisse, eademque « legibus pœna, quæ in homici- « dam. » Sic Stephanus de urbibus in voce Θετταλία: ἐν ταύτῃ οὐκ ἔξεστι τοὺς πελαργοὺς κτείνειν· τοὺς γὰρ τῆς χώρας ἐφεῖς ἀναιροῦσιν. *Emm.*

324. *Vere tument terræ.* Asper simpliciter accipit, ut *terræ* nominativus sit pluralis. Donatus vero *terræ* genitivum vult esse singularem: ut sit sensus mutata distinc-

resolutus, et madens; atque ita commistus cum magno conjugis corpore, ac sese insinuans fœtus omnes alit, et procreat: qua re nihil arvis utilius. Deinde est alia quoque magna utilitas; nam hoc tempore aves omnes, atque armenta sobolem reparant: illæ enim per nemora avia dulcissime modulantur pro amore et lascivia, qua se mutuo ambiunt; ista certis diebus petunt et repetunt coitionem, concitata amoris stimulis.

330. Dixerat membro altero, terras tumescere; hunc tumorem partus sequitur. Ergo, ager almus, qui aluerat in se fœtus, tunc parturit; arva laxant sinus ad teporem stantis Zephyri; est humor necessarius, quo omnia foras exeant. Gramina, quæ latuerant in visceribus terræ, erumpunt jam, et audent se credere novis solibus, quos nunquam viderant; pampinus neque

tione, *Vere tument silvæ*, scilicet a superioribus; *terræ et genitalia semina poscunt*: id est, tument silvæ, et genitalia semina terrarum requirunt. Sed melius Asperum sequimur: ut *Genitalia semina*, quæ nos jacimus, intelligamus; non quæ ex terra silvæ suscipiunt. *Genitalia* autem dicimus semina, quibus aliquid procreatur et gignitur. *Serv.* Vide vol. I, not. pag. 385 et seq.

327. *Magno commixtus corpore fœtus.* Pro corpori: ut, *Hæret pede pes.* Item alibi, *Et magno se corpore miscet.* Licet possimus accipere, commixtus terræ magno sub corpore; id est, ætherio. *Serv.*

328. *Avia tum resonant.* Non dubito istam sententiam sumtam e Lucr. lib. II: « Et variæ volucres, « nemora avia pervolitantes, Aera « per tenerum liquidis loca vocibus « opplent. » Iterum: « Et qua per« volgant nemora avia pervolitan« tes. » Inde ego in Virgilio subaudivi *nemora*. Est vero hæc nota maxima verni temporis.

329. *Certis diebus.* Statutis, legitimis, a natura arcana quadam ratione dispositis; ut tractat Lucretius, qui dicit rationem hanc ex ætherio calore descendere. *Serv.* — Equi inter æquinoctium vernum et solstitium coeunt: tauri ab aprili ad Julium usque. *V. G.*

330. *Parturit.* Eadem metaphora Plinius XVI, 25, de arboribus: *Pariunt vero quum florent.* Iterum: *vitis bis parturit.* — *Almus ager.* Ab eo, quod nos alat. — *Zephyri.* Favonii: alibi, *Et Zephyro putris se gleba resolvit.* Horatius, *Solvitur acris hiems, grata vice veris et Favoni.* Serv. — *Tepentibus auris arva sinus.* In Romano codice et in Mediceo, *trementibus* legitur: quod si admittas, dictum erit ab effectu. Magis vero placet *tepentibus* ob rationem physicam, quod calidi sit aperire, ut frigidi condensare. *P.*

331. *Laxant.* Exprimere voluit naturam lactis animalium: nam *laxant arva sinus* dicens, partum significat; deinde statim humorem superare, quo alat fetus, intulit. *Ph.*

333. *Nec metuit surgentes pampinus austros.* Varie. Nam supra ait, *Audent se germina tuto Credere.* Serv. — *Nec metuit.* Quomodo non metuit, si surgunt? solvitur: Neque surgentes metuit, sed ne sur-

Austros, neque imbres metuit, quos excitare solet Aquilo; imo securus jam extrudit foras gemmas omnes, ac se convestit frondibus. Roges, quid de tertio illo, quod positum, videlicet de terra concupiscente semina? Consultissime hoc reliquit, ne repetat, quæ dixerat: dixerat enim vernum tempus aptum esse sationibus.

336. Occasione veris descripti, conjectat primos natales mundi incidisse in tempus vernum: nam mundus quando nasci melius potuit, quam in amœnitate veris, atque indulgentia, quum Euri abstinebant ab hybernis flatibus? itaque

gant. Hoc dixit: non metuit, ne tempestate opprimatur. *Philarg.*

336. *Non alios prima.* Hoc secundum licentiam poeticam dixit: nam falsum est: constat enim post factum mundum ex qualitate cursus, solis tempora esse divisa. *Serv.* — Lucret. lib. VI: « At novitas « mundi nec frigora dura ciebat, « Nec nimios æstus, nec magnis « viribus auras. » — *Non alios prima, etc.* Gravis est dissertatio inter Theologos, quo tempore mundus fuerit conditus, vernone, an autumnali? Nam de hyeme, et æstate omnes silent. Autumnus patronos habet graves, sed ver gravissimos. Ratio, quæ petitur a maturitate fructuum, autumno favet: veri, quæ a commodissima anni temperie. In hanc opinionem conspirant fere omnes poetæ. — Virgilius, ut qui meliora edoctus esset, hanc Epicuri aliorumque doctrinam obiter tantum, et quasi transeundo memorat, utiturque voce *crediderim.* Mancinellus ait, mundum, secundum nostræ ecclesiæ doctrinam, XV kal. Mart. creatum fuisse; idque die Dominica: ita ut primum sabbatum IX ante kal. Mart. fuerit. *V. G.*

337. *Tenorem.* Ductum, hic continuationem temporis, per quod adolescebat mundus recenter formatus.

338. *Ver illud erat.* Absoluta elocutio: quicquid illud fuit, ver fuit. *Serv.* — His verbis consentiunt ista veterum Philosophorum apud Lactant. II, 12: « Non erant, « inquiunt, in principio mundi « hiems, et æstas: sed perpetua « temperies, et ver æquabile. »

339. *Hibernis flatibus.* Asperis, sævis. — *Parcebant.* Hic *parcebant* pro abstinebant. *Philarg.*

341. *Virumque Ferrea progenies.* Procreata ex lapidibus ad laborem. Alibi: *Unde homines nati durum genus.* — Lactantius libro II, lectionem agnoscit *terrea;* ubi dicit; Illud hoc loco præterire non possum, quod errantes quidam philosophi aiunt, homines, cæteraque animalia sine ullo artifice orta esse de terra, unde illud Virgilianum: *terrea progenies duris caput extulit arvis.* — *Terrea.* Quia creditum est primo homines e terra natos, a qua humo homines existimabant dictos. Sed melius est, *Ferrea:* ut respexerit illud Hesiod. Νῦν γὰρ δὴ γένος ἐστὶ σιδήρεον. — Nullo modo probanda est immutatio lectionis *terrea,* quam servant Lactantius et Philargyrius, pro *ferrea:* neque enim hic agitur de ferrea

tunc natæ pecudes, homines, feræ, sidera: nam pecudes lucem hausere; homines ferrei caput ex arvis extulère; feræ immissæ sunt sylvis; sidera sparsa sunt cælo.

343. Reddit rationem prudentissimæ conjecturæ: nam quum mundus primo ortu tenerrimus fuisset, quomodo posset perferre sive laborem crescendi, sive immanitatem frigoris, aut caloris? Ergo, oportuit esse tempus vernum, quod præ reliquis amœnissimum, temperantissimum, indulgentissimum.

346. Tradidit fuse hactenus præcepta de conserendis vitibus, docet nunc, quid faciendum optimo vinitori post illas satas. Ait ergo, post infossos surculos in scrobibus (nam hoc est *virgulta premere*) primum spargendum fimum, et hunc pinguem; ac surculos bene occultandos terra: deinde infodiendos prope depactum surculum, aut lapides bibulos et arenarios, aut conchas. Cujus rei ratio duplex: prima, ut aquæ

ætate; neque de Colchica virorum satione; neque, si verbo *ferrea* durum aliquid intelligas, de Deucalionis prole lapidibus sata. Lucretius, qui Virgilii antecessor fuit, V, 789, homines asseverat ex humo ortos: apud Ovidium, Met. I, 76, perinde ac in sacris Judæorum Libris, post animalia creatur PRIMUS HOMO. *V. G.*

342. *Immissæque feræ silvis.* Hunc ordinem propter Arcadas tenuit; qui se Proselenos esse asserunt, id est, ante lunam natos: quod et Cicero in Fundaniana commemorat: et Statius, qui ait: *Arcades astris lunaque priores.* Serv.

343. *Hunc laborem.* Vel frigoris, vel caloris: ita Servius, quem male sequitur Heynius; nam hic nulla caloris aut frigoris mentio: crediderim igitur *laborem* referri ad conatus et infirmitatem, qua *laborant* omnia quæ crescere incipiunt; et quæ tunc *mollia*, neque hyemis frigus, neque æstatis calorem *perferre* possent, nisi clementior cæli temperies per quietem et modum sensim educaret atque corroboraret.

346. *Quod superesi.* Non quod deest, sed quod sequitur. *Serv.* — Lucretiana transitio. *De fœcundandis seminibus vineaticis* stercore, lapide arenario, concha, et saxo, Colum. III, 15. — *Premes.* Demerges, infodies. — *Virgulta.* Plin. et Colum. *virgas* appellant, alii *plantaria;* Noster sæpe, et alii, *semina.* Omnes intelligunt *surculos*, qui terræ committuntur. *Cerda.*

347. *Sparge fimo.* De hoc præcepto Plin. loquens de vitibus XIV, 12: *terram fimo misceri necessarium.* Auctor Geop. lib. V, ait stercoranda τὰ ἄκρα ἀμπέλου: *summa vitium.* Adhibet rationem, quia stercus θάλπει, καὶ στερροῖ τὸ φυτόν: *fovet, firmatque plantam.* Paria ferme Theophrast. Caus. III, de stercore, μανοῖ τὴν γῆν καὶ διαθερμαίνει: *laxat terram fovetque.* Idem.

348. *Lapidem bibulum.* Qui arenarius vocatur. *Serv.* — *Lapidem* autem *bibulum*, hic non lapidis epithetum est, sed ex lapide bene-

interlabantur, et recreent radices vitis, quæ calidissimæ est naturæ : altera, ut spirent radices, subeunte tenui halitu, ac penetrante aere; atque inde fiet, ut sata animos attollant. Utrumque hoc nequeat fieri in tellure solida, et compressa : recte autem arenarius lapis, et concha admittent spiramina: addit demum, aliquos vinitores, solere capere id consilii, ut saxo radices vitium, aut testa urgeant; ut ab illis propulsent aut nimios imbres hyemis, aut æstatis vapores frequentissimos, qui contingunt æstuante canicula.

354. Superiori præcepto annectuntur plura alia, quæ exercenda post vites consitas. Est nunc in pastinatione, quæ positis surculis, (quos hic vocat *semina*) exercenda est et bidentibus, (sunt hi genus ligonum, quibus dens geminus, unus a fronte latus, et explicatus, alter a tergo in formam mucronis, uterque acutus) aut aratro. Bidentibus quidem, ut illis terra deducatur ad capita, id est, ad radices et stirpes, depacti surculi; ut vero innuat, terram frequenter fodiendam ligonibus,

ficium, id est, per quem terra humorem possit ad radices vitis admittere. *Philarg.* — *Aut squalentis infode conchas.* Conchæ autem propter admittenda spiramina infodiuntur. Lapis vero arenarius, et propter spiramina, et propter hauriendum humorem, si forte nimius fuerit. *Serv.*

353. *Hoc, ubi.* Hoc munimentum contra imbres et æstus. *Philarg.* — *Hiulca.* Nimis caloribus fissa. *Serv.* Tibul. *Canis arenti torreat arva siti :* idem : *Qualis et arentes cum findit Sirius agros.* Germ. — Canis. Sirius, vel Canicula, secundum Plinium, XV Kal. Augusti oritur; secundum vero Varronem et Columellam VII vel VI Kal. August. Tunc æstus maxime fervet, et morbi frequentissimi : vocantur Caniculares illi dies ab exeunte Julio usque ad diem 23 Augusti, per quod tempus Sol totum leonis signum perlustrat.

354. *Seminibus.* Iterum *seminibus* pro arboribus accipi oportet; et, *superest*, sequens est. *Philarg.* — *De repastinatione vineæ novellæ.* Cato apud Plin. XVII, 22 : « Capita vitium putata circumfodito, « arare incipite, ultro citroque sulcos perpetuos ducito, etc. *Taub.*

355. *Ad capita.* Positarum scilicet vitium. *Serv.* — *Capita.* Hic per *capita vitium* radices intelligunt Scal. in Fest. voce *tignum;* Turn. XIII, 27; Germanus in hunc locum; docti alii : vere. Nam in arboribus diversa est ratio ab homine, cui os, et caput in sublimi. Ideo Plato hominem dixit esse inversam arborem. — *Jactare bidentis.* Hoc ad comminuendas pertinet glebas : dicit autem circumfodiendum esse; et ad ipsa capita plantarum terram adducendam, et sæpius ideo, quia et vento et imbribus a capite terra descendit. *Serv.* — *Bidens,* instrumentum bifurcum fodiendæ terræ comparatum; aliter, *pastinum, ligo :* Gall. *un hoyau.*

ait *jactare* et *sæpius;* aratro vero, ut reliquum omne interstitium probe invertatur.

358. Sequitur præceptum de pedatione: quo docet surculo recens depacto aptandos calamos levigatos, et hastilia quædam ex virgis derasis, decorticatisque, aut sudes ex fraxino, et furcas bicornes. Ego hos duos versus explico per ἓν διὰ δυοῖν figuram usitatissimam Virgilio, ut dicat, aptándos levigatos calamos: sunt hi hastilia ex virgis decorticatis: sudes fraxineas in formam furcarum. Itaque duo tantum dicit, etiamsi videatur dicere res quatuor. Præcepti adhibiti ratio triplex est: prima, ut harum virgarum adminiculo enitantur, et altius consurgant: altera, ne ventis moveantur, immo ut eos contemnant: tertia, ut vineæ arbustivæ aspirent ad fastigium arborum, quibus maritantur, et ita sequantur disposita tabulata, eaque efforment.

362. Pedationem sequitur frondatio, alio nomine pampi-

357. *Flectere luctantes.* Cum quadam moderatione ducere; ne tenera adhuc virgulta concutiant. *S.*

358. *Leves calamos.* Nitidos: dicit autem et cannas et virgas radendas; ne ex corticibus rubigo, adversa vitibus, possit creari. *Serv.* — Poeta hic, ut vides, fulcra ista teneri surculi depacti, vocat *calamos, hastilia, sudes, furcas.* Theophrast. Hist. II, 7: πέντηλον nominat: *palum.* Auctor Geop. lib. V, χέρασας: *perticas;* et lib. IV, ῥάβδον λεπτήν: *tenuem virgam.* Colum. IV, 12: *adminiculum modicum,* atque *arundinem.* Et cap. 13, ait, nectendam novellam vineam *vinculo quam mollissimo. Calamos* cum Virgilio vocant Plinius, Columella, Auctor Geopon. *Cerda.*

361. *Sequi tabulata. Tabulata* sunt rami effusiores et in plana tendentes, non in altiora crescentes. *Serv.* — Quæ sint hæc elucet clare ex verbis Colum. V, 6: «Quum « deinde adolescere incipient, falce formandæ, et tabulata instituenda sunt: hoc enim nomine « usurpant agricolæ ramos, trunc cosque prominentes, eosque vel « propius ferro compescunt, vel « longius promittunt, ut vites laxius « diffundantur.» Ergo, rami laxius diffusi, tendentesque in plana efficiunt tabulatum, non qui crescunt in altitudinem. — Multi præsertim in Gallia citeriori palmites de arbore ad arborem producebant; iique vocati *traduces, rumpi;* unde etiam *arbusta rumpotina:* palmites medios in unum alligabant, interpositisque furcis uvarum sustinebant onus. *V. G.*

362. Putatio et Pampinatio. Novellæ viti nihil adimitur, verum infringenda sunt surculorum cacumina, quum juga exsuperant, relictis duobus, vel quatuor: qui labor est perficiendus, dum teneri sunt palmites, ut levi tractu digitorum decutiantur: nam si vehementius induruerint, falce sunt deputandi: quod in viridi et adhuc immatura stirpe noxium: hæc est apud Ro-

natio, quæ caute exercenda: nam quum surculus adolescit in prima ætate, et frondes novæ sunt ac teneræ, omnino illis parcendum est, nihilque amputandum. Quum vero jam annum explevèrit, ita ut dici palmes queat (est enim palmes surculus vitis anniculus, qui gemmas emittit) ac sese laxaverit per purum aerem habenis liberioribus; tunc quidem amputari frondes possunt, sed manibus tantum, non ferro, non falce. Verumtamen, quum jam vites in fastigium excreverint firmis stirpibus, hærentes ulmis, tunc tractandæ erunt ferro, et validissime compescenda luxuria.

371. Pergit ad sepes et munimina, quæ necessaria ad tenen-

manos *pampinatio*. Sed postquam vitis altior validiore trunco prædita est, tunc palmites inutiles recidendi, eaque vocatur *putatio*. Male interpretes confundunt putationem, pampinationem, et frondationem; quæ ultima tonsio est arborum; inprimis ulmorum, populorum, fraxinorum, ad pabula pecori colligenda et subministranda. *V. G.* Vide vol. I, not. 362; p. 391. — *Adolescit*. Crescit. Usus locutione Virgil. Colum. IV, 1; et V, 6; Plin. XVI, 34; VI, 32. Jam *juventus, pubertas, adolescentia*, de arboribus, crebra in hoc, et aliis scriptoribus. *Cerda*.

363. *Parcendum teneris*. De hoc præcepto Theophr. Caus. III, 9: « Plantam unamquamque, dum « fundit prima germina, sine mit- « tat radices, neque amputes su- « periora; ut fit in vitibus, in qui- « bus flagella non adimuntur: ubi « autem convaluerint, tunc ampu- « tanda, etc. » Cato eamdem sententiam exprimit. Verba ista Poetæ *parcendum teneris*, esse possunt forma adagii, cujus usus esse poterit, quum sermo fuerit de lenitate, qua tractandi in schola pueri. Ad hanc enim rem sententiam Virgilii transfert Quintil. II, 4. *Cerda*.

365. *Ipsa acies falcis nondum tentanda*. Si *acies*, sensus hic est, teneris adhuc vitibus, non est falcis *Acies* necessaria; si *Acie*, subaudimus virgulta: ut sit, Ipsa virgulta nondum falcis acie tentanda sunt. *Serv.*

367. *Stirpibus*. Solidioribus palmitibus, id est, truncis. Phylargyrius male de radicibus explicat. — *Stringe comas et brachia tonde*. *Stringere* pro *amputare* Serv. et Taubmannus, Ecl. IX, 61. *Coma* de frondibus dici arborum, fruticum, etc. tirobibus notum. Hor. IV, Od. III, 11; *et spissæ nemorum comæ*.

370. *Compesce*. Colum. loquens de vitibus: *compescenda quasi puerilia seminum est*. Flexu alio Colum. III, 21: *vitem coerceat*. Alio Juvenal. lib. III: *Nunc scrobibus, nunc falce premens vineta retunde*.

371. *Texendæ sepes etiam*. Alii hic distinguunt; alii separant; *texendæ, sepes etiam et pecus omne tenendum*. Serv. — Talis sepes appellatur *structilis*, quæ postponenda sepi vivæ, ut Columella XI, 3. Vide etiam Palladium I, 34. *Emm.* — *Pecus omne tenendum*. *Tenere*, pro arcere, et continere, ex imitatione Græcorum, qui ἔχειν, et κατέχειν.

dos, id est, arcendos greges a vitibus, præcipue dum illæ sunt teneræ, laborumque ignaræ.

373. Addit rationem, cur texendæ sepes, ut pecus arceatur: quia, etiamsi hyemes indignæ, sævæ, noceant novellis vitibus; et Sol, quum potens est, quum est æstivus; tamen majus nocumentum accipiunt ab uris, capreis, ovibus, juvencis: uri enim, et capreæ per ludum omnia pessumdant, et proterunt: oves, ac juvencæ depascuntur.

376. Dat explicatius quæ dixerat, nimirum quæ sunt hyemes illæ indignæ, quis potens Sol, quod illud ferarum nocumentum: quasi dicat, plus nocumenti pecus afferre vitibus, quam afferant hyemes indignæ, quam Sol potens; neque enim frigora, quum tempus pruina albicat (en indignitatem illam; id est magnitudinem frigoris), neque æstas, quum gravis admodum incumbit, arentibus præ ardore scopulis (en Solem potentem) tantum nocent, quantum greges illi: nam eorum morsus veneno est plenus, et cicatricem possis, aut ulcus nominare potius, quam morsum.

372. *Præcipue dum frons tenera.* Adverte loco hoc Servii corrupta esse verba; quæ ut per te incolumitati suæ restituere possis, quid super hoc nomine veteres tradiderint apponam. Carisius ait *frundes*, et *frundibus*, veteres per *u* dixisse: cujus exemplum ponit Ennii ex annalium libro septimo: *Rurescant Frundes* non *frondes:* mutatum vero *u* in *o* monet Plinius; et nominativum absque *n* litera in utroque loqui, *frus*, *fros*. Dum vitis novella est et laboris inexperta, atque, ut Colum. ait, *injuriæ impatiens.* — *Imprudensque laborum.* Græcorum more dixit ἀπείρητος πόνων.

373. *Indignas hiemes.* — Explicui *magnas*, *sævas*, secutus, quæ jam dixi Ecl. X; ad illud, *indigno quum Gallus amore periret.* Neque aliter is locus expediri potest commode, quam de magnitudine hiemis. — *Salemque potentem.* Quid si sumpsit ex Aristotele? Hic enim ad explicandum Solem vigentem, ita ait Meteor. II, 8: ὁ γὰρ ἥλιος ὅταν μάλιστα κρατῇ. *Cerda.*

374. *Silvestres uri.* Id est, boves agrestes, qui in Pirenæo monte nascuntur inter Gallias et Hispanias posito. Sunt autem, exceptis elephantis, majores animalibus cæteris: dicti *Uri*, ἀπὸ τῶν ὀρῶν, id est, a montibus. — *Capreæque sequaces.* Id est, persecutrices; seu quod vites persequantur: ut, *Maleæque sequacibus undis.* Serv.

379. *Admorso.* Participium est, ac si diceret, abroso. *Serv.* — *Admorso.* Hac verbi forma usus Plautus Pseud. Propert. lib. III, 11; Sidon. Epist. VII, 6; Capitolinus in Antonino. Seneca Epist. XXVII, Symmachus Epist. I, 25. Conjunxit hoc in extremum Juretus. *Cerda.* — *Stirps* apud Virgilium, si de plantis agatur, masculini generis; si de hominibus, feminini. *V. G.* — Donatus hanc opinionem rejicit.

380. Occasione hujus pulchre dilabitur ad sacra Bacchi, quæ Græcorum et Latinorum ritu fieri consueverunt. Itaque ait: si quæras originem capri immolati Baccho, nulla est alia, quam ipsum arrosisse vites hujus Dei: ideo aris omnibus cæditur in sacris Liberalibus Bacchi: ideo ludi veteres theatrales eunt in proscænia, ut ibi exhibeantur: ideo Athenienses, qui dicti Theseidæ a Theseo, lusere in pratis ascoliasmum inter læta convivia destinatis præmiis per pagos et compita, his qui agilius saliissent per utres unctos.

380. *Non aliam ob culpam.* Victimæ numinibus, aut per similitudinem, aut per contrarietatem immolantur. Per similitudinem, ut nigrum pecus, Plutoni. Per contrarietatem, ut porca, quæ obest frugibus, Cereri: et caper, qui obest vitibus, Libero; item capra Æsculapio, qui est deus salutis: quum capra nunquam sine febri sit. *Serv.* — *Caper.* Proprie castratus hircus; sed hic pro hirco ponitur, qui ἀνὴρ αἰγῶν Theocrito, ut et nostro Ecl. VII: *Vir gregis ipse caper.* Ge. III: *ducem et pecori dixere maritum;* inf. 395; proprie *stabit sacer hircus ad aras.* Taubm.

381. *Veteres ineunt proscænia ludi.* Primi ludi theatrales ex Liberalibus nati sunt: ideo ait, *veteres ludi.* Serv. — *Proscænia* sunt pulpita ante scenam, in quibus ludicra exercentur.

382. *Præmia.* Hircum tragicis Poetis præmio fuisse, docet J. Cæs. Scalig. Poet. I, 44; et J. Cæs. Buleng. I, 50; Horat. A. P.: *Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.* Ita *taurus* dabatur Epicis; Lyricis *juvenca*: Bucolici vel *vini* vel *lactis* libatione erant contenti. *Taub.* — *Ingeniis.* Hanc lectionem defendit Heynius, quum fere universi codices et edit. princeps, ferant *ingentes pagos;* quibus libenter adhæreo; namque in illis veteribus ludis nullus fuit *ingenio* locus; aut saltem modicus: nam pastores et rustici, variis pigmentis ora deformati; sæpe vino inflati usque ad fæcem epotato, qua faciem suam perungebant; sales inconditos et extemporales de plaustris scurriliter tunc recitabant. Hi nondum tragicis carminibus, sed agilitate et solertia saltandi inter se contendebant; victorque referebat hireum. — Pagi dicuntur *ingentes*, vel quia *compitis* opponuntur; vel quia inposterum nobiles et opulenti; vel quia ex illis in urbem collectis Athenas condidit Theseus.

383. *Thesidæ posuere.* Ideo quia primi Athenienses Liberalia statuerunt. *Thesidæ* dicti a rege *Theseo.* Vide Plutarch. in Theseo.

384. *Mollibus in pratis unctos saluere per utres. Unctos* vel oleo vel lixivia. *In pratis* autem ideo, ne læderentur cadentes. *Utres* vero fiebant ad insultationem etiam mortuorum caprorum, ne quid ex his esset, quod non sentiret injuriam. — *Saluere.* Secundum artem locutus est. Nam *Salio salui* dicebant: unde et Cicero ait, in Miloniana: *Cum hic de rheda rejecta penula desiluisset.* Sic etiam ab eo quod est *Cano*, non *cecini*, sed *canui* dicebant; unde Sallustius:

385. A Græcis transit ad Latinos, apud quos coloni, qui venere e Troia, ludunt in honorem Bacchi versibus, et cachinnis; sed versibus quidem, male expolitis, ut ævum illud ferebat. Deinde ex arboribus cavatis simulacra sibi efformant, quæ ori horrenda nimis prætendunt, atque ita non agniti liberius debacchantur. Tertio suspendunt in honorem ejusdem Dei oscilla ex arboribus; sunt hæc suspendicula quædam facta aut ex lignis, aut ex funibus, quibus jactabantur agitabanturque pendentes in aere.

390. Rejicit ubertatem fructuum in servatam religionem. Hinc post peracta Bacchi sacra, vinea pubescit, incipitque gemmascere: valles omnes saltusque implentur uvis: demum loca omnia fertilissima sunt, per quæ Deus ipse caput circumtulit pulchrum et decorum. Extrema hæc indicant festum ambarvale, de quo locutus G. I, 345.

393. Concludit necessariam esse religionem ad proventum

Cornua occanuerunt. Serv. — *Unctos saluere per utres.* Servianis temporibus, præteritum a *Salio salui* pronuntiabant. In codicibus tamen antiquis manu scriptis *saliere* legitur: ejusmodique præteriti forma agnoscitur a Prisciano hoc eodem citato versu: eum vero saliendi morem videas apud Hyginum de signis: ubi de Arctophylace loquitur. *Pier.* — Statuebantur itaque utres hircini, in prato instar theatri efformato, inflati atque uncti oleo: saltabant per hos rustici unico tantum pede: nam alterum sublevatum habebant, libratumque in aere: qui cadebant (quod signato verbo dicebatur cernuare) risu ab omnibus et cachinno ludibunde accipiebantur: ita omnia plausu et hilaritate in honorem Bacchi personabant.

385. *Nec non Ausonii, Troja gens.* Hoc est, etiam Romani hæc sacra celebrant et canunt; nam hoc est: *Versibus incomptis ludunt:* id est, carminibus Saturnio metro compositis; quod ad rhythmum solum vulgares componere consueverunt. Horatius II, ep. 1, 147: *Libertasque recurrentes accepta per annos Lusit amabiliter.* Serv.

387. *Oraque corticibus sumunt.* Quia necesse erat pro ratione sacrorum aliqua ludicra et turpia fieri, quibus posset populo risus moveri: quia ea exercebant propter verecundiæ remedium, hoc adhibuerunt, ne agnoscerentur, ut personas, factas de arborum corticibus, sumerent. *Serv.*

389. *Oscilla. Oscilla* dicta, sive quoniam capita et ora hostiarum in summis perticis figebantur, sive quia hunc lusum Osci dicuntur frequenter exercuisse, et per Italiam sparsisse. *Philarg.* — Ritus erat imagines *ex alta pinu* suspendere, certaque fertilitatis indicia moribus nostris repugnantia; hæc (φαλλοὶ) ventis agitata, omnes vineæ stirpes fœcundare dicebantur. *V. G.*

393. *Ergo rite suum Baccho dice-*

rei rusticæ. Ergo, oportet Baccho canere honorem et sacra sua, idque carminibus patrio jam more constitutis; oportet ferre lances et liba (id est, liba in lancibus, est enim ἐν δὰ ὄντιν): oportet hircus, qui illi est sacer, ad aram ducatur, ut ibi stet immolandus: oportet torreantur exta hirci in verubus colurnis. Epithetum signat materiam; est enim colurnum, quod fit vel ex corylo juxta Servium; vel ex corno juxta Festum.

397. Redit in viam a longa sacrorum digressione, et recurrit ad præcepta vinearum: docuit supra, uti pastinanda vineta; hic jam docet, uti repastinanda ter et quater: instrumenta erunt aratrum, et ligones: aratrum signat per illa, *solum scindendum*: ligones clare ponit bidentium nomine: illud, *cui nunquam exhausti satis est*, valet, cui operi vinearum nihil laboris, exantlati, toleratique satis est unquam: *æternum* est, perpetuo.

mus honorem. Juste igitur Liberi celebrabimus sacra. *Serv.* — *Rite*. Hæc vox primum hic occurrit, quam explicabimus ex doctrina Scal. in Conject. ut hinc ad locos alios Virgilii petatur. Est *rite*, idem quod caste, et Græce ἁγνῶς. Quod nobis *ritus*, veteribus dicebatur *castum*, *casti*: aut, *castus*, *castus* per quartam. *Ritus* itaque et *castum*, idem: ac perinde *rite*, et *caste*, idem quoque. *Cerda*.

394. *Carminibus patriis*. Id est, ut Servius, Romana lingua: pleraque enim sacra pro gentium qualitate, pleraque secundum suum ritum coluntur. Nam hymni Libero, apud Græcos Græca, apud Latinos Latina voce dicuntur: hymni vero Matris Deum ubique propriam, id est, Græcam linguam, requirunt: eam Servii sententiam, Ciceronis confirmante testimonio, pro Cornel. Balb. Ut autem hic Maro *carminibus patriis*, Plato μέλος πάτριον, et νόμον πάτριον in legib. Docet vero et Halicarnassæus ἀρχαιολ. lib. B. Romanos patrii ritus retinentissimos fuisse, nec peregrinos deos admisisse, aut certe suo ritu coluisse.

395. *Stabit sacer*. Placebit: tunc enim est aptum sacrificium, quum dedicatum animal victima uti patiens invenitur: unde et alibi sic ait: *Et statuam ante aras aurata fronte juvencum*: id est, placere faciam. Contra Lucanus: *Discussa fugit ab ara Taurus*. Serv. — *Ductus stabit*. Utrumque verbum solemne, et Pontificale est. Nam victima *ducebatur* non trahebatur. Statius Th. IV: *gregum pulcherrima cervix ducitur*. Cic. de Divinat. I: *hostias ducerent*. — *Sacer*. Id est, exsecrabilis; ut, *Auri sacra fames*: atque ita Serv. et Pomponius. V. N. prologo Pœnuli Plaut. Alii, *sacer*, id est, devotus Deo.

396. *In verubus torrebimus exta colurnis*. Quia sicut etiam caper est inimicus vitibus, ita eis *nocet et* corylus: unde et ait supra: *Neve inter vites corylum sere*. Serv. — In codice Mediceo *torquebimus*: sed *torrebimus* servare malui.

400. Hic pariter præcipit, quæ præceperat de pampinatione, videlicet nemus omne vinearum levandum fronde. Nam ita acti labores in orbem redeunt; hoc enim rerum usus postulat, hoc necessitas : nam et annus ipse iterum per vestigia sua in seipsum volvitur et revolvitur sæpius. Vinitorem vocat *agricolam.*

403. A repetitione pastinationis et pampinationis transit ad nova duo præcepta, videlicet ad ablaqueationem vinearum, et putationem; docetque primum ista duo exercenda post transactum totum autumnum, verbis istis : *postquam vinea deposuit seras et ultimas frondes, postquam Aquilo decussit honorem illum frondium.* Hæc enim signa sunt exacti autumni : ergo illo transacto, jam tum, id est, statim intendat curam in annum sequentem, ac persequatur vitem attondens falce, en ablaqueationem : fingat illam ad arbitrium suum putando supervacanea, en putationem. Illa *curvus dens Saturni* continent periphrasin falcis.

401. *Labor actus in orbem.* Id est, in anni circulum labor se invicem sequitur rusticorum ; continuus est, et quasi circularis vinitorum labor : unde et πόνος ἐγκύκλιος. In circulo enim vel in orbe, nullus est terminus.

403. *Seras frondis.* Sero cadentes. Tarde enim spoliantur vites frondibus. — *Olim.* Quandoque. Significat autem finale tempus autumni. *Serv.*

404. *Frigidus et silvis aquilo decussit honorem.* Varronis hic versus est. *Serv.* — *Honorem.* Ita frondes appellat, pulchra metaphora; nam istæ decus arborum. Pind. Olymp. III; ait, Theronem circumposuisse comis κόσμον ἐλαίας, *decus olivæ.*

405. *Acer.* Non quilibet; sed acer et diligens. — *Curas venientem extendit in annum.* Quasi in tempore alieno præmeditatur futurum laborem. *Serv.*

406. *Et curvo Saturni dente.* Id est, falce vinitoria, cujus figuram depictam tradit Colum. IV, 25. Quo vero pacto terra falcem Saturno filio suggesserit, docet Apollod. in principio lib. I, Bibl. Sic Juven. XIII, 39 : « Sumeret agres- « tem posito diademate falcem Sa- « turnus fugiens. » Inde Saturnus Gr. χάλκεος δρεπανηφόρος, et Latine *Falcifer.*

407. *Persequitur vitem attondens.* Est vites *ablaqueare*, ne hoc ignoret juvenis, quasi *ablacunare* : circum enim radices terra effoditur, excavaturque in formam lacunulæ, ac tum vinitor præcidit, attondetque ferro radiculas illas, quæ natant pene in superficie : quod nisi faciat, inferiores deficient, neque convalescent. Quæ dixi, colligas aperte ex Colum. IV, 8. De numine illo, quod veteribus dictum *Puta*, ut quod putationibus præesset, lege Arnobium lib. IV. — *Fingitque putando.* Ita Æneid. IX : *fingitque premendo.* Varius de moderante equum : *Insultare docet cam-*

408. Confercit hic aggeratque præcepta plurima, quæ omnia reduci ad unum possunt, nimirum ad diligentiam, quam requirit in vinitore. Diligens vinitor humum primus omnium confodiat: primus cremet sarmenta vitium recisa, et domum advecta: primus reportet vallos, id est, pedamenta, quæ necessaria sustinendis vitibus; et reportet ac seponat, quia quæ huic usui inservierunt, reservari in similem possunt; vult enim poeta agricolam suum esse parcum. Qui in prædictis primus fuerit, in una re tantum sit tardus et cessator, videlicet in metenda, id est, vindemianda vite.

410. Signat tempus, quo facienda pampinatio, quo runcatio. Bis excrescunt pampini, a quibus umbra ingruit vitibus: bis herbæ senticetaque exuberant, quæ obducunt segetem, id est, vites. Hoc tantum ait poeta, sed hoc ipso innuit bis pampinandum, bis runcandum. Pampinatio ad folia vitium pertinet, runcatio ad herbas. Intelligit autem ver et autumnum, quibus anni temporibus quum folia vitium et herbæ excrescant, illa pampinanda sunt, istæ runcandæ, id est, eruendæ. Annecte vero ista cum superioribus, est enim locus iste poetæ intactus ab interpretibus. Ergo sententia est. Sit vinitor in reliquis diligens, in una tantum vindemia cessator et postremus: quare? ut uvæ legantur coctæ et maturæ, dilata sit vindemia. Nam propter hanc rem fit pampinatio, nimirum ut coquantur uvæ, facta enim pampinatione uvæ admittunt Solem, quæ coquuntur: runcatio quoque etiam si propter res alias fiat, etiam exercetur propter maturitatem uvarum: nam crescentes herbæ Solem adimunt vitibus: hæc profecto videtur esse mens poetæ, non alia. Ideo absolvi cum admonitiuncula hac: quia uterque labor pampinationis, et runcationis est

pis, fingitque morando. Silius lib. VII: *Atque his præformat dictis, fingitque movendo.* Plaut. Capt. *fingit, arctatque.* Cerda.

408. *Primus humum fodito.* Hoc est, ad laborem te primum esse convenit, ultimum ad fructus legendos. — *Primus.* Cato, cap. 5: « Opera omnia mature conficias « face. Non res rustica sic est: si « unam rem sero feceris, omnia « opera sero facies. » *Taubm.*

409. *Et vallos primus sub tecta referto.* Vitium sustentacula, quæ in nonnullis locis, in tecta portantur; ne imbribus depereant cito. *Serv.*

410. *Metito.* Vindemiato: et per hoc dicit maturam uvam debere colligi. *Serv.* — *Metere* tam ad vites, quam ad segetes refertur: ut apud Græcos ἀμᾶν et ἀμᾶσθαι non modo θερίζειν, sed et omnes fructus respicit: ut et Hesiodus καρπὸν ἀμᾶσθαι dixit indefinite.

412. *Durus uterque labor.* Et vel-

difficilis, velim ut exiguum agrum colas, cui sufficere vires tuæ possint; etiamsi laudes aliorum ingentes agros.

413. Pergit in indicanda diligentia. Concide vimina ex rusco, arundines ex fluviis, virgas ex salicibus, ut habeas domi sustentacula ad vites novellas, ligamenta ad fortiores.

416. Absolvit longissimum tractatum vinearum indicans difficultatem hujus negotii. Vis scire quam sit difficilis uvarum tractatio, audi. Habebis jam vites palis vinctas, et pedamentis illigatas: habebis jam putatas, reposita falce ab labore: pervenies putando, ablaqueando, runcando ad extremos antes vitium, id est, ordines, languidus quidem præ labore ac defessus, canesque jam victoriam defunctus magnis laboribus: et tamen iterum post tot molimina nova seges laborum incumbit: nam semper tibi tellus sollicitanda, semper pulvis movendus: quin, quum jam maturæ fuerint uvæ, et vindemia prope in foribus, tamen tunc adhuc metuenda est intemperies, metuendus aer, qui omnia in nihilum rediget. Expende lector ista extrema, quum aerem velit intelligi et intemperiem, Jovem nominat, qui pro aere sumitur, ut verba formet ad majorem rusticorum terrorem, et ita exaggeret difficultatem. Quasi dicat: vide vinitor quis tuus labor, confligendum tibi est cum ipso Jove. Illa, *sollicitanda tamen tellus, pulvisque movendus,* habent periphrasin multorum laborum, qui tole-

lendarum herbarum et frondium secandarum. *Serv.*

413. *Rusci. Ruscum* virgultum est, unde vites ligantur: et commemorat labores, qui licet circa alia, tamen pro vitibus exercentur. *Serv.*

417. *Jam canit extremos effœtus*, etc. Melius est *Effœtus* legere, quam *effœtos*: ut quidam legunt. Et *antes* alii extremos vinearum ordines accipiunt: alii macerias quibus vineta clauduntur: quæ maceriæ fiunt de assis, id est, siccis lapidibus. Hoc autem dicit, Jam cantat rusticus labore finito; tamen deesse non potest quod exercere circa culturam vitium debeat. *Serv.* — Carminis hujus lectio in antiquis codicibus varia est. Heynius prætulit *extremos effetus vinitor;* verum omnes antiquissimi codices ferunt *effectos* vel *effectus;* et hoc vocabulum ante *extremus* locant; unde concludam hanc esse genuinam lectionem, *canit effectos extremus vinitor antes;* et sic explicandam censeo; vinitor, qui pervenit ad ultimum ordinem vineæ et laborum finem, cantat lœtus *antes* quos ex omni parte *effecit,* absolvit. — *Antes.* Cato de re militari: « Pedites quatuor agminibus, « equites duobus antibus ducas »: sunt autem extremæ quadrarum partes. *Philarg.*

418. *Pulvisque movendus.* Genus ipsum culturæ pulveratio vocatur;

rantur in negotio vinearum, videlicet fossionis, aratio runcationis, ablaqueationis, etc.

Pars sexta. 420. Aggreditur sextam partem libri hujus qua includit culturam olearum, et reliquarum arborum de omnibus breviter; atque ita, ut excursum potius, qu tractationem possis appellare. Inchoat vero a præterit colendarum vinearum difficultate, cui opponit facilit olearum; quibus ait, expeditam esse culturam, ut quæ egeant putatione falcis, non aratione rastrorum; quibu satis sit tantum hæsisse radice in terris, frondibus cælu tigisse.

423. Reddit rationem, cur tam facilis olearum cultu nam tellus ipsa quocunque aratro, quocunque vomere i tatur (adeo non necessarii rastri) præbet humorem, qui s ad oleas. Illud *gravidæ fruges* sunt ipsissimæ oleæ, male c aliqui per *fruges* capiunt frumenta: male etiam per ro *satis* accipiunt sata, quum hic sit adverbium. Redeo; qu obrem, o agricola, hoc ipso, quod facilis sit *cultura* olear debes eas nutrire; quum præsertim et pingues sint, et f feræ. Roges, quæ illa superior ratio; tellus, quum ara humorem præbet, quia videlicet, inversa aratro tellure periores glebæ, quæ sunt madidæ, obruuntur, et ille hu satis ad oleas.

426. Relicta olea transit secundo loco ad arbores pomif

quo imminutæ glebæ vitibus applicantur. *Serv.*

419. *Maturis metuendus Jupiter uvis.* Aer, more suo, cujus varietas plerumque laborem decipit rusticorum: et tacite videtur admonere, quod in primo aperte dixit, sacrificiis tempestates esse pellendas. *Serv.*

420. *Non ulla.* Alii legunt, auctore Servio, *nonnulla*, id est, aliqua; neque, ut in vitibus, nimia: nam et Col. V, 7; affirmat, omnis arboris cultum, præ vineæ, simpliciorem esse, et minoris impensæ. *Taubm.*

421. *Procurvam expectant falcem.* Ut putentur; quod tamen ad curam refertur anniversariam: nam necesse est, licet tard vam putari. — *Rastrosque* Ad fodiendum scilicet. Quae trahitur rastrum per agros, o spurcitiam secum colligere tur. Negligentiam autem fe oleæ, quum jam cœperunt valentiores: nam adhuc par nimium curam requirunt. *Serv*

422. *Aurasque tulerunt. Fer ras*, proprie est, assuescere a varietati; quæ obest rebus tem nimium. *Serv.*

425. *Hoc.* Hac re. — *Nutr* pro *nutri*: nam pro activi ti rativo præsenti passivum futu posuit. *Serv.*

426. *Poma.* Hic fructus desig omnes, ut supra vers. 59 et

le quibus etiam ait, nulla pæne mortalium cura indigere, ut ›rimum illæ egerunt radices firmas.

429. Tertio gradu loquitur de arboribus sylvestribus, quæ :tiam suo quæque genere feraces sunt, et fœtu gravidæ, etiam ine cultura. Tales sunt arbores, quæ præbent nidos avibus ex nota illa *sanguineis baccis,* videtur innuere arbutum, aut imilem quampiam arborem) : tales cytisi, qui plurimi in gro pronascuntur, et tondentur a pecore : tales piceæ, quæ lenæ tædarum, unde faces nocturnæ pascuntur, id est, accenluntur, quæ ex se fundunt lumen in usus agricolarum. Hic uoque desinit in admonitiunculam, qua reprehendit morales, qui, allucente tanto arborum commodo, hanc artem negligunt.

434. Hæret superiori narrationi, immo illam renovat interposita interrogatione, excurritque per varia sylvestrium arborum genera, interdum etiam fruticum, narrans utilitates, quæ proveniunt ex singulis. Ergo ait : quid insistam in narrandis commodis majorum arborum, quum salices, et genistæ, etiam si humiles, afferant quatuor magnas utilitates : nam præbent frondem pecori ad pastum, umbram pastoribus ad

sumit pro ipsis arboribus. Arbores frugiferæ, simul ac e seminario in locum suum positæ sunt, vigent propriis viribus, et nulla cura hominum, sponte sua, in altum crescunt. *V. G.*

429. *Fœtu nemus omne gravescit. Fœtu*, id est, utilitate : nam omnis utilitas fœtus est : illuc autem tendit laus ista silvarum, ut et probet non mirum esse, si et poma et olivæ sine ulla cultura præbeantur; et crescat vitium vituperatio, circa quas tantus impenditur labor. *Serv.* — *Gravescit.* A prægnantibus sumta metaphora. Ita supra, *gravidas fruges.* Prudent. lib. II, contra Symmach. *gravidis se vestiet æquor aristis.* Theophrast. Caus. I, 6; de arboribus, κύοντα : *fœtu gravidis.* Iterum, τῇ ὠγυίου, *partu.* Ita illud : *parturit arbos.*

431. *Tondentur Cytisi.* Virgulta, a Cytho insula, ubi abundant, nominata. *Serv.* — De Cytiso vide apud Plin. XIII, 47; XVII, 6; Col. V, 12; VII, 6. *Sprengel,* (Antiq. Botan. Specim. I, 3), demonstrat, omnia quæ de Cytiso narrentur cum Linnei medicagone arborea convenire. — *Tædas.* Eustathius ad Odyss. XVIII, 306 : Plin. XVII, 37, omnes arbores pice præditas astronomia pinguedine in tædam degenerare : creditur tæda fuisse Italorum *Cembro;* Linnæi Pinus Cembra. *V. G.*

434. *Humilesque genestæ.* Per i nonnulli, sed antiquiora omnia exemplaria *genestæ*, per *e*, in pæne ultima legunt : uti etiam superius adnotatum est. *Pier.*

435. *Aut illæ.* Id est, salices aut genestæ : multi tamen et *tiliæ* legunt; ut tria dixerit, salices, tilias, et genestas. *Serv.*

voluptatem, sepem satis ad munimen, apibus pabula. Excurrit deinde in voluptatem, quæ provenit ex inspectato Cytoro monte Paphlagoniæ buxorum sylvis abundante, ex arboribus pice fluentibus apud Narycem urbem Locrorum, ex arvis generantibus sponte, colente nemine. Quasi dicat: invitet te utilitas; invitet jucunditas.

440. Adjungit magnas alias utilitates sylvestrium arborum, quæ, quocunque loco nascantur, etiam in Caucaso, et admodum sint steriles, tamen utilissimæ sunt. Pini ad navigia; cedri, et cupressi ad ædium constructionem: ex iisdem sylvis assumuntur radii ad usum rotarum; tegumenta semisphærica, testudinesque vehiculorum, quæ efformantur instar tympanorum; carinæ etiam ad naves (verbum *trivere* continet notam torni, quasi dicat, fecerunt torno, nam torno lignum atteritur). Salices ferunt vimina illigandis vitibus: ulmi frondes protegendis uvis: myrti, et corni (hic oculos aperi lector, lector, masculas cornos intelligit, non fœminas; nam istæ inutiles jaculis; auctores sunt Theophrastus, et Plinius) has-

436. *Pabula melli.* Veteres existimabant, apes e flavo genestarum flore materiam mellis et ceræ colligere; e flore vero salicis propolim; Ge. IV, 37; Ecl. I, 53. *V. G.*

437. *Cytorum. Cytorus* mons est aut civitas, aliis quidem Paphlagoniæ, aliis Ponti, buxo abundans. Unde et Catullo *buxifer* dicitur, Carm. IV. Vide et Plin. XVI, 16: *Undantem* ait, quia vento agitata, æstus undarum imitatur. *Taubm.*

439. *Curæ.* Græci cultum arborum et plantarum θεραπείαν vocant.

440. *Ipsæ Caucasio.* Caucasus mons est Scythiæ, positus hic pro quibuslibet asperrimis montibus: steriles autem ait silvas, comparatione pomiferarum arborum. *S.*

443. *Navigiis pinos.* Cur pinus utilis navigiis? Theophr. quum dixerit Hist. V, 8: ἐλάτη μὲν οὖν, καὶ πεύκη ναυπηγήσιμα, *abies et pinus aptissimæ navibus*, addit rationem de pino, διὰ τὸ ἀσαπὲς, *quia non putrescat.* Plinius XVI, 42; dicit, esse hanc arborem firmissimam adversus cariem, et tineas. Vitruvius II, 9; illi dat *æternam diuturnitatem.* — *Domibus cedrumque cupressosque.* Cur istæ bonæ ædificiis? quia, auctore Theophrasto His V, 9, ἀσαπῆ δὲ φύσει κυπάριττος, κέδρος: *incorruptæ sunt cupressus et cedrus.* Vitruv. II, 9: *Cupressus, abies, et cetera, quæ ædificiis sunt idoneæ.* Et de cupresso, et pinu ita ibidem: *in vetustatem sine vitiis conservantur*; et postea: « ideoque, « quæ ex his generibus opera con- « stituuntur, permanent ad æter- « nam diuturnitatem. » Adhibetque rationem, cur istæ arbores pene æternæ. Quia inest in earum corporibus amarus quidam sapor, qui arcet cariem, et eas bestiolas, quibus ea gignitur. Paria statim de cedro; et VII, 3; ait, asseres camerarum debere esse cupressinos ob vetustatem. *Cerda.*

tilia ad usum belli, hastarum, sagittarum, jaculorum; taxi, quæ nascuntur apud Ityræos, valent ad conficiendos arcus: ex tilia lævigata, et buxo, quæ facili torno raditur, fiunt variæ formæ torno, ferro, aliisque instrumentis: ex alno naviculæ fluviorum: cortices atque ilices jam pæne ævo fractæ, et multa vetustate confectæ, et quas dicas nullius jam esse usus, tamen utiles sunt apibus, quibus præbent hospitium, et in alvo accipiunt integra examina, tanquam indulgentissimæ matres.

454. Concludit hanc sextam partem facta comparatione ad vites et Bacchi dona. Quid, inquit, simile his tantis commodis habet Bacchus, Deus rixarum, contentionum, prœliorum? Testis acris illa pugna Centaurorum et Lapitharum, qui vino inter epulas exarserunt pæne usque ad exitium, utentes poculis armorum loco.

Pars septima. 458. Sequitur encomium vitæ rusticæ, quod possis appellare septimam et extremam partem libri hujus: in quo encomio quis, non dico, æquet, sed magno etiam inter-

446. A solstitio ad Novembrem, ulmorum frondes pecori erant pro pabulo, et hieme siccæ servabantur, quibus agricolæ fœno parcerent; Col. V, 6; VI, 3; VII, 3; de arb. 16. Frondatio optime fit mensibus Julio et Julio, et post vindemiam, idque horis matutinis ac vespertinis, decrescente luna: folia vero decidua nullius erant existimationis. Hæc in Germania superiore et in Britannia quoque nunc etiam usurpantur. *V. G.*

453. *Vitiosæque ilicis alveo.* Cariosæ: vult autem probare etiam putres arbores habere aliquam utilitatem. Sane pro *alveo*, per Synæresim *alvo* dicimus. *Serv.*

454. *Quid memorandum æque.* Quid similiter laudandum? — *Tulerunt.* Dona Liberi; sicut silvæ multa sponte procreantes. — *Lapithis.* Centaurorum et Lapitharum fabulam exponit Palæphatus c. I. Centauros edoctos regere equum extinxisse tauros, fructus devorantes, et inde appellatos Centauros: καὶ τὸ μὲν ὄνομα ἐντεῦθεν ἔλαβον κένταυροι, ὅτι τοὺς ταύρους κατεκέντουν. *Emm.* — *Cratere minantem.* Bonum σχῆμα. Ita enim pinguntur *Centauri* in ista pugna: sed utra? nam unam cum *Lapithis*, id est, Thessalis, in nuptiis Pirithoi, graphice descripsit Ovid. XII, Metam. 240: ibi, « ardescunt germana cæde « bimembres, Certatimque omnes « uno ore, arma, arma, loquuntur, « etc. » Alterius cum Hercule meminit noster Æneid. VIII, et Diod. Siculus lib. IV. Illam tangit et Hor. Od. I, 18: « At, ne quis modici « transiliat munera Liberi, Centaurea monet cum Lapithis rixa « super mero Debellata. » Vide et J. Philargyr. *Taubm.* — *Crater*, quo minatur Hylæus, vas est aheneum magnum: tali telo utitur apud Ovid. Theseus, Met. XII, 235: *antiquus crater, quem vastum, etc. V. G.*

vallo poetam sequatur? Incipit ab exclamatione, qua ait, fortunatissimos esse agricolas, si sua tantum cognoscant bona. Reddit rationem, cur fortunatissimi: quia tellus longe a bellorum strepitu, illis non modo justa est, dans eadem, quæ accipit; sed justissima, quia cum multo fœnore victum retribuit. Roges: nonne et reliquis mortalibus tellus victum suppeditat? Expende vatem, et capies: suppeditat quidem reliquis, sed mediis agricolis, qui illam tractant; his unis ipsamet præbet. Quum ait, *fundit facilem victum*, innuit εὐπορίαν, et fertilitatem terræ retribuentis. Non retribuit utcunque justa, sed ubertim fundit, et cum magna facilitate; ideo justissima.

461. Comparat vitam agricolarum cum urbana, ut ostendat hanc longe esse illa inferiorem. Ita vero de bonis urbanis loquitur, ut multa adjiciat ad contumeliam. Fateor, inquit, carere agricolas superbissimis domorum foribus, quibus admittant, ac remittant turbam salutatorum adventantium mane: fateor carere domorum postibus variegatis pulcherrima testudine, quos tamen non inhiant, appetunt, quæ magna est felicitas, ut solent cives: fateor carere Corinthiorum ære,

458. *O Fortunatos nimium, sua si bona norint, Agricolas.* Non est abruptus transitus ad laudem vitæ rusticæ: nam ad superiora pertinet; post vituperationem quippe vini, ista quasi consolatio est; per quam ostenditur quantas voluptates rusticis natura præstiterit. Quod autem *Fortunatos nimium* ait; non ad fortunam, sed ad fortunæ pertinet quantitatem. *Serv.*

459. *Procul discordibus armis.* Longe a civitatibus, plenis jurgio et rapinis: longe a bello quod Homerus appellat ἐπιδήμιον.

460. *Justissima tellus.* Proprie: nam si justus est, qui, quod acceperit, reddit; terra utique justissima est, quæ majore fœnore semina accepta restituit. *Serv.*

461. *Si non ingentem foribus domus alta superbis.* Ut etiam in laudem fecit Italiæ; non solum vitam laudat rusticam, sed etiam contrariam, id est, urbanam, vituperat. Nam ista quæ de urbibus dicit, opinabilia sunt bona, non vera, sicut rustica. *Serv.*

462. *Mane salutantum totis vomit ædibus undam.* Salutatores innuit, quos communes amicos Roma vocavit, qui sportæ causa divitum obeuntes limina, matutinum passim *Ave* portabant. Unde et Martial. Epigr. lib. I: *Et matutinum portat ineptus ave.* — Inter quos multi pedum celeritate freti, et avaritia impulsi quam plurimas adibant domos, ut inde maximum reportarent lucrum. *V. G.* — *Undam.* Populi, stantis ad officium, multitudinem interpretatur Scholiast. in Juvenal. III, 244; *Nobis properantibus obstat unda prior.* Quod horæ duæ primæ salutationibus impendebantur, ex Martiale discimus IV, 8; imo dubia luce, necdum vestiti defungi cogeban-

et vestibus auro perfusis, vel potius illusis; nam vestitæ sunt auro non suo ad dolos mortalium: carere lana purpureo Assyriorum colore intincta, sed quæ merum habet fucum, et fraudem; nam, quæ alba est ex natura, induit colorem non suum: carere oleo, cui admistus pretiosus liquor casiæ, vel potius corruptio; nam oleum, quod ex se liquidum, atque utile ad usus pæne omnes, corrumpitur et fœdatur crassissimo unguento casiæ, ac perinde amittitur utilitas olei.

467. A civium bonis, quibus tam multi doli adjuncti, excurrit ad bona agricolarum, quæ pleno ore laudat. Capita laudum reducuntur ad quietem, simplicitatem, abundantiam, jucunditatem, frugalitatem, religionem. Carent bonis aulicorum, sed habent quietem in agris; nam securi sunt ab omni bellorum tumultu: habent simplicitatem, ut qui neminem sciant fallere: abundantiam; nam eorum vita dives est variarum opum: jucunditatem; nam versantur in otio, inter speluncas agrorum mille amœnitatibus refertas: vident lacus vivos, perennesque aquarum scaturigines: sunt illis Tempe frigida (intelligit loca quæpiam amœnissima ad oblectationem), boum mugitus, somni ab arboribus, iique permolles, saltus lustraque ferarum ad venationem; quæ omnia jucundissima sunt: habent frugalitatem; nam juventus rusticana

tur hoc officio, ut scite Juv. V, 20, et seqq. *Emm.*

464. *Inlusasque auro vestis.* In quibus artifex ludens, auro depinxerat folia, flores, animalia et quæcumque volebat. Male autem quidam *inclusas* legunt. *S.* — *Ephyreiaque æra.* Corinthia, quæ laudat etiam Cicero: nam *Ephyrus* est *Corinthus.* Æs quod convincitur longo tempore ante eversam a Romanis Corinthum in pretio fuisse; quamvis illud ex multis metallis conflatum, accipiant casu et incendio confusum nonnulli, ex Plinii auctoritate: casus hoc miscuit, quum Corinthus caperetur incensa. Constat etiam, nobiles Corinthiorum vasorum artifices Corinthi incendium antecessisse.

468. *Latis otia fundis. Fundus* dicitur ab eo, quod sit rerum omnium fundamentum, et copiæ fons uberrimus. — *Latis otia fundis:* oppositio cum hortis quos cingunt muri. (Seneca Ep. 90.) *V. G.*

469. *Speluncæ, vivique lacus.* Id est, bona naturalia, non sicut in urbibus labore quæsita: unde Juvenalis: *Et speluncas dissimiles veris.* — *Frigida Tempe. Tempe* proprie sunt loca amœna Thessaliæ. Abusive cujusvis loci amœnitas. *S.* Speluncis et aquis inerat aliquid religionis (Seneca Ep. 41). *V. G.* Antra frigida et fontes puri omnium animos recreant et alliciunt.

471. *Illic saltus.* Venationes, quæ penitus in urbibus non sunt. — *Lustra ferarum.* Bene *ferarum* addidit, quoniam sunt in urbibus lustra meretricum. *Serv.*

est et operum patiens, et parvo assueta : sane frugalitas duo hæc notat; ita servus frugi est, qui rem domini diligenter curat, illique est utilis, et præterea ipse est sobrius : demum habent sacra; nam cum illis olim Dii ipsi conversati, et justitia urbes relinquens pollutas sceleribus divertit ad rusticos, et inde ad cælum rediit, unde venerat. Illa *sanctique patres*, sunt qui non referant ad Deos, sed ad agricolas ipsos, qui instituti cum probitate et virtute, patres suos religiose colunt.

475. Post laudatam vitam rusticam optat ipse accipi in patrocinium Musarum, quæ dulces sunt ante omnia, quarumque ipse fert sacra, ut earum sacerdos : ideo vero hoc optat, ut doceatur rerum naturalium cognitionem. Notat quatuor, quæ scire præsertim velit; astrologiam; motus terrarum; accessus et recessus maris; dierum noctiumque varietatem. Signat astrologiam per vias cæli, sidera, Solis Eclipses, Lunæ labores : motus terrarum per tremorem : accessus et recessus

474. *Extrema per illos Justitia excedens terris vestigia fecit.* Hoc Aratus dicit; Justitiam primo et in urbibus, postea in agris tantum fuisse; ubi eam inducit loquentem, cur abscedat e terris. *Serv.* — Secundum eumdem Aratum *Dice* filia Jovis ex Themide, tempore aurei sæculi inter homines versabatur : argenteo ævo e montibus nonnunquam descendebat; sed quum genus æneum arma fabrefaceret, frangeretque aratra, in cælum aufugit *Dice*, et nunc lucet in Zodiaco nomine *Astræa* v. 536; Ecl. IV, 6; VI, 41. Confer Hesiodi vaticinium cum Ovid. Metamorph. I, 149. *V. G.*

475. *Me vero.* Diu quæsitum est, utrum philosophiæ, an rusticitatis esset vita felicior; unde nunc dicit primam esse philosophiam : sed post ipsam, rusticam vitam. — *Primum.* Primum et ante omnia; ut : *Primus ibi ante omnes.* Philarg. — Male : nam optat musas ante omnia dulcissimas velle illum primo accipere, et Choris poetarum inserere.

478. *Defectus Solis varios.* Atqui uno modo tantum Sol deficere nobis videtur, tunc scilicet quum Luna plena e regione ejus obstiterit radiis, et eos nobis fecerit non videri. Unde varios accipimus defectus; non quia varia ratione contingant (nam ratio una est, ut diximus) sed quia vel variis temporibus fiunt, vel varie : interdum enim duobus, interdum quatuor, interdum pluribus deficit digitis. *Serv.* — *Lunæque labores.* Vel errores, quia non recta incedit : vel defectus, qui contingunt Lunæ; quotiens terræ altitudo interveniens radiis Solis eam illuminari non patitur, a quibus dicitur lumen accipere. *Serv.* — Alii intelligunt Lunam e tenebris terræ intervenientis eluctantem; vel magicis excantationibus resistentem et cælo deduci negantem.

479. *Unde tremor terris.* Variæ sunt opiniones : alii dicunt, ven-

maris per tumorem, quo inflatum rumpit obices: huic tumori opponit, *residant*, ad signandum recessum: varietatem dierum et noctium per Soles, qui hyeme brevissimi sunt, æstate longissimi, tardas brevesque noctes faciunt.

483. Optat esse agricola, si nequeat esse philosophus. Itaque primum gradum attribuit rerum naturalium cognitioni; proximum vitæ rusticanæ, hac sententia: si præ frigiditate sanguinis circa cor ingenio sim adeo hebeti, ut nequeam penetrare res illas quatuor naturæ, placebunt rura, amnes, flumina, sylvæ, carenti etiam omnium rerum aliarum gloria. Deinde convertit se ad campos Thessaliæ, Spartæ, Thraciæ, qui opinione et experimento mortalium habiti sunt amœnissimi et fœcundissimi. Thessaliam notat per fluvium Sperchium, Spartam per montem Taygetum, Thraciam per valles montis Hæmi. Illud *Taygeta bacchata virginibus Lacænis* est, celebrata orgiis et furoribus bacchantium fœminarum; quasi ipsa loca pari furore corripiantur cum fœminis.

490. Dederat principem locum cognitioni rerum, doctrinæ, scientiæ, philosophiæ: proximum vitæ rusticæ: jam hic de utraque ita loquitur, ut pares videatur facere, adjunctis utriusque vitæ Encomiis. Ergo de Sapiente dicturus, primo

tum esse in concavis terræ, qui motus etiam terram movet. Alii aquam dicunt genitalem sub terris moveri, et simul eas concutere, sicut vas aquæ: ut dicit Lucretius. — *Qua vi maria alta tumescant Objicibus ruptis.* Æstuaria Oceani accipimus; qui per Gallias et Hispanias in infinitum erumpit contempta lege riparum, ad quas rursus recurrit. — *Objices;* rupes, aggeres Oceano natura constituti; vel artificiales, ut moles et cæmenta, quibus efficiebant portus, et *Lucrino claustra* addebant. De fluctuum altitudine multa portentosaque somniabant veteres: fluctus enim erant qui ad LXXX pedes apud Britanniam tumescentes, breves dies hieme, brevesque noctes æstate efficiebant. Opiniones de Sole juxta Gades occidente crepitumque ut ferri incandescentis et in aquam immissi edente, visæ sunt ipsi Posidonio dignæ quæ investigarentur. *V. G.*

481. *Quid tantum Oceano*, etc. Hyemem et æstatem significat; et sensus est: quæ causa sit, cur dies hyberni tam sint occasum præcipites; et quæ mora noctes æstivas differat, ac retardet. *Soles* dixit, pro *dies*, plurali numero; quemadmodum Georg. I, 66: *Pulverulenta coquat maturis Solibus æstas.*

484. *Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis.* Secundum physicos, qui dicunt stultos homines esse frigidioris sanguinis: prudentes, calidioris: unde et senes, in quibus jam friget, et pueri in quibus necdum calet, minus sapiunt. *Serv.*

definit, quis sit sapiens; nimirum, qui cognoscit rerum causas, hunc ait pleno ore esse felicem. Quare sapiens est felix? quia nihil timet, non fatum, etiam si inexorabile; non strepitum Acherontis, etiam si avarus, et rapax. Nihil timet, quia mortem non timet, quæ inexorabilis; neque Acherontem, quem scit esse avarum, ac nemini parcere, quin omnes deglutiat, thesaurumque suum avidissime conficiat ex rapina moralium, quos in æternum sepultos coercet.

493. Dixit, Sapientem esse felicem, qui nihil timeat; ait de rustico, esse felicem, propter bona, quibus fruitur. Quasi dicat: sapiens est felix, quia caret metu; rusticus, quia habet gaudia: neque solum habet, sed et noscit se habere, sicuti ille etiam noverat, nihil sibi timendum. Sed quæ hæc gaudia? Dii agrestes, Pan, Sylvanus, Nymphæ cum quibus vivit. Vide, ut non dederit alias voluptates caducas et vanas, sed consortium Deorum. Fuit enim poetæ quærenda efficax ratio, quam opponeret rationi Sapientis, immo, qua vinceret. Nam si ille felix, quod metu caret; hic felicior, quod degit cum Diis: cum his enim degentem necesse est tutum admodum esse, ac perinde sine ullo timoris et curarum sensu.

495. Adjungit jam effectus vitæ hujus, quæ traducitur cum Diis agrestibus. Caret cupiditate bonorum, terrore malorum, affectionibus animi: cupiditate; quia nihil curat magistratus, qui sunt in arbitrio populi; nihil purpuram, quæ Regum est; nihil honores cæteros, qui etiam fraternum solent amorem

490. *Felix qui potuit rerum cognoscere caussas.* Repetitio est superioris coloris; nam hoc dicit; et rustici felices sunt; et qui tribuunt operam Philosophiæ. *Serv.*

491. *Fatum.* Ex fato venientia. — *Inexorabile fatum.* Lysias in oratione funebri hanc sententiam ita prius protulit: ὁ δαίμων ὁ τὴν ἡμετέραν μοῖραν εἰλαχὼς ἀπαραίτητος: *genius, qui nostrum fatum sortitus est, evitare nequit.* Homer. Odyss. ultimo: Μοῖρ' ὀλοὴ, τὴν οὔτις, ἀλεύσεται, ὅς τε γένηται: *Fatum perniciosum, quod nemo fugit mortalium.*

492. *Subjecit pedibus.* Calcavit. Quia Philosophiæ cognitione et mortis metum et inferos, quibus voluptas humana inquinaretur, domari et tolli credebant. Vid. Not. 490, vol. I, pag. 414.

494. *Nymphasque sorores.* Non Panis vel Sylvani; sed inter se sorores: ut, *Ætnæos fratres;* inter se scilicet. *Serv.*

495. *Populi fasces.* Honores qui a populo præstantur: proprie autem locutus est, ut fasces populi, regum purpuram diceret. *Serv.*

496. *Infidos agitans discordia fratres.* Discordiam posuit pro avaritia. Quod dissideant fratres, sæpe in culpa est habendi amor, non raro tamen ambitio exitiosæ dis-

perturbare, usque ad cædem, et sanguinem, ut accidit in Remo, et Romulo: terrore; quia Dacos non timet; neque hostes alios imminentes Romano Imperio, etiamsi sciat, ruituras res Romanas, regna omnia: affectionibus; quia viso inope, nihil indolescit; viso divite, nihil invidet.

500. Quid ergo in tanta rerum tranquillitate facit rusticus? carpit fructus, quos dant ipsi rami, ipsa rura, placide quidem et sponte, non coacta gravi imperio: quo ita vivit contentus, ut nolit videre jura legum, ut quæ ferrea, atque inexorabilia; non forum, ut quod insanum, ac plenum litibus; non tabularia, ut quæ sint populi.

503. Comparavit primo vitam rusticam cum urbana, et

sensioni causam quoque præbet. De Romulo et Remo, quorum fœdum certamen narrat Livius I, 6; de Cyro et Artaxerxe Justinus V, 11; et memorandum exemplum habet Paterc. II, 67: « Nec Planco « gratia defuit ad impetrandum, « ut frater ejus Plancus Plotius « proscriberetur, etc. » — *Infidos fratres.* Arsacidæ, Parthorum reges; Tiridates, et Phraates, An. U. C. 724, ambo Cæsarem sibi auxilio vocantes. *V. G.*

497. *Dacus.* A Græcis *Daci* Getæ et Davi vocantur (Strab. VII, pag. 304): Daci Antonii partes secuti anno 723, Mysiam invasere, et Romanorum socios in Thracia adorti sunt. M. Crassus triumviri filius, eos anno 725, in Macedonia vicit, ut jam inter Octaviani Cæsaris lusus, pugna haberetur in circo Suevorum et Dacorum. Dio, LI; Virgil. Æn. VIII, 725; Horat. II, Od. IX, XXIII; ubi Gelones vocantur, ex Horatii Od. VI, lib. III, videre poteris, quantum Daci Antonio conjuncti Romæ terroris injecerint. — *Descendens* a montanis locis, vel a Septemtrione, qui altior esset ceteris terræ partibus; sic Statius, Thebaid. I, 20: « Et con- « jurato dejectos vertice Dacos. » Et Claudian. III, 310: « Mixtis des- « cendit Sarmata Dacis. » *V. G.*

498. *Non res Romanæ, perituraque regna.* Regna scilicet Barbarorum: nam duo dicit; rusticum, nec Romanum imperium movet, id est, ad ambitum cogit; nec barbarorum regna peritura. Non enim Romano maledicit imperio. Sed huic opponit regna cætera, quæ vocat *peritura*, ut Romanam notet æternitatem. — *Perituraque regna.* Antonii scilicet, Sexti Pompeii, Lepidi, aliorumque usque ad Actiacam pugnam: nonnunquam et verbum *reges*, de proceribus Romanis sumitur, ut infra, v. 504. De hoc versu vide Dissertationem quam fert, *Hist. de l'Acad. des Inscript. tom. XVI, pag.* 298. *V. G.*

501. *Sponte tul.* Ejusmodi καρποὺς αὐτοφυεῖς: Naso *cibos nullo cogente creatos* appellat. Ita Lucret. lib. V: « Quos Sol atque imbres « dederunt, quod terra crearat « Sponte sua, satis id placarat pec- « tora donum. » *Taubm.* — *Ferrea jura.* Dura, inexorabilia, immutabilia. *Serv.*

dedit rusticæ principem locum : deinde cum philosophica, et utramque fecit parem : jam tertio comparat cum diversis studiis mortalium, anteponens omnibus eamdem vitam. Adducit vero octo studia hominum. Sunt illi homines, nautici, milites, aulici, grassatores, avari, oratores, comici, hæredipetæ : cuique horum adjungit aliquid, quo vivide singulorum mores exprimat. Nauticis sollicitudinem dat, qua freta omnia pernavigant, etiam occulta et inexplorata; nam sic explico cæcitatem fretorum : militibus audaciam, qua ruunt in gladios : aulicos ait penetrare in aulas intimas, quo ostendit illorum studium; id enim curant, ut intimi magis sint suis principibus; nam in hoc sita illorum felicitas : grassatores per vim omnia gerunt, evertunt publica, evertunt privata, illud ambientes, ut per miserorum ruinas, ipsi auro splendescant, bibant gemmatis poculis, dormiant in Tyri purpura : avari aurum condunt, et condito avidissime incubant, ne quid pe-

504. *Penetrant aulas et limina regum.* Profitentur satellitium. *Limina* autem ait interiorem familiaritatem : sic Turnus, *Stirpem admisceri Phrygiam, se limine pelli.* Serv. — *Regum.* Horat. Epod. II, inter beatos numerat, quem « ne- « que horret iratum mare, et qui « vitat forum, et Superba civium « potentiorum limina. » — *Reges*, Romanæ libertatis oppressores, quam restituisse gloriabatur Cæsar Octavianus. Is quum res a se præclare actas in monumento Ancyrano, enumerari juberet, ante omnia memoravit, se juvenem XIX annos natum, sumptibus propriis exercitum collegisse, et in libertatem vindicavisse rempublicam, quæ fuerat bellis civilibus oppressa. Vide nostrum Tacitum, vol. IV, pag. 315 et seqq. Nomina *Rex* et *Dominus*, quamvis Romanis infensa, jam apud Plautum tribuunt assentatores reipublicæ optimatibus divitibusque. *V. G.*

505. *Petit excidiis urbem.* Incertum, alienam, an suam. *S.* — Heynius Romam intelligit; sed Ruæus *urbem* ad illos refert, qui ex urbium expugnatarum ruinis opes colligunt. — Hic Antonium designat, qui cum Cleopatra urbem minatus erat evertere, Ge. I, 498; Æn. VIII, 678. *V. G.*

506. *Gemma bibat.* Gemmeo poculo, non gemmato. *Serv.* — *Gemma.* Intelligit vas ex auro, cui sculptoria arte gemmæ inseruntur. Apertius Æn. I, ubi pateram vocat *gravem gemmis, auroque.* Plin. lib. XXXIII; in Procemio ea subjicit, ex quibus hic locus possit non solum illustrari, sed intelligi : « Tur- « ba gemmarum potamus, et sma- « ragdis teximus calices, ac te- « mulentiæ caussa tenere Indiam « juvat, et aurum jam accessio est. » Ubi clare ait, gemmas auro inseri in poculis. *Cerda.*

507. *Incubat auro.* Χρυσῷ ἐπίκειται. Aristot. Polit. II, προσδρύειν dixit. Verbum *incubare* notat pertinaciam, et longius tempus, vel

reat, ne quid abeat: oratores in rostris attoniti redduntur, stupentque ad ea, quæ ipsimet dicunt, excitantes hunc in modum admirationem populi: comici capiuntur plausu illo, qui crescit per cuneos, admirantibus plebe et Senatu; et ideo veluti geminus (quamvis hic multiplex significetur) quem plausum ipsi summopere inhiant, atque ambiunt: hæredipetæ gaudent perfudisse fraternum sanguinem, ut ipsi soli cuncta possideant; atque adeo gaudent, ut non curent, an sæpe propter admissam cædem cogantur ire in exsilium, domos mutare, patriam quærere, Sole alio incalentem. Vide, quam proprie omnia. Scio, quæ explicui, posse quoque in nonnullis aliter explicari; sed non est interpretis, sententias omnes semper producere. Illud de fratribus interfectoribus fratrum referri possit ad bella civilia, ex imitatione Lucretii, quam in notis hic infra dabo.

513. Diversis mortalium studiis opponit unicum tantum studium agricolæ, nimirum illum occupari in aranda et colenda terra: deinde numerat late, quot ex hoc unico studio proveniant bona, tam utilia, quam jucunda: hæc enim duo bonorum genera potentissima sunt ad excitandos homines; et inter bona jucunda admiscet etiam bonum honestum, quo fortior sit excitatio.

diuturnitatem quandam; ut Noster Æn. I, 93: *Ponto nox incubat atra*, et Horat. Od. I, 3; *nova febrium Terris incubuit cohors.*

508. *Hic stupet attonitus rostris.* Scilicet, ut ipse concionetur; vel ut concionem audiat, et miretur orantem ex suggestibus, quæ *rostra* dicebantur. Sic Quintius Capitolinus, in Livio, lib. III, cap. 68: *Hærete affixi concionibus, et in foro vivite.*

509. *Per cuneos (geminatus enim) plebisque patrumque Corripuit.* Ordo est; corripuit enim hunc geminatus per cuneos plausus, et plebis et patrum. *Serv.* — *Per cuneos.* Vel a forma ipsa cunei prima; vel a similitudine cunei militaris, hoc est, peditum globi in cunei formam redacti, qui στίφος Græcis dicitur, et qui non μεσουρίζει, sed a parte prima angustiore in latiorem procedit; *cunei* dicti sunt loca in theatro, id est, graduum ordines, in quibus vulgus spectatorum stabat inter sedentium subsellia.

510. *Gaudent perfusi sanguine fratrum.* Hæc Nota tota versabitur in imitatione aperienda, et locorum similitudine. Ergo Catullus ante Nostrum; *Perfudere manu fraterno sanguine fratres.* Ante utrumque Lucretius lib. III: « Sanguine civili rem conflant, divitiasque Conduplicant avidi, cædem cædi accumulantes, Crudeles gaudent in tristi funere fratris. » Post omnes Manilius lib.

514. Ponit primo bona utilia. Ex colenda terra nascitur labor et cursus totius anni ad colligendos varios proventus: inde patria alitur, domus privata uniuscujusque agricolæ, armenta, boves. *Nec requies*, nunquam annus cessat a fundendis fructibus; semper exuberat aut pomis, aut fœtu pecorum, aut culmis segetum, nam sulci pleni sunt frugibus, frumentis horrea. *Venit hyems*, pergit narrare laborem illum totius anni: in hyeme oliva teritur, sues nutriuntur, sylvæ dant arbuta. Quid vero in Autumno? Varii sunt pomorum fœtus, vindemia coquitur.

523. Sequuntur bona delectabilia: nati, qui dulcissime pendent ex matris osculo: uxor, quæ pudica est, et casta, quacum se oblectat: vaccæ, quæ demissis uberibus jucunditatem afferunt, sicuti et hœdi luctantes cornibus in virente gramine. Neque vero ista gaudia alfunde tantum proveniunt; nam ipsi agricolæ suos habent dies festos; funduntur per

IV: *Mutuaque armati coeunt in vulnera fratres.* Sed et τὸ *gaudent* in re sanguinis idem usurpavit, Nostrum æmulans; *multo gaudentem sanguine civem.* Cerda. Vide Not. 510—512, in vol. I, pag. 419. — Cl. Voss. transtulit hos versus in Antonii milites, qui migraverant in remotissimas terræ partes, ut stipendiorum mercedes consequerentur. — Alii veterum fabularum curiosi sectatores de Medea et Telamone, qui occiso fratre exulaverunt, tria hæc carmina volunt intelligi.

514. *Hinc anni labor.* Ex agricultura habet totius anni substantiam, proventum, et alimentum sibi suisque. — *Hinc patriam.* Donatus villam intelligit, non revera patriam; nam villa ipsi patriæ loco est; sed male. Forsan intelligit vectigalia, quæ principibus dantur in patriæ subventionem.

515. *Meritosque juvencos.* Sui consortes laboris. Adludit ad pastorum celebritates, in quibus patiebantur boves feriari a labore, quos etiam sertis coronabant. Hunc morem multa probant.

516. *Nec requies:* nullum est anni tempus quod quiescat, aut cesset magnos fructus exhibere, et quæ sunt ad victum necessaria. Nullum est rustici laboribus intervallum; ergo nec sulcorum proventibus.

517. *Mergite. Mergites* fasces culmorum spicas habentium, quas metentes brachiis sinistris complectuntur: quidam *cavos* dicunt. *Philarg.*

519. *Sicyonia bacca.* Quoniam oleum Sicyonium magno in pretio est. *Sicyon*, urbs Peloponnesi.

520. *Arbuta.* Poma silvestria. *Serv.* — Arbutorum proprie fructus sunt, *des arboisiers*: sed pro baccis sylvarum omnibus possunt usurpari.

524. *Casta pudicitiam servat domus.* Non ut in urbibus impudica.

527. *Ipse dies agitat.* Hoc dicit, omnes dies sic habet, ut festos

herbam; celebrant convivia circa ignem; Bacchum invocant; excitant pastores suos, vel ad sagittarum certamen, proposito scopo in ulmo, vel ad palæstram, quæ exercetur nudis corporibus. Roges primo: nonne illud *ubera vaccæ Lactea demittunt*, pertinet ad bonum utile? Fateor; sed ex quo tamen sequitur voluptas magna ipso aspectu: et quidem ex conjunctione cum aliis bonis jucundis, illud quoque ad jucunditatem videtur pertinere. Roges deinde, ubi bonum honestum? hoc multiplex: invocatur Bacchus, peraguntur dies festi: en religio: exercentur jaculo, in palæstra, quæ inter honestas meditationes connumerant doctores gymnasticon.

532. Non omittit poeta id, quod necessarium in omni persuasione, nimirum exempla, quæ rem firmant: adhibet vero duplex genus exemplorum, humanum et divinum. In humanis sunt Sabini, qui hanc vitam habuere: Remus, et Romulus, qui pastores fuerunt: Etruria tota, quæ hoc studio crevit in magnam potentiam: demum Roma ipsa, quæ eadem arte facta est rerum omnium pulcherrima, et una septem montes unico muro circumdedit.

536. Ab humanis exemplis pergit ad divina: nam Saturnus, qui vixit aureo seculo, egit vitam rusticorum: quod Saturni ævum præcessit ætatem Jovis, qui dictus est Rex Dictæus, id est, Cretensis: præcessit etiam ætatem illam, qua mortales

putes. Alii dicunt, festos dies cum religione concelebrant. *Serv.*

528. *Cratera coronant.* Τὸ στέφειν πλήρωσιν σημαίνει; ut Athenæus XV, 5; referens Iliad. A, 470: κοῦροι μὲν κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο; ubi Schol. ἄχρι τῆς στεφάνης ἐπλήρωσαν, id est, μέχρι τέλους. — Jam temporibus Sophoclis coronabantur crateres fronde aut lana. *V. G.*

529. *Magistris.* Ita vocantur non solum hominum, sed etiam rectores et institutores ferarum. Virgil. prætereo, qui tum hic, tum alibi sæpe usus hac voce.

531. *Agresti palæstra.* Rustica luctatione. *Palæstra* autem dicta est, vel ἀπὸ τῆς πάλης, id est, a luctatione: vel ἀπό τοῦ πάλλειν, hoc est a motu urnæ: nam ducti sorte luctantur. *Serv.*

533. *Sic fortis Etruria crevit.* Secundum historiam: nam constat, Tuscos usque ad fretum Siculum omnia possedisse. *Serv.* — Unde totum mare, quod a dextra Italici litoris est, *Tyrrhenum* dicitur.

534. Ante dirutam Carthaginem. Romani ita vivebant, ut diceret Cato in operis proœmio: « Et virum « bonum quum laudabant, ita lau- « dabant, Bonum agricolam bo- « numque colonum. » Vide quæ narrant historici de Quinctio Cincinnato, de Regulo et Tuberone. *V. G.*

536. *Ante etiam sceptrum Dictæi regis.* Antequam regnaret Juppiter,

cœperunt vesci juvencis aliisque animantibus: nam plane sub Saturno mortales vescebantur pomis tantum agrestibus et terræ fructibus: felix etiam fuit seculum Saturni perpetua pace, qua floruit: nullæ enim buccinæ fuerunt necessariæ, quæ militem concitarent; nulli enses, qui hostem ferirent.

541. Absolvit librum hunc, ut jam primum concludebat, continuata metaphora a quadrigis equorum, quibus, post longum confectum cursum, solvuntur colla sudore fumantia, et defatigata præ labore nimio.

qui est in Dictæo monte Cretensi nutritus. *Serv.*

537. *Impia quam cæsis gens est epulata juvencis.* Arati est hoc, qui dicit, Phœn. 129: majores bovem comesse nefas putabant. *S.* — *Cæsis juvencis.* Attingit hic Poeta cautionem illam veterum, qui abstinebant a cædendis bobus; imo reprehendit mortales, qui hoc ausi. Narrant Valerius et Plinius, prior cap. I, posterior cap. 45; et uterque lib. VIII, patremfamilias damnatum fuisse a populo Romano, quod bovem aratorem occidisset, socium laboris humani. Athenis etiam lege cautum erat, ne quis bovem immolaret, de quo dicebant: γεωργός ἐστιν, καὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνός: *agricola est, et socius humani laboris.*

539. *Classica.* Militare instrumentum, quo signum ad pugnas classico, cornu, vel lituo dabant, quod inventum ferreæ ætatis est, Ge. III, 183. Homeri heroes, qui ætatis aureæ sub finem vixerunt, voce imperitare solebant: inde βοὴν ἀγαθὸς. Confer Ovidii splendidum locum, in Met. I, 96. *V. G.*

540. Hic versus imitatur pulsationes mallei ad fabrefaciendos enses, tum motu suo, tum frequentia literarum *r* et *p*. *V. G.*

542. *Et jam tempus equum fumantia solvere colla.* Allegoricōs hoc dicit: *Debemus fatigato ingenio parcere, et facere finem carmini.* Sane non est comparatio, sed translatio; sicut et in primi fine diximus. — *Fumantia.* Feriat tuum animum præclarus dicendi modus. Ita Æn. XII: *fumantes sudore quatit* equos; et de equis Castoris et Pollucis Minutius: *spumantibus equis, atque fumantibus.*

P. VIRGILII MARONIS

GEORGICON

LIBER TERTIUS.

(Vide Argumentum generale, vol. I, p. 425.)

ANALYSIS.

Rem pecuariam, libri hujus materiam, proponit, Palem et Apollinem cantaturus; et procul amovet vulgatas poetarum fabulas, 1—9. Gloriatur se primum inter Latinos fore qui palmam condendi carminis referat; cujus laudis monumentum, ædificabit templum, ad ripas Mincii, paterni fluminis, Augusto consecratum; in Cæsaris honorem ibi ludos equestres et theatrales instituet; desinitque in picturas et statuas quas facturus est in templi foribus, tum de rebus Augusti bello præclare gestis, tum de progenitoribus illius, 10—39. Inde favorem ac studium Mæcenatis sibi expetit, quo jubente susceptum id operis fuisse rursus testatur; et promittit se patriam et Cæsarem celebraturum heroico carmine, 40—48. Incipit prima pars de bobus et equis et de fetura armentorum: docet decem notas vaccarum, quas ut optimas probat, 49—59. Ætas admissuræ habilior, 60—71. Transit ad equos admissarios et pullos, quorum generositas notatur rebus quinque; incessu, audacia, forma, colore, ardore; probat omnia testimonio Deorum, atque heroum, 72—94. Admonet equos, generationi et bello inutiles propter morbum vel senectutem factos, humaniter curandos, et inspiciendas præsertim dotes quibus vigent; hinc excurrit poetice ad descriptionem equestris cursus, 95—112. Erichthonius primus junxit equos currui; primi Lapithæ educavere ad gyros militares; ad utrumque laborem plurimum valet equus juvenis, 113—122. Taurus ante admissuram saginandus, vaccæ macerandæ; sed post illam istæ omni cura fovendæ, 123—145. Ab gravidis vaccis arcendus *tabanus*, qui inde describitur, 146—156. Post partum, tota cura impendenda est vitulis, quorum triplex genus assignat poeta, et late disserit de illorumdomitura, 157—178. Recurrit ad pullos equorum, et docet uti in teneriore ætate erudiendi sint, domandi in robustiore, ut apti sint et bellis et

certaminibus. Equum ita instructum atque domitum comparatione illustrat: deinde indicat, qua ætate danda sit farrago, 179—208. Equi et tauri arcendi a nimio usu Veneris; sed relictis equis, sermo est de tauris, qui pascendi sunt procul a feminis, trans montes, vel intra præsepia. Hinc describit pugnas taurorum pro præsente femina; victi ignominiam, exsilium, pœnitentiam, et curam sui confirmandi ad reparandum bellum; reditum ad quærendum hostem; et hunc locum absolvit apta fluctus comparatione, 209—241. Amoris furiæ et hominibus et animalibus communes: in exempla adducuntur leænæ, ursi, aper, tigres, equi, Leander, lynces, lupi, canes, et cervi; inprimis insignis est equarum amantium furor, cujus causam ad Venerem refert; illæ sæpius ex vento gravidæ fiunt, et virus distillant, 242—283. Nunc secunda pars de ovibus et capris: dicturus poeta de re nova et difficili, rursus invocat Palem, 284—294. Oves et capræ alendæ domi per hyemem: comparantur inter se ambo greges, 295—321. Verno tempore producendus uterque ad pastum: quid quaque diei parte agendum, 312—338. Disciplina pastorum Libyæ, 339—348. Non ita apud septemtrionales gentes; illic armenta clausa stabulis tenentur: hinc multa de immanitate frigoris et vita incolarum hujus regionis, 349—383. Præcepta quatuor de lanicio curando, 384—393. Unde proveniat ubertas largior lactis, quod exportandum ad oppida, aut in caseos coagulandum, 394—403. Tertia pars de canibus: qui et quo cibo alendi; duplex eorum utilitas, videlicet custodia gregis, venatio ferarum, 404—413. Quarta pars de rebus pecori infestis; cedri et galbani nidore abigendi serpentes; nempe chelydri, viperæ, colubri; chersydri anguis patria, forma, vivendi ratio et sævities, 414—439. Morborum causæ et signa in pecoribus: scabies et remedia contra illam, 440—456. Febris et contagia a principiis ferro compescenda, ne toti greges corripiantur, 457—477. Quinta parte et ultima, sive Epilogo, descriptio sævissimæ pestis, quæ tractum omnem Alpinum vastaverat, et cujus adhuc vestigia tempore Virgilii supererant. Pecudes, armenta, feræ, hostiæ sacræ, intereunt, 478—497. Equi pereuntis signa, et miserandum exitium, 498—514. Taurorum clades, in qua vividi affectus misericordiæ excitantur, 515—536. Strages reliquorum animalium, per terras, maria et aera: adhibentur notæ peculiares ad commovendam miserationem, ut artis medicæ inanes conatus; Tisiphones sævitia; cadaverum aggeres, et *ignis sacri* furor, 537—566.

EXPLICATIO.

1. Cum allusione ad præcedentes libros, in quibus vocati Ceres, Bacchus, Dii alii; sic te quoque canam, o Pales; o

NOTÆ.

1. *Te quoque, magna Pales.* Invocat deam pabuli, dicturus de animalibus: sicut de frumentis dicturus et vitibus Cererem invocavit

Apollo. Dicturus vero de animalibus, recte Palem invocat Deam pabuli, sicuti pro frumentis Cererem, pro vitibus Bacchum. Est enim Pales Dea Nomia, sicuti Apollo Nomius. Sic dicuntur a pascuis, quibus præsident : quum vero Palem clare nominet, Apollinem periphrastice involvit, alludens ad fabulam, qua apud Amphrysum fluvium Thessaliæ pavit pecus Admeti Regis : addit cantaturum se sylvas et amnes Lycæos, id est, Arcadum, quæ pars orbis pecorosa admodum.

3. Proposuit quæ dicturus; jam poetice dilabitur ad fabulas, quas non vult attingere, quia vulgares, et ideo tantum serviunt suspendendis inaniter animis otiosis.

4. Probat esse vulgares : nam quis nescit Eurystheum fuisse

et Liberum. Sane non est mirandum, esse usum eum procemio; sicut est usus in primo : nam aliud quodammodo inchoaturus est carmen, pastorale scilicet, post completum Georgicum ; deinde etiam si unum sit, scimus concessum esse scribentibus; ut iteratione procemii, legentium interdum reficiant laborem. Nam et Livius frequenter innovat principia : ut, *Incensa a Gallis urbe :* ut *Completis consulibus.* Et Cicero in Verrinis, qui in frumentaria conciliavit auditorum animos, iteratione principii : ut, *Omnes qui alterum judicant. Pales* autem, ut diximus, dea est pabuli : quam alii Vestam ; alii matrem deam vocant; hanc Virgilius genere fœminino appellat. Alii, inter quos Varro, masculino genere, ut, *hic Pales.* Huic sacra solvuntur XI Kalendas Maias die, quæ *Palilia* vocantur. *Serv.* — Est autem *ferumκὴ ἑορτὴ*, quam ante urbem conditam agitabant per eum diem, qui postea dies natalis urbis cœpit celebrari; de quo vide Plutarch. in Romulo. — In his feriis pastores purgabant pecus suffumigando, seipsos aqua lustrali, transiliendoque per incensum fœnum et paleam. Simili ritu nostris majoribus Dea veris OSTRA culta fuit : quas ferias suis paschalibus addiderunt Christiani, tribueruntque Deo resurgenti. *V. G.*

2. *Pastor ab Amphryso. Amphrysus* fluvius Thessaliæ, apud quem Apollo, spoliatus divinitate, ob occisos Cyclopas, Admeto regi pavisse armenta dicitur : unde eum nunc invocat, qui Nomius vocatur, vel *ἀπὸ τῆς νομῆς*, id est, a pascuis; vel *ἀπὸ τῶν νόμων*, id est, a lege chordarum. *Serv.* — *Silvæ amnesque Lycæi.* Κατ' ἐξοχὴν montem Arcadiæ posuit; vel quia pecorosa; vel quia Pan illic est rusticum numen. *Serv.*

3. *Cætera, quæ vacuas tenuissent carmina mentes.* Hoc est, fabulæ, quæ delectationi esse poterant, et occupare mentes curis solutas, jam descriptæ a multis in omnium ore versantur. *Serv.*

4. *Quis aut Eurysthea durum.* Eurystheus rex fuit Græciæ, Persei genus; qui Junonis instinctu imperabat Herculi, ut varia monstra superaret, quibus posset perire : unde eum *durum* appellavit, qui potuit ad complendum odium novercale sufficere. *Serv.*

durum in imponendis imperiis Herculi? Quis nescit aras Busiridis Regis Ægyptiorum hospites mactantis? propter quæ in tale odium mortalium incurrit, ut illaudatus ubique diceretur, id est, nulla dignus laude, omni dignus contumelia. Quis non cecinit Hylam, Herculis puerum, raptum a Nymphis in fonte? quis non Delon, dictam Latoniam, quod ibi Phœbum et Dianam Latona pepererit? Quis nescit Hippodamen, quæ nupsit Pelopi? Quis non ipsum Pelopem, qui equis victoriam adeptus meruit nuptias Hippodames, et cui erat humerus eburneus pro carneo.

8. Absolvit, se quoque clarum futurum in hoc argumento

5. *Aut inlaudati nescit Busiridis aras.* Busiris rex fuit Ægypti; qui quum susceptos hospites immolaret, ab Hercule interemptus est, quum etiam eum voluisset occidere: hujus laudes scripsit Isocrates; unde *inlaudati*, participium est pro nomine; ut sit illaudabilis, non qui laudatus non sit, sed qui laudari non meruit; ut est illud in septimo Æneidos: *Dives inaccessos ubi Solis filia lucos*, pro inaccessibiles: non ad quos nullus accessit, sed ad quos nullus accedere debeat. *Serv.* — Hanc fabulam quæ nimis fera et sanguinea nobis videretur, veteres Græci in dramate satyrico et in comœdiis, instar convivii Cyclopum, risui excitando exhibebant, ut e fragmentis apparet Busiridis cujusdam, quem scripserant Epicharmus et Mnesimachus. Sed Homerus nihil de Busiride. *V. G.*

6. *Cui non dictus Hylas puer.* Id est, a quo. Horatius: *Scriberis Vario fortis et hostium*, pro a Vario. *Hylas* autem socius Herculis fuit, qui aquatum profectus, raptus est a Nymphis in Mysia. — *Latonia Delos.* In qua Latona enixa est Apollinem et Dianam; quam insulam ante vagam Apollo, ut in tertio legimus: *Mycone celsa Gyaroque revinxit*; ubi fabulam plenius diximus, stabilem fecit. *Serv.*

7. *Hippodameque.* Fabula talis est: Hippodame filia fuit Œnomai, regis Elidis et Pisarum: hic equos habuit velocissimos, utpote ventorum flatu creatos, qui procos filiæ multos necavit, sub hac conditione provocatos ad curule certamen, ut aut victus traderet filiam, aut victor necaret. Postea quum Pelopem amasset Hippodamia, corrupit Myrtilum aurigam patris, primi coitus pactione: qui factis cereis axibus, quum victore Pelope a puella promissum posceret præmium, ab ejus marito præcipitatus in mare est, cui nomen imposuit; nam ab eo *Myrtoum* dicitur pelagus. — *Humeroque Pelops insignis eburno.* Tantalus, pater Pelopis, volens deorum tentare divinitatem, invitatis eis, filium suum epulandum apposuit: a quo omnes dii abstinuerunt, excepta Cerere, quæ brachium ejus consumpsit. Postea punito Tantalo, quum dii voluissent ejus filium revocare ab inferis, Ceres ei eburneum brachium restituit. Quod ideo fingitur, quia Ceres ipsa est terra, quæ corpora universa consumit, ossa tantum reservans. *S.*

tractando non minus atque alios poetas in supra dictis; imo victorem se illorum fore.

10. Pendet sententia ex superioribus: qua te ratione *tolles humo*, Virgili, et *volabis* per omnium *ora?* Audite, ait: superbi sunt Græci Musis, et putant gloriam carminis ad Latinos non pertinere. Ego suscepta cum illis pugna, modo comes sit vita, illorum Musas primus in patriam meam transferam, referamque Mantuam palmas nobiles carminis, quod olim celebre fuit in Helicone monte Bœotiæ; nam hæc est Aonia.

13. Dicit, erecturum se templum in memoriam victoriæ, quam adepturus est a Græcis. Habet vero oratio αὔξησιν ἐκ τῶν περιστατικῶν: nam templum illud erit e marmore; erit in loco amœno ad aquam Mincii, Mantuani fluvii, ubi is amnis errat cum flexibus, ubi frequenti arundine coronatur: additque maximum ornamentum templi: nam Cæsar futurus est ædis illius tutelaris Deus; hujus rei nota est locus medius, in quo erit simulacrum Augusti; cujus in honorem ipse victor, atque

9. *Tollere humo.* Simili sententia Hor. Od. II, 3: « Cœtus vulgares, et udam Spernit humum fugiente penna. » Et Pindar. Olym. IX; ubi ait, non sibi attingendos λόγους χαμαιπετεῖς, *sermones serpentes humi.*

10. *Primus ego in patriam.* Ideo *primus*, quod ante illum nullus Mantuanus Poeta fuit: aut quia nullus exinde talis emersit. *Serv.* — Prius indicat potius Virgilii mentem, quia simplex et modestus semper fuit. — Tamen modestia non est eadem quæ humilitas: poeta romanus non solum inanimatas res, ut Hesiodus et Nicander, cecinit: sed etiam novas et animatas; curam scilicet pecoris, et apum. At in ipsis locis, ubi comparari possunt, miraberis quantum recedat Ascræus ille senex, et languidus iste Colofonius, cujus longæ dissertationes de frumento, de arboribus, de floribus, de leguminibus, ostendunt quæ fuerint Μελίσσουργία sua deperdita. *V. G.*

13. *Et viridi in campo.* Hic est campus, de quo ait: *Et qualem infelix amisit Mantua campum.* — *Ponam.* Pro exstruam, ut apud Phædr. III, 10; *tam angustam ponis domum:* sic apud Cæs. passim *ponere castella, castra; propter*, pro, *prope.*

16. *In medio mihi Cæsar erit, templumque tenebit.* Id est, ipsi templum dabo; et verbo usus est pontificali: nam qui templum dicabat, postem tenens, dare se dicebat numini, quod ab alio necesse fuerat jam teneri, et ab humano jure discedere. Quod autem dicit, *In medio mihi*, ejus templum fore significat: nam semper ei sacratus numini locus est, cujus simulachrum in medio collocatur: alia enim ad ornatum tantum pertinent. *Serv.* — Locus medius apud Romanos honoratior, ut semper apud hunc Poetam observare est.

17. *Tyrio conspectus in ostro.* In

ornatus purpura, ut qui sacra facturus, instituet in agro Mantuano ludos Circenses, in quibus quadrigas centum agitabit, ut solitum in Romano circo.

19. His Circensibus aderunt una varii generis Palæstritæ, ex ipsa Græcia advocati: cuncti enim Græci huc advolabunt certaturi cursibus, cæstibusque crudis, duris; relinquentque in gratiam mei, præ Mincio meo, Alpheum sum, apud quem Olympicos ludos celebrabant; præ meis agris, lucos Molorchi, ubi fiebant ludi Nemei.

habitu pontificis; cujus se officium dicit in templi consecratione sumpturum. *Serv.* — Servius et Heynius purpuream vestem sacerdotis esse volunt triumphatorisve; sed perperam; non intelligunt enim triumphum nunc esse peractum. Hic exhibentur ludi ad exemplum Circensium, qui Romæ a Tarquinii prisci temporibus inter Aventinum et Palatium in circo maximo habiti sunt et celebrati, ut Olympici. *V. G.*

18. *Centum quadrijugos.* Servius ita hunc locum notis enarrans, *centum currus* secundum antiquitatem dixit, sicut etiam *ad flumina*: « olim enim in litore fluminis Circenses agitabantur, in altero latere positis gladiis, ut ab utraque parte esset ignaviæ præsens periculum. » Hujus loci admonuit me nuper nomisma quoddam antiqui characteris cujus facies altera specie constabat *equitem* præ se ferente, *equum ad cursum secundum fluminis ripam concitatum*, cum hac ad infimam basin subscriptione, Decursio: quod Circensium symbolum, vel judicio D. Lambini, Servii, meæque in hunc locum sententiæ facile suffragatur. — Ad *flumina*, Mincii scilicet; non itaque hæc de Euripo interpretanda, quæ fossa est, qua Julius Cæsar spatium a subselliis separavit. *V. G.* — *Centum currus.* Quamvis Heynius vol. I, pag. 429 nostræ Edit. notam Servii *subtilem* et *nugatoriam* incuset, tamen Ruæus et Cl. Voss. Servianæ opinioni adhærent, putantque alludi hic ad pompam Circensium ludorum, in quibus die uno fiebant viginti quinque curruum missus, id est, emissiones curruum e repagulis et carceribus: singulis autem missibus quatuor currus exibant; singuli, pro sua factione, suis distincti coloribus; quatuor enim erant factiones, rubra, alba, prasina, sive viridis; et veneta, sive cærulea. Igitur centum currus Virgilii, missus indicant viginti quinque, seu Circensem unius diei pompam. Circenses autem ludi cursus equestres Olympicos imitabantur, Æneid. V, 288.

19. *Cuncta mihi.* In honorem meum; et hoc dicit: ex aliis agonibus ad me certatura Græcorum multitudo conveniet. Per *Alpheum* autem, Jovis Olympici agonem significat: nam *Alpheus* fluvius est Elidis, quæ civitas juxta Pisas est, in qua colitur Olympicus Juppiter. Eos autem ludos accipimus per Alpheum, qui olim Pythici dicebantur, vel Olympici, qui quinto quoque anno celebrabantur. *Serv.* et *Philarg.* — *Lucosque Mo-*

21. Ne quid desit ad magnitudinem poetici hujus triumphi, Virgilius ipse feret dona, coronatus olea tonsili, hoc est, resecta, aptataque ad venustatem. Hæc quum poeta scriberet, sese oculis obtulit triumphi imago, atque exsultabundus erupit in cupiditatem ducendæ jam ad circum pompæ, videndi victimas, videndæ scenæ theatralis, in quamcunque partem illa discederet versis frontibus; demum videndi Britannos, qui tollebant a theatro tapetia, peracta jam scena, in quibus ipsi serico opere depicti erant. Vidisti, ut obiter promittat facturum se in honorem Cæsaris ludos scenicos, et theatrales.

lorchi. Id est, silvam Nemeam, in qua celebratur agon in honorem Archemori. *Molorchus* autem pastor fuit, qui Herculem venientem ad occidendum Nemeum leonem, suscepit hospitio. *Serv.*

21. *Tonsæ olivæ.* Minutis foliis compositæ; ut, *Tonsisque ferunt mantilia villis:* habiturum se autem coronam tonsilem dicit. *Serv.* — Sacrificator plerumque ea fronde coronatus incedebat, quæ numini celebrato esset acceptior; eleganter itaque poeta memorat olivam, ut fertilitatis et pacis symbolum. *V. G.*

23. *Delubra.* Præter triplicem etymologiam, quam habet Asconius in divinat. Cincii sententia non explodenda videtur, affirmantis *delubrum* esse fontem vel lacum ante templum, ubi se deluerent. *E.*

24. *Vel scena ut versis.* Apud majores, theatri gradus tantum fuerunt: nam scena de lignis tantum ad tempus fiebat; unde hodieque permansit consuetudo, ut componantur pegmata, a ludorum theatralium editoribus. *Scena* autem quæ fiebat, aut *versilis* erat, aut *ductilis. Versilis* tunc erat, quum subito tota machinis quibusdam convertebatur, et aliam picturæ faciem ostendebat. *Ductilis* tunc, quum tractis tabulatis hac atque illac, species picturæ nudabatur interior: unde perite utrumque tetigit, dicens, *Versis discedat frontibus;* singula singulis complectens sermonibus; quod Varro, et Suetonius commemorant. *S.* — *Scena.* Nonnulli libri *scena* per e simplex, quod a σκήνη scribunt, sed saxa omnia *scæna* cum bivocali: veteres σκάινα, σκάνα, σκήνη agnoscunt: utramque disputationem invenias apud Dausquium in orthogr. *Emm.*

25. *Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.* Hoc secundum historiam est locutus: nam Augustus postquam vicit Britanniam, plurimos de captivis, quos adduxerat, donavit ad officia theatralia: dedit etiam *aulæa*, id est, velamina, in quibus depinxerat victorias suas; et quemadmodum Britanni ab eo donati, eadem vela portarent, quæ re vera portare consueverant; quam rem mira expressit ambiguitate, dicens *intexti tollant;* nam in velis ipsi erant picti, qui eadem vela portabant. — *Aulæa* autem dicta sunt, ab aula Attali; in qua primum inventa sunt vela ingentia, postquam is populum Romanum scripsit heredem. *Serv.* — Vide nostrum Ovidium vol. III, p. 232.

26. Redit ad templum, quod initio dicaturum se promiserat in honorem Augusti; et dicit, quæ in ipsis foribus fabricaturus est statuario opere. Nam in parte una statuet pugnas Augusti, in altera progenitores: pugnas ex auro, atque ebore solido, id est, non sectili, sed integro; progenitores ex lapide Pario: pugnæ erunt, victi Gangaridæ; victa Cleopatra; victus Antonius (Cleopatram, et Antonium signat per Nilum undantem bello, per columnas factas ex ære victarum navium); Asiæ urbes domitæ; pulsi incolæ montis Niphatæ; pulsi Par-

26. *Solido elephanto.* Ebore integro, non sectili. *Serv.* — Pugnæ referuntur hic ex anno 724 ad 734: manifestum itaque Virgilium, paulo etiam ante mortem quæ anno 735 acciderit, emendasse opus suum. Absurdum est, quod fabulant grammatici, eum jam anno 724 integrum poema absolvisse. Librum primum in lucem edidit, anno 719, quem duobus annis ante inchoaverat; et secundum librum anno 724. Qui primos tanta cura scripserit, sane et ultimos libros, non nisi perfectos, in lucem protulit: neque supponendum est poetam res futuras vaticinatum esse.

27. *Gangaridum. Gangaridæ* populi sunt bellicosi inter Indos et Assyrios, habitantes circa Gangem fluvium; unde etiam *Gangaridæ* dicti sunt: hos devicit Augustus. *Gangaridum* vero pro *Gangaridarum* posuit; quia hic Gangarida facit. Quod autem ait; *victorisque arma Quirini*, non est contrarium; nam Suetonius Tranquillus hoc de Augusto commemorat: « Quodam « tempore tres partes populi, con« sentiente senatu, obtulisse ei tria « nomina; Quirini, Augusti, Cæ« saris: ille ne, unum eligendo, « alias offenderet partes, primo « Quirinus est dictus: inde Cæsar: « post, in nomine permansit Au« gusti. » Unde eum Virgilius omnibus istis appellat nominibus: nam Quirinum, Romulum accipere non possumus; quia Gangaridas penitus ignoravit. *Serv.* — *Quirinus*, Sabinorum lingua, hastæ agitatorem significat; cognomen est Jani, Martis, inprimis autem Romuli; anno U. C. 727, Cæsari Octav. a senatu oblatum est. *V. C.*

28. *Undantem bello.* Quasi non undas, sed bella portantem; propter Antonii et Cleopatræ gravissimum prælium. — *Magnum fluentem.* Magne; ut, *Torvumque repente Clamat.* Serv.

29. *Ac navali surgentes ære columnas.* Augustus victor totius Ægypti, quam Cæsar pro parte superaverat, multa de navali certamine sustulit rostra; quibus conflatis, quatuor effecit columnas, quas postea Domitianus in Capitolio locavit; quasque hodie conspicimus; unde ait: *Navali surgentes ære columnas.* Nam rostratas Duillius consul posuit, victis Pœnis navali certamine: e quibus unam in rostris, alteram ante circum videmus a parte januarum. *Serv.*

30. *Niphaten. Niphates* et fluvius est, et mons, ut: *Et Cimini cum monte lacum.* Per *Niphaten* autem, populos juxta habitantes accipimus; nam nec fluvius, nec

thi, qui pugnant in fuga; rapta duo trophæa ab Dalmatis, et Cantabris; bini triumphi, qui habiti de pacatis oriente atque occidente: progenitores, Tros pater Assaraci; ipse Asmons unquam potest pelli. *Serv.* — Contra fidem priscorum, Parthis hunc montem, vel amnem, ut nonnulli volunt, adscribit Claudian. Carm. VII, 72: *Armenii Phasin, Parthi liquere Niphaten.*

31. *Fidentemque fuga Parthum.* Bene *fidentem;* tunc enim melius jaculantur sagittas. *Serv.* Quamvis vero a nullo non historico satis superque vulgata sit Parthorum pugnandi et sagittandi ratio, adjiciendum est tamen in eandem sententiam quod de illis ait Tacitus, lib. VI, 35; nost. Ed. tom. I, pag. 577, « Variæ bellantium species; « quum Parthus, sequi vel fugere « pari arte suetus, distraheret turmas, spatium ictibus quæreret: « Sarmatæ, omisso arcu, quo brevius valent, contis gladiisque « ruerent. »

32. *Rapta tropæa.* Raptim et sine labore quæsita. *Serv.* — *Et duo rapta manu.* Non est otiosa hæc adjectio *manu:* innuit siquidem Poeta, non hoc auspiciis bellum gestum imperatoris, sed eum præsentem et αὐτοπρόσωπον huic bello prælioque præfuisse, quasi socium consortemque periculi. — *Duo tropæa ex diverso hoste* propria manu *rapta.* Scilicet victoria de Orientalibus et regina Cleopatra, annis 723, 724 reportata; et Cantabrorum, Hispanicæ gentis, anno 729, in ditionem redacta provincia: his licet addere Britannos solo Cæsaris adventu (anno 727) in Galliam, ejus legibus sese subjicientes. Britanni enim perinde ac Germani, (Ecl. I, 62—66) Occidentales habebantur gentes. — *Ab utroque litore Oceani* (Prop. III, 7, 53, *ab utroque litore;* Æneid. VII, 100, *uterque Oceanus.*) Ambo brevi temporis spatio iterata sunt; Orientale videlicet tropæum captivorum extraditione anno 731 pacta, sed anno, 734 peracta, metu præsentis Cæsaris: quæ res in monetis, quasi fuerit deprecatio flexo genu facta, exhibetur: tropæum vero Occidentale, eo iteratum est, quod duces Carisius et Furnius turbulentos Cantabros et Asturios ad ultimam coegerint desperationem. Splendidissimam victoriarum, quæ erat orientalis, templum *Marti bis ultori* dedicatum celebravit. Cæsar lætitia exsultans, quod bis Romanorum dedecus ultus esset, idque sine pugna, soloque nominis sui terrore, hoc templum anno 734 solemnibus consecravit sacrificiis in Capitolio; ibique jussit servari signa recuperata, ut olim arma captivorum ducum in ædibus Jovis Feretrii. Quo magis diligentiam perspicere possis, qua Cæsaris victorias enumeraverim, confer Horat. II, Od 9, 18; III, 5; IV, 14, 41; IV, 15, 21. *V. G.*

34. *Stabunt et Parii lapides, spirantia signa.* In templo Cæsaris majorum, statuas ejus dicit se esse positurum, quas commendat et a pretioso marmore, et ab arte; dicens, *Spirantia signa:* sic alibi, *Vivos ducent de marmore vultus:* Item, *Pariusve lapis circumdatur auro.* Serv. — Paros, insula est Cy-

saracus cum prole cetera, Capyi, Anchise, Ænea, et reliquis usque ad Augustum : ita vero omnes vivide expressi, ut videantur vivere, atque spirare. Nec deerunt in hoc apparatu Deorum nomina; nam ii ipsi progenitores a Jove descendunt; quia videlicet Assaracus originem ducebat a Dardano filio Jovis, atque Electræ. His adjicitur Phœbus, ut qui Trojam condidit, unde nata est tam magna soboles. Ad finem operis hujus magnificentissimi statuetur quoque invidia; sed ita ut nihil audeat detrahere de Cæsare : nam illi Furiæ immineburit, totus Cocytus; angues et rotæ Ixionis; saxum Sisyphi; ne se audeat commovere.

40. Docilem facit Mæcenatem, attentum, benevolum : docilem; nam dicturus de sylvis Dryadum (sunt his sacræ sylvæ) ac de saltibus, in quibus nutriuntur pecora : attentum, quum ait *intactos;* attendet enim, qui audierit agi de re nova, atque indicta hactenus : benevolum, quum adjungit, jussa Mæce-

clas, in Ægæo mari; in qua mons est Marpessos, unde marmor excidituur candidum, ut ipse Virgil. Æn. VI, 471 : *Marpesia cautes.* Prob.

35. *Assaraci proles, demissæque ab Jove gentis Nomina.* Ponam, inquit, eorum statuas, qui a Jove usque ad Assaracum, et ab Assaraco usque ad Augustum originem ducunt. Assaracus autem avus Anchisæ, pater Capys fuit. *Serv.*

36. *Trosque parens.* Trojanorum rex, Ganymedis pater; a quo Troja nominata est. — *Trojæ Cynthius auctor.* Vel Apollinem dicit, propter muros Trojæ ab eo conditos; vel Cynthium regem Trojæ, quem in Troicis suis Nero memorat. *S.* — Sic Hor Od. III, 3: *Ter si resurgat murus aheneus Auctore Phœbo.*

37. *Invidia infelix.* Quæ invidentes efficit infelices. — Significatio horum versuum hæc est : Quisquis inviderit huic operi, debebit timere post excessum Furias, et vitæ supplicia, quæ pati creduntur mortui. — *Furias.* Tres Poetæ statuerunt, quarum nomina ἀλληκτὼ, τισιφόνη, μεγαίρα. Lactant. VI, 19; tres affectus nominat, qui homines in omnia facinora agunt præcipites; ut sunt *ira, cupiditas, libido.*

39. *Non exsuperabile saxum.* Quod contra montem Sisyphus volvit, cacumen tamen exsuperare non valet. Ovid. Metam. XIII : *Aut petis, aut urges rediturum, Sisyphe, saxum.* L. III, apud Lucretium exstant elegantissima carmina, quibus fabulam hanc convenire ait, in eos, qui magistratus et honores a populo expetunt summa animi contentione; inquit autem : « Hoc est adverso nixantem « trudere monte Saxum, quod tamen a summo jam vertice rursum Volvitur, et planis raptim « petit æquora campi. »

40. *Interea Dryadum silvas.* Donec laudandi Cæsaris tempus adveniat, interim Georgica scribo. *Intactos* autem ait *saltus*, quod ante ipsum, nullus Latine carmen Georgicum scripsit. *Serv.*

natis non esse mollia, sed magni ponderis; et sine illo nihil posse altum inchoari.

43. Fingit poeta amœnissime, instare jam turbam rerum, quas dicturus, neque posse tempus terere longis exordiis ad captandam benevolentiam, quando ad ejus jam aures Cithæron mons insonat, canes Taygeti, civitas Epidaurus, nemora hinnitibus equorum et mugitibus boum resonantia. Sunt hæc loca sua quæque dote conspicua; nam Cythæron mons Bœotiæ opimus est pascuis, canes Laconiæ (hanc enim partem signat per Taygetum montem ejus provinciæ) celebres, Epidaurus civitas Illyrii, equis clara.

46. Promittit, absoluto opere Georgicorum, cantaturum se pugnas Cæsaris; facturum, ut hujus nomen duret per tot secula, quot Cæsar ipse abest a Tithono.

49. Prima pars, de bobus et equis. Post propositionem, post suas et Augusti laudes, post invocatum Mæcenatem, aggreditur tractationem, dicitque eum, qui equos alit studio

42. *Te sine nil altum mens inchoat.* Ac si diceret; non meo ingenio, sed tuo fretus imperio, ad hoc carmen accessi. *Serv.*

43. *Vocat ingenti clamore Cithæron.* Hortantur nos ad scribendum illi montes, qui animalibus sunt referti. *Cithæron* autem pars est Parnassi, et mons Bœotiæ.

44. *Taygetique canes.* Id est, Lacones; nam Taygeta civitas est Laconiæ: et hoc ideo, quia dicturus est: *Nec tibi cura canum fuerit postrema. — Domitrixque Epidaurus equorum.* Epiri civitas est equis nobilis. *Serv.*

45. *Vox ingeminata remugit.* Duplicata per Echo: alibi, *Non canimus surdis, respondent omnia silvæ.* Serv.

46. *Mox tamen.* Id est, postquam Georgica conscripsero. *Et ardentes pugnas* legendum est; nam male quidam *ardentis Cæsaris* accipiunt; ut *is* communis sit syllaba. *Serv. — Accingar.* In magnis rebus suscipiendis utimur hoc verbo, juxta Donatum. Translatio est ab iis, qui aliquid strenue acturi, vestem altius cingunt, ne motus et crura, defluente toga, impediantur. *Emmeness.*

48. *Tithoni prima quot abest ab origine Cæsar.* Id est, tua facta tot annis celebrabuntur, quot anni sunt ante, usque ad mundi principium: et modo *Tithonum* pro Sole posuit, id est, pro Titane: nam Tithonus frater Laomedontis fuit, quem præliantem Aurora dilexit, et rapuit; a quo usque ad Cæsarem non valde multum tempus est. *Serv.* — Servius hic *Tithonum* pro Titane Sole accipit; sed nescio an usquam apud Poetas Græcos aut Latinos ea metonomasia reperiatur. Eustathius certe Homeri interpres historica fide Tithonum fratrem Laomedontis fuisse memorat: allegorico autem commento τιθωνὸν solem dici, διὰ τὸ παρταχοῦ τῆς γῆς τιτάλλειν τὰς ἀνθύας.

palmæ et victoriæ Olympicæ, aut qui alit juvencos, qui fortes sunt ad aratra; ante omnia debere incumbere in legendis, aut equarum, aut vaccarum matrum corporibus.

51. Agit primo loco de vaccis; adhibet vero signa decem vaccæ optimæ, quæ sunt; formæ totius torvitas: capitis magnitudo: cervicis longitudo: palearium demissio usque ad crura: lateris vastitas: quæ omnia magna sunt. Præterea, pedum auriumque hirsuties sub camuris et inflexis cornibus: maculæ aspersæ in corpore: asperitas in detrectando jugo, in movendo cornu; facies tauro proxima: altitudo corporis, nam est *ardua:* prolixitas caudæ, adeo ut verri possint pedum vestigia.

49. *Seu quis, Olympiacæ.* Dicturus est de armentis et gregibus. *Armenta* autem sunt equorum et boum, quod hæc animalia apta sunt armis: ut, scutis, boum coria; equi, prælio. *Greges* vero capellarum et ovium sunt. Ipse paulo post: « Hæc satis armentis, superat pars altera curæ, Lanigeros agitare greges hirtasque capellas. » Hæc tamen, id est, armenta et greges, sciendum, quod plerumque confundit auctoritas. — *Olympiacæ miratus præmia palmæ.* Studiosus curulis certaminis, quod geritur apud Pisas in honorem Jovis Olympici. *Serv.*

51. *Corpora præcipue matrum legat.* Magis *matrum;* per quod ostenditur, etiam patrum corpora esse requirenda. *Serv.*

53. *Crurum tenus.* Usque ad crura. *Tenus* si præpositio sit, ablativo casu cohærere dicit Servius, esseque hic adverbium. Sed enim, *Tenus*, cum nomine, quod sit numero multitudinis, genitivo sæpius junctum animadverti. Quintilianus: *aurium tenus in usum lingua perceperit.* Catullus: *nutricum tenus extantes:* ita enim is appellat *papillas*, quod inepte simul et inverecunde quidam legunt, *Jam Crurum tenus extantes.* Pier. — *Palearia.* Sunt pelles dependentes e gutture. Varr. *A collo palearibus demissis.* Colum. *Palearibus amplis, et pene ad genua promissis.* Pallad. *Palearibus largis, et circa genua fluentibus.* Et *Palearibus maximis.* Ovid. Metam. II: *Armis palearia pendent.*

55. *Et camuris hirtæ sub cornibus aures.* Id est, *curvis:* unde et *camera* appellantur. Præcipit autem aures, et magnas et hirsutas esse debere. *Serv.*

58. *Faciem tauro propior.* Imaginem, similitudinem totam. *Serv.* — *Propior.* In codice Longobardico, *Proprior* legitur. Sed vulgata lectio *propior*, a *prope*, castior est. *Pierius.* — *Ardua tota.* Vacca debet esse ardua: nam Columella: *Vaccæ probantur altissimæ formæ, longæque.*

59. *Gradiens ima verrit vestigia cauda.* De prolixitate caudæ, Auctor Geop. οὐρὰν προμήκη, καὶ φαύουσαν τῶν πτερνῶν: *Caudam prælongam et pertingentem calcanea.* Varro: *Caudam profusam usque ad calces.* Vid. Arist. lib. II, Part. Animal. 14: Colum. Pallad. et Plinius.

60. Docet legitimum tempus admissionis esse post annos quatuor, atque ante decem : nam cetera ætas inepta est genituræ, et aratris. Itaque quinque tantum annos assignat, et ad gignendum, et ad laborem aratri.

63. Spatium illud quinquennii vocat juventutem taurorum; tunc mares mittendi in fœminas, ut proles alia ex alia sufficiatur, restaureturque per generationem.

66. Reddit rationem superioris sententiæ : nam juventus cito avolat, quam sequuntur morbi, senectus, labor, mors ipsa; quæ omnia generationi infesta.

60. *Lucinam, justosque pati Hymenæos.* Hysteron proteron est : ante enim est Hymenæus, post Lucina consequitur. Item Hysteron proteron est : *Desinit ante decem, post quatuor incipit annos :* ante enim incipit, post desinit. *Serv.* — *Lucinam.* Observa politissimas locutiones Lucinæ et Hymenæi, ad signandos coitus bestiarum; transfert enim ad has quæ sunt hominum. — *Justos.* Non negligo notam Erythræi, interpretantis *justos Hymenæos,* nuptias legitimas, nam videlicet secundum leges contrahuntur. — *Pati.* Signatissima vox ad significandum pondus tauri, prementis in coitu tergum juvencæ. Non dissidet Horatianum *tolero* in Od. II, 5 : *Tauri ruentis In Venerem tolerare pondus.*

62. *Cetera.* Ætas scilicet, quæ est vel ante quartum, vel post decimum annum : et bene ostendit per hæc tempora, posse quidem armentis, sed inutilem, provenire fœturam. *Serv.*

63. *Superat gregibus dum læta juventas.* Dum suppetit : et dicit juvenili ætate eas debere concumbere; quia cito deficiunt, et quia tempora meliora depereunt. *Serv.*

64. *Solve.* Vox optima ad signandum effrenatum cursum, quo bestiæ rapiuntur in Venerem. — *Solve mares :* ante admissuram separabantur ab armento equi et Tauri; V, 123. *V. G.* — *Pecuaria.* Non loca; sed ipsa pecora dixit; ut alibi idem usurpavit *æstiva,* pro pecoribus quæ in æstivis agunt : « Nec singula morbi Corpora corripiunt, sed tota æstiva repente. » *Philarg.*

66. *Miseris mortalibus ævi Prima fugit.* Ista sententia non solum ad animalia pertinet, sed generaliter ad omnia. *Serv.* — Habere potest sententia hæc vicem proverbii, ut multæ aliæ. Horatius quoque in Arte Poet. dixit : « Multa ferunt « anni venientes commoda secum : « Multa recedentes adimunt. » — *Miseris mortalibus.* Ad verbum Homer. δειλοῖσι βροτοῖσι. Alibi : ὀϊζυροῖσι βροτοῖσι : et, δυστήνους ἄνδρας. Euripides quoque παλαιπώρους. Epitheton quod vere congruit; nam ut Seneca ad Marc. cap. 16 : « vita « est plena et infesta variis casibus, « a quibus nulli longa pax, vix indu« ciæ sunt. »

67. *Fugit.* Seneca in Hippol. *Ætate fruere, mobili cursu fugit.* Iterum : *Res est forma fugax.* Hor. Od. I, 11, 7 : *fugerit invida Ætas.* — *Subeunt morbi, tristisque senectus.* Naturalem ordinem tenuit;

69. Dicit in hoc negotio sæpe occurrere vaccas inhabiles jam fœturæ, quarum corpora permutanda erunt cum vegetioribus. Ideo concludit, semper reficiendam, et restaurandam sobolem, quin anticipandam, et præveniendam; ac velut sortito novos tauros quotannis mittendos in armentum vaccarum; hoc enim nisi fiat, soboles ibit pessum.

72. Post delectum vaccarum, transit ad delectum equorum. Ita vero ait rem considerandam, ut statim a primis annis adhibeatur cura maxima cum illis pullis, qui servandi ad admissuram equarum: quando ex parentibus optimis exsistet soboles optima: *submittere* hic est, destinare ad admissuram.

75. Accingit se ad narrandas notas illius equi, qui esse debeat admissarius, quas sane notas equus præbet per initia ætatis. Considerandus vero ordo, quem in re hac teneat poeta. Itaque generositatem incipientis pulli colligit ab Incessu, ab Audacia, a Forma, a Colore, ab Ardore. Incessus esse debet altior, et cum molli quadam, ac facili crurum repositione. Audacia inde colligitur, quod primus omnium viam capessat; fluvios transmittat, et pontem illam, quem nunquam tetigit;

dicens, advenire morbum, senectutem, mortem. *Serv.*

70. *Semper enim refice.* Vacat *enim*: sane dicit ante subveniendum esse; ut antequam pereant, reparentur armenta. *Serv.* — *Requiras.* Ex Græco fonte, nam Latino verbo *requiro*, omnino respondet Græcum ζητεῖν, etiamsi simplex.

72. *Est idem dilectus equino.* Ut habeant matres optimas. *Serv.*

73. *In spem statues submittere gentis.* Id est, quosvis admissarios fieri. Notanda sane exquisita varietas; nam in bobus matres ante descripsit: in equis admissarios ante commemorat. *Serv.*

76. *Altius ingreditur.* Cum exultatione quadam incedit. *S.* — *Mollia*, pro *mobilia*. Xenophon utitur verbo ὑγρὰ. Ennius de gruum turba dixit: « Perque fabam repunt et « *mollia crura reponunt.* » *V. G.*

77. *Primus et ire viam.* Matris præire vestigia. *Serv.* — His affinia illa Varron. Re Rust. II, 7: « Equi « boni futuri signa sunt, si cum « gregalibus in pabulo contendit, « in currendo, aliave re, quo po- « tior sit: si, quum flumen trave- « hundum est gregi, in primis pro- « greditur, ac non respectat alios. » Et Columellæ VI, 29: « Cum vero « natus est pullus, confestim licet « indolem æstimare, si hilaris, si « intrepidus; si neque conspectu, « novæque rei auditu terretur; si « ante gregem procurrit; si lasci- « via, et alacritate, interdum et « cursu certans æquales exsuperat; « si fossam sine cunctatione tran- « silit, pontem flumenque trans- « cendit. Hæc erunt honesti animi « documenta. » Quod de fossa attigit Columella, prior Xenophon, τάφρους διαπηδᾷν. *Cerda.*

78. *Ignoto ponti.* Per quem nunquam transierat. *Serv.* — *Ponti.* In

nullosque strepitus exhorrescat. Forma sita est in cervice, quæ esse debet erecta: in capite, quod exiguum; nam hoc est argutum: in alvo, quæ brevis, et substricta: in tergo, quod obesum, id est, pingue; in pectore, quod torosum, et luxurians. De colore tantum probat spadices (*bai-bruns*), et glaucos (*pommelés, ardoisés*); improbat albos (*blanchâtres*), et gilvos (*Isabelle lavé*). De ardore istæ sunt notæ: audito strepitu armorum, nescit stare in eodem loco, emicat arrectis au-

Romano codice, in Longobardico, et quibusdam aliis uno consensu *ponto* legitur. Quid enim equis cum mari? cum fluminibus vero et pontibus sæpe negotium. Quamvis in Calabriæ et Apuliæ locis equorum generositatem eo experimento probent, si ad mare impulsos, contra advenientes fluctus impavidos aspexerint, ideoque pullos innatationibus adsuefaciant. Est autem *ponto* scriptum in codice Mediceo. *Pier.*

79. *Nec vanos horret strepitus.* Ideo inter præcepta domandorum equorum monet Xenophon domitorem, ut equum δι' ὄχλου ἐλαύνειν, καὶ ποικιλοτάταις μὲν ὄψεσι, ποικιλωτάταις δὲ φόφοις πλουτίζειν: « per turbam circumferat, admoveat illum variis speciebus, variis strepitibus, et fragoribus. » At Varro ait: « eosque, quum stent cum maritibus, interdum tractandum, ne, « quum sint disjuncti, exterreantur; eademque causa ibi frenos « suspendendum, ut equuli consuescant, et videre eorum faciem, « et e motu audire crepitus. » *Gerda.* — *Ardua cervix.* Dicitur a Xenophonte equus ille καλὸς, θαυμαστὸς, ἀγαθὸς, *pulcher, admirandus, generosus*, videlicet μετεωρίζων ἑαυτὸν ὑφέδρα; *altius sese erigens*: supra etiam dixerat, equum arte discere αὐχένα διαίρειν: *cervicem tollere.* Auctor etiam Geopon. probat equum ὑψαύχενα; *cervicis altæ.* Et Pollux ex Xenophonte, τράχηλος εὐκαμπὴς, ὡς ἐλεφαντίνων· ἀλλ' οὐχ ὥσπερ κεπροῦ ὀρθός: *Collum concinne inflexum sit, ut gallis; non rectum, ut apro.* — Quintilianus verba, *illi ardua*, usque ad, *et gilvo*, parenthesin esse dicit, VIII, 2; nec reputavit primum agi de pullo in pascuis versante, et juveniliter ardente; mox animoso et adulto equo bellum spirante; denique de equo jam ætate confecto. *V. G.* — De capite, alvo, pectore toroso et variis equi coloribus, vide notas Vol. I, pag. 439, et seq. nostræ Edit.

83. *Gilvo.* Melinus est color, Gallice, *Isabelle lavé.* Multi autem ita legunt, *Albis et gilvo*: ut, non album et gilvum, sed albogilvum vituperet, quod falsum est: quod si singuli colores vituperandi sunt, quanto magis mixtus uterque? id est, albogilvus. *Serv.*

84. *Stare loco nescit.* Græci σφαδάζειν proprie de equis, qui præ lassitudine consistere nequeunt, quod Lucretio et Festo *talipedare*: sed et de equis dicitur gestientibus in cursum, et stare loco nescientibus, ut Plutarch. in Cæsare; μάλιστα δὲ ἐσφάδαζον οἱ ἵπποι ἐπὶ τὴν μάχην ἐκκρινόμενοι: quod equitibus, ut equis, tribuit: et Sophocl. σφαδάζει ὡς πῶλος εὐφορεία. *Germ.*

ribus, tremit toto corpore, efflat e naribus ardentes halitus: ad hæc, habet jubam densam, eamque in armum dextrum inclinatam, et spinam duplicem, id est, latam; cavat perpetuo terram, et sonat graviter cornu ungulato.

89. Probat, quæ dixit, testimonio Heroum, et Deorum, qui tales equos habuerunt. Nam talis fuit Cyllarus Pollucis; tales

85. *Collectumque fremens volvit sub naribus ignem.* Nihil certius ad ferocem et militarem equum cognoscendum, cujus nares patulæ esse debent et apertæ, non angustæ, ex quibus videatur ignes, ardentes certe anhelitus, eructare ac devolvere. — *Fremens*, in multis codicibus invenitur et apud Ascensium; nec video quo modo *premens* defendi possit; esset enim supervacua appositio verbi *conlecti*. Mancinellus interpretatur: collectus ignis e naribus fluit; sed ejus maxima pars intus remanet, equo spiritum retrahente. *V. G.* — Hic tacere non possum, quod nemo adhuc animadvertit de Seneca referente decem hos versus ad finem epistolæ 95: *Continuo pecoris generosi pullus*, etc... Vide, quæso, ingenii lusum, vel potius abusum mirabilem. Non aliam imaginem magno Catoni daret; non *alium* assignaret illi *vultum*, *non alium habitum*; denique admiratus invictam constantiam viri inter publicas ruinas non labantis, exclamat: *Luxuriatque toris animosum pectus.* Quis non ex animo doleat cæca partium studia, quæ, data qualibet occasione, laudes etiam alienas in suos detorqueant? Nam quæ Catoni conatur affingere Seneca, omnia Cæsarem exprimunt; ita de hoc duce Lucanus: *nescia virtus stare loco; acer et indomitus; impellens quidquid obstaret; impiger ductor, ferre priorem non potest;* ardet, ut *Eleus sonipes* qui *clamore juvatur*... de cæteris, Lector, tuum sit judicium.

86. *Densa juba, et dextro jactata recumbit in armo.* Tria prædicat de equo, jubam, et hanc densam, et hanc rejectam in armum dextrum.

87. *Duplex spina.* Aut revera duplex; aut lata, ut, *duplicem gemmis auroque coronam*: item, *et duplici aptantur dentalia dorso.* S. — Etiam Varro *spinam in equo duplicem* laudat. Turnebus XXVII, 35; Jos. Scalig. in Ceiri, et alii, *duplicem* interpretantur *magnam* et *latam*: *duplex ficus*, id est, magna. — Ait Xenophon duplicem spinam equitanti meliorem esse; spectanti vero pulchriorem. Sit itaque dorsum latum, pingue, et quo ad regionem sacram vergit, furcillatum. *V. G.*

89. *Amyclæi domitus Pollucis habenis Cyllarus.* Atqui Castor equorum domitor fuit: sed fratrem pro fratre posuit poetica licentia; aut certe ideo Pollucem pro Castore posuit, quia ambo licenter, et Polluces et Castores vocantur: nam et ludi, et templum, et stellæ Castorum vocantur. *Serv.* — *Amycle*, civitas Laconiæ. Xanthum autem dicit et Cyllarum equos, quos Neptunus Junoni dedit: illa Castori et Polluci, ut Poetæ Græculi fabulantur. *Philarg.*

equi Martis, atque Achillis, quorum Græci vates meminerunt. Non contentus testimonio illorum Heroum, et Deorum, addit in argumentum, Saturnum sese convertisse in equum ejus formæ, quam descripsit, attingitque obiter fabulam: erat Saturnus in monte Pelio cum Phylira filia Oceani; intervenit uxor Saturni Ops; a qua ne agnosceretur, se in equum convertit, qualem Numen potuit effingere.

94. Post tam floridam pubescentis equi descriptionem transit ad illum, qui deficit gravis jam morbo, aut gravior ipsa senectute. Hic ergo equus deficiens morbo, et ætate, abdendus est domi, ignoscendumque est illi; et senectus illa non turpis honeste tractanda.

96. Reddit rationem duplicem, cur abdendus domi. Prima:

91. *Martis equi bijuges.* Capiunt Servius, et alii δεῖμον καὶ φόβον, *Timorem et Pavorem*, qui finguntur equi Martis. Idem sentiunt et hic Ursinus ex Homero, et Lilius ex Calab. Syntag. 10. Sed vide diligentem certe operam Germani contra Servium, et adjunge ex me Artemidorum Oniroc. II, 35; qui ait, καὶ φόβος καὶ δεῖμος, οὓς ἔνιοι ἄρεος υἱοὺς λέγουσιν: *Pavor, et Timor, quos aliqui vocant Martis filios*, quod repetit cap. 44. Sed et Nonnus Dionys. II, eosdem facit Jovis ὑπάονας *ministros*: et adjicit, hos fuisse comites Jovis in defendendo cælo, *Pavorem* armatum fulgure, *Timorem* fulmine. *Cerda.* — *Et magni currus Achilli.* Pro equis: hi sunt Baliarchus et Xanthus. *Serv.*

93. *Conjungis adventu pernix Saturnus.* Dum cum amata Philyra Saturnus coiret, Ops ejus uxor advenit: cujus præsentiam veritus, se in equum convertit, qualem potuit numen imitari: exinde natus est Chiron, dimidia parte homo, dimidia equus. — *Pernix.* Ad equum refertur: nam Saturni stella tardissima est. *Serv.*

94. *Pelion.* Mons Thessaliæ, in quo Chiron habitavit. *Serv.*

95. *Hunc quoque.* Licet bonum et tot signis probatum. — *Morbo gravis, aut jam segnior.* Duo sunt quibus minuuntur corporis vires: senectus, et morbus; unde mire utrumque complexus est. *Serv.*

96. *Abde domo.* In domo: nam si adverbialiter vellet loqui, *domi* diceret. Tale est illud in quarto Æneid. 36: *Non Lybiæ, non ante Tyro.* Serv. — *Abdere;* e pristino splendore in ingloriam quietem amovere, ut apud Horat. I, Ep. 15; celeber ille gladiator *abditus agro*, et apud Sueton. cap. 12, Tiberius. Tibullus quoque irascitur quod formosissimas puellas Bacchus rure abdiderit II, 3, 65: et Horat. III, Od. 4, 38; de cohortibus bello fessis ait, *quas Cæsar abdidit oppidis;* id est, a victoriæ gloria summovet. Nec ullo modo *abde domo* simul significare potest; *absconde in domo*, et *remove a domo*, ut Gronovius vult; qui locum Nemesciani (Cyneget. 141), quo opinionem suam fulciat, perperam interpretatur; ibi enim *abdere domo* significat abscondere canem

inutilis est ad generationem : quin, si quando incumbit in hoc opus, tantum abest a voluptate, ut potius exerceat laborem quemdam ingratum sibi, et plenum fastidii. Altera : in bello nihil efficit; furit frustra, non aliter atque ignis, qui conjectus in stipulas statim languescit.

100. Hinc colligit observandum præcipue in equis, quibus sint animis, quo ævo : deinde, quæ alia studia, quibus parentibus geniti, quo dolore afficiantur victi, qua gloria victores.

in domo, per oppositionem cum nobilioribus canibus venationi idoneis. Quænam igitur esset lingua latina, si eadem verba nullo discrimine negarent aut affirmarent? Præterea, cur summovendus equus; si emptori prodesse possit, cur non et domino? An forte decipiendus est emptor. *V. G.* — *Nec turpi ignosce senectæ.* Cicero in Catone majore, et laudat et vituperat senectutem; unde dupliciter hunc locum intelligimus : aut, *Nec ignosce turpi senectæ;* aut, *Non turpi senectæ ignosce;* id est, abde, et ignosce senectæ, quæ turpis non est, quia per naturam venit. *Serv.*

97. *Frigidus in Venerem senior.* Locutio pudentissima : ita illa; *friget Venus :* ita et sequens; *trahit frustra ingratum laborem :* alius lasciviret, et offenderet aures : non sic Vates parthenicus : obiter attingit tempus, quo equi inepti jam ad admissuram.

99. *Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis.* Hac comparatione usi sunt plures. Ovid. Trist. V, 8; et Sil. Ital. lib. V : « Stipula « crepitabat inani Ignis iners, cas- « samque dabat sine robore flam- « mam. » *Emm.*

100. *Animos ævumque notabis.* Præcipue ante omnia ætatem et magnanimitatem requires; deinde cætera; id est, parentes et studium. *Serv.* — Equi optimam ætatem, Arist. Hist. Anim. VI, 22; et Columella a tertio anno, Palladius a quarto, ad vigesimum durare declarant : Plinius ultra trigesimum; contigit enim, ut equi post vigesimum annum e circo ad admissuram ducerentur, et ad quadragesimum usque huic idonei fuerint. Taurus, non ante quartum ætatis annum; sed, ut ait Aristot. non ante tertium, admissuræ idoneus : præter juventutis vigorem, aliæ res in admissario equo observandæ sunt. Ovid. Halieut. 67. Nost. Edit. Vol. I, p. 444. *V. G.*

101. *Hinc alias artes.* *Artes* hic virtutes; *prolem parentum* move posuit; est enim proprie liberorum; ut, *Geminam partu dabit Ilia prolem.* Philarg. — *Hinc alias artes.* Non tantum *ars* pro *virtute*, quam sermo est de brutis, sed etiam de hominibus. Plaut. in Trinummo I, 2, 34; *nam si in te ægrotant artes antiquæ tuæ :* ad hunc locum vide Muretum; sic Horat. Od. III, 3; *Hac arte Pollux*, etc. in eadem notione τέχνη Græce et *ἐπιτήδευμα*.

102. *Et quis cuique dolor victo; quæ gloria palmæ.* Vult probare, moveri equos vel amissione, vel acquisitione victoriæ; nam eo tendit sequens iste decursus; unde est paulo post : *Tantus amor laudum, tantæ est victoria curæ!* Lu-

103. Arripit occasionem evagandi poetice ad certamen curule equorum, in quo hi præcipue indicant, quo sint animo, quo ævo, quo studio, qua prole, quo dolore, qua gloria. Habet ista descriptio capita quatuor, initium cursus, aurigarum studium, equorum concitationem, effecta duo hujus cursus: in quibus omnibus observanda concitatio poetica non minor ipso certamine. Primo equi campum non occupant, aut tenent; sed corripiunt, et id certamine præcipiti; quibus vocibus ingens studii ardor exprimitur: ad hæc, non exeunt e carceribus, sed ruunt, sed effunduntur: quibus fulmen pæne agnosco e cælo ruens, aut imbrem effusum. De studio aurigarum, vide, ut juvenes (elegit optimam ætatem) jam spes arrigant erecti ad gloriam; jam, timore ignominiæ, pavore pulsentur, corda ab illis subsiliant, ac pæne saltibus hauriantur exeantque e pectoribus: ad hæc illi instant torto verbere, et dant lora proni in equos, in victoriam, in studia, in omnia. De concitatione equorum, vide ut axis volet; quem impetum cum hoc conferas? ut incalescat præagitatione; nam hoc indicat fervor; ut jam humiles ferantur currus hærentes terræ, jam auras provocent, et saltibus in sublime attollantur, ac si per auras iter facerent; in quibus omnibus nulla est mora, nulla est requies. Effecta sunt, tum arenarum globus, qui attollitur instar nimbi, et tempestatis: tum spumæ, et flatus, quibus equi præcedentes humescunt a sequentibus et æmulantibus ad arripiendam victoriam.

canus, I, 294: *Quantum clamore juvatur Eleus sonipes.* Serv.

104. *Effusi carcere currus.* Usurpative pro *carceribus; qui* ab *arcendo* dicti sunt: nam carcer est custodia noxiorum. *Serv.*

107. *Proni.* Videtur hic fuisse frequentissimus habitus aurigarum: nam in Æneid. V, 147, *pronique in verbera pendent.* Papin. Theb. lib. VI: *nunc avidi prono juga pectore tangunt.* — *Volat.* Ex Homero, οἱ δ' ἰκέτην: *hi autem volabant:* sermo est de equis. — — *Vi.* De equis quoque in hoc certamine Eurip. in Hipp. βίᾳ φέρων: *Vi ruunt.* — *Fervidus axis.* Alibi, *Frenaque ferventesque rotas:* nam tam rotæ quam axis, cursu calescunt. Horat. lib. I, Od. 1, IV: *Metaque fervidis Evitata rotis.*

112. *Tantus amor laudum!* Admirabilis hæc φιλοτιμία quæ vel maximos viros non dedeceat, pulcherrimam equi effigiem felici epiphonemate absolvit. Verum ex omnibus scriptoribus, qui variis populorum linguis equum descripserunt, nullus vel longo intervallo sequitur Divinum illud carmen, quo Deus ipse interrogavit servum suum Job; Cap. XXXIX, vers. 19: « Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo

113. Duo docet; quis equum assuefecerit ad currum trahendum; qui assuefecerint ad gyros: primum docuit Erichthonius; nam hic equos junxit currui, rotisque institit, rei prius dubio magnæ compos, effector, victorque: alterum Lapithæ, qui incolebant Pelethronium montem, et oppidum Thessaliæ

« ejus hinnitum? Numquid susci-
« tabis eum quasi locustas? gloria
« narium ejus terror. Terram un-
« gula fodit, exultat audacter: in
« occursum pergit armatis. Con-
« temnit pavorem, nec cedit gla-
« dio. Super ipsum sonabit phare-
« tra, vibrabit hasta et clypeus.
« Fervens et fremens sorbet ter-
« ram; nec reputat tubæ sonare
« clangorem. Ubi audierit bucci-
« nam, dicit; VAH; procul odora-
« tur bellum, exhortationem du-
« cum, et ululatum exercitus. » His exaratis, liceat exclamare:

Cedite Romani scriptores, cedite Græii.

113. *Primus Erichthonius.* Vulcanus, impetrato a Jove Minervæ conjugio, et, illa reluctante, effectum libidinis projecit in terram: inde natus est puer draconteis pedibus, qui appellatus est *Erichthonius;* quasi de terra et lite procreatus. Nam ἐρις, est lis, et χθὼν terra. Hic ad tegendam pedum fœditatem, junctis equis usus est curru, quo tegeret sui corporis turpitudinem. *Serv.* Vide nostrum Ovidium, vol. III, p. 190; ad notam 553, ubi fusius hæc tractantur. — An primus fuerit Erichthonius quadrigarum inventor, accurate persequitur vir multa eruditione insignis, Scefferus de re vehicular. lib. I, pag. 13, 14.

114. *Rapidus.* Velox. — *Victor.* Sui propositi effector. *Serv.*

115. *Frena Pelethronii.* Pelethronium oppidum est Thessaliæ, ubi primum domandorum equ repertus est usus: nam quum dam Thessalus rex, bobus exagitatis, satellites suos revocandos ire jussisset, cursu non sufficerent, runt equos, et eorum vel boves secuti, eos stimulis revocarunt. Sed hi visi, irent velociter, aut quum equi circa flumen Peneon pot capitibus inclinatis, locum dederunt, ut Centauri esse rentur; qui dicti sunt Cen ἀπὸ τοῦ κεντεῖν τοὺς ταύρους. cunt Centaurorum fabulam confictam, ad exprimendam næ vitæ velocitatem; quia constat esse velocissimum autem *Pelethronii* addidit. sunt et alii Lapithæ. *Serv.* — *Pelethronii.* Hic quoque dixit ut in superiore invento; exp tio, quam posui, Servii est longe capias ex Plin. VII, 56 Pelethronium virum quendam minat, qui primus strata equ et frænos invenerit; atque ea nio Turn. XXI, 9, poetam cat contra vulgus. Quin. Pl. ibidem primam gloriam equi nis Bellerophonti attribuit. phocl. in Œdip. Col. inventum fræni Neptuno attribuit, salten Attica. — *Gyrosque dedere.* Pro cuere: aliter enim frena dede et aliter gyros; et est syllep quum aliquid *assumitur, quod* tum supra non est.

hi frænа invenere, equum duxere in gyros, in saltus, in gressus replicatiles agglomeratosque.

118. Ait, utrumque laborem, videlicet conjungendi equi ad currum, et circumducendi ad gyros, parem esse, et ideo a magistris equorum quæri equum habilem ad utramque rem, qui sit juvenis, calens animis, acer cursu. Hæc enim nisi habuerit, parum refert; quos hostes in bello vicerit: qua patria sit natus, Epiro ne, an Mycenis: qua origine; sit ne procreatus ab equo illo, quem Neptunus produxit.

123. Hactenus de delectu tam boum, quam equorum ad admissuram: jam de ipsa admissura. Præcipit vero primo

116. *Impositi.* Nota hoc verbum dari domitoribus equorum. Ita Manil. lib. IV; ex correctione Scaligeri: *Quadrupedum genus impositis domitare magistris.* — Ephippio insidebat eques romanus; quocirca a Germanis ut effeminatus irridebatur: mox mollioribus pulvinis usi sunt proceres. Denique quarto nostrorum sæculo inventæ sunt *sellæ*, primum ad peregrinationes adhibitæ, et cestum circiter post annis etiam ad bellum. *V. G.*

117. *Insultare solo.* Hanc descriptionem equi, ad alterius voluntatem gyrantis se, insultantis, et agglomerantis gressus, ex Vario retulit Heynius, vol. I, pag. 445, nostræ Edit. sed non explicuit, quomodo *gressus* equorum *glomerari* possent; id est, colligi reductis et in arcum replicatis cruribus anterioribus, dum posteriora tenduntur.

118. *Æquus uterque labor.* Par est difficultas, cura et laus in arte currendi, et in delectu equi admissarii. Ruæus et alii male putant hic tantum agi de utraque arte *aurigandi* et *equitandi.* — *Æque juvenem*, etc. Magistri equorum, ἵππων διδασκάλοι, admissarium seligunt, qui sit juvenis, fervidus animis, velox pedibus, equum senem rejicientes, quamvis fuerit sæpe victor, quamvis genere nobilissimo procreatus.

122. *Neptunique ipsa deducat origine gentem.* Ab equo Neptuni, qui natus est tridentis percussione. *Serv.* — *Gentem.* In Romano codice non *gentem*, sed *nomen* legitur. Quod vero equos ullos, a Neptuno deducere dicat originem; non quod tridentis percussione equus exilierit, in quo Servius falsus est; neque quod se Ceres in equam mutaverit, ita a Neptuno compressa, unde generosos equos genitos ait Probus: sed quia Neptunus quorumdam equorum auctor fuit, ut Pegasi, et alterius in Thracia percusso scopulo; veluti Medusa Arionis, Ceres Odorimi, quem Adrastus habuit. *Pier.* — Hic forte de primo equo, sermo est quem tridente creavit Neptunus. Magistri genera equorum ad illum referre conabantur eodem nisu, quo genealogi veteres familiarum originem ad Jovem; recentiores vero ad Carolum magnum, vel ad *Witikind.* V. G.

123. *His animadversis.* Moribus et ætate deprehensis. — *Instant sub tempus.* Coeundi scilicet; quo

loco, taurum illum, qui debeat esse dux et maritus vaccarum, omni cura sub tempus admissuræ largiter saginandum datis herbis, administrato potu, exhibito farre, ne nequeant, id est, ut queant esse superstites et firmi blando labori Veneris: nam si jejuni et debiles accedant ad coitum, erunt nati etiam debiles, et referent paternam maciem. Hic te moneo, totum hunc tractum capiendum de tauro, non de equis, etiam si præcepta possint, imo debeant utrique pecori accommodari: quæ enim postea sequuntur de asilo, et vitulis, clare efficiunt ista capienda esse de tauris.

129. Docuit patres saginandos ante coitum, longe aliter de matribus: nam armenta vaccarum ante admissuram de industria sunt extenuanda jejunio et macie: quin ubi jam sollicitantur voluptate ad coitum, arcendæ sunt a pabulo, arcendæ

equis cura major adhibeatur a magistris sollicitis. *Serv.*

124. *Denso distendere pingui.* Non laxo; quod quibusdam potionibus per fraudem agasones facere consueverunt: unde ait, *Denso pingui:* id est, viribus pleno: duplex adjectivum, pro substantivo et adjectivo, ut Georg. lib. I, 193; *aperta serena:* sane *pingue* est generis neutri; et ita in omnibus idoneis invenitur: nam nec *pinguedo*, nec *pinguetudo* Latinum est. *Serv.*

125. *Ducem.* Pari genio postea de tauris, *regna;* et in Æneid. XII; *quis pecori imperitet.* Et Oppian. lib. II: κεράων ἡγεμόνα, *cornutum ducem.* Minucius: « Rex unus apibus, dux unus in gregibus, in armentis rector unus. » — *Dixere.* Sunt, qui legunt *duxere*, sed interprete Philargyrio, *dixere* convenientius; designavere *maritum*, ut supra v. 60, *justos hymenæos* jam armentis tribuerat.

126. *Pubentesque secant herbas.* Adultas, maturiores, succi plenas, qualis est homo, quum viridi ævo pubescit; Æneid. IV, 514; quibus robur acquiritur. *Serv.* — In plerisque Italiæ locis prata ter tondebantur, et ultima æstate urebantur, quo lætius succederent herbæ novæ. Lucan. IX, 182; Silius, VII, 365; Virgil. Æneid. X, 405; XII, 522. Editores quidam hujus consuetudinis imprudentes *florentes* scripsere, sed perperam. *V. G.*

127. *Blando.* Mire *blandum laborem* coitum dixit, quod sit cum voluptate. *Philarg.* Vide notas, vol. I, pag. 446 et 447, ubi seqq. recte explicantur.

129. *Tenuant armenta.* Λεπτύνουσι, et λειτουργοῦσι Plato, ex nota Germani Armentarii *volentes*, id est, de industria, equas, ut et vaccas, emaciant. — Varro et Columella docent unicuique admissario equo dari quindecim ad viginti equas insiliendas; idem Varro duobus tauris sexaginta ad septuaginta vaccas submittendas: at Columella quindecim, et Plinius decem tantum volebat cuique taurorum tradi. *V. G.*

131. *Frondesque negant et fontibus arcent.* Contra illud, *pubentes-*

a potu : addit etiam, cursu vexandas, fatigandas sole æstivo, destinandasque ad laborem areæ : quibus verbis poeta videtur periphrastice signare diem medium. Hoc, inquit, faciunt, ne usus partis genitalis, quam hic vocat arvum, sit luxu et pinguedine obtusus, ac perinde oblimet inertes sulcos, id est, claudat meatus viamque semini : sed potius sitienter atque avide arripiat semen, recondatque, quam possit, intus.

138. Dixit, saginandos tauros ante admissuram, vaccas macerandas jejunio et laboribus; jam post coitum docet, aliam esse debere rerum rationem; nam cura patrum negligenda est, assumenda matrum. Ergo, quum gravidæ jam viçinæ sunt partui, hoc est enim exactis mensibus, non sunt onerandæ plaustris, non cogendæ ad saltus, non ad cursus, non ad tranandos fluvios : quin potius pascant in saltibus vacuis,

que secant herbas, fluviosque ministrant. Serv.

133. *Quum graviter.* Hoc est, die medio : hoc autem ad exprimendum diei tempus est positum; non quod equæ æstatis tempore coeant. *Serv.* — *Tunsis.* Quæ tunduntur : non enim quum tunsæ sunt, sed quum tunduntur. Hic loquitur de Tritura, quæ fit in agro Mantuano, et Euganea fere omni, circumductis per aream equis, qui spicas suis pedibus pertundant.

135. *Nimio ne luxu. Nimio*, pingui : et bene rem turpem, aperte a Lucretio tractatam, vitavit translationibus, quas omnes ab agricultura traxit.

136. *Genitali arvo.* Pari honestate uterum sive vulvam *muliebrem folliculum* appellabant : *fundum* Plautus : *scrobem* Arnob. item *Naturam*, auctor Priap. ut et Græci φύσιν, et Aristoteles θορικοὺς πόρους. *Taubm.* — *Sulcos oblimet inertes.* Claudat meatus : et hoc similiter per translationem dixit : nam legimus supra : *Et obducto late tenet omnia limo.* Serv.

139. *Exactis gravidæ quum mensibus errant.* Vicinis partui : tunc enim diligentius tractandæ sunt, ne partum abigant. *Serv.* — Cerdæ et Ruæi constructio falsum exhibet sensum : *Incipit, exactis — errant. Non* — neque enim primum, quum exactis mensibus gravidæ, quod vere proximo tantum accideret, curandæ sunt : sed confestim post coitum primis mensibus, quum flumina exsiccant caniculæ ignes, tunc quietæ sint, nec motus faciant immodicos. Col. VII, 27; Varro, II, 7 : « Prægnantem neque « implere cibo, neque esurire oportet. » *V. G.*

140. *Non illas gravibus. Gravibus* aut epitheton est plaustrorum, aut *gravibus* onustis dixit : sed poetice plaustris juga ducere, non jugis plaustra. *Philarg.*

141. *Saltu superare viam.* Quod solet fieri, quum pascunt pedibus impeditis. *Serv.*

145. *Saxea procubet.* Nove *saxea umbra*, quæ saxis fiat, et *procubet*, protendatur. *Philarg.* — Ita infra, 334; *sacra nemus accubet umbra.*

magnis, pascant juxta plena flumina, ne inclinentur ad potum : sint illa pascua, tum plena musci, viroris, graminum. tum speluncarum atque umbrarum ad refrigerium.

146. Occasione vaccarum, quæ recreandæ sunt in locis pascuisque virentibus, gradum facit ad explicandam familiarem pestem, quæ esse solet in his locis, ut magistri pecorum ei provideant. Sumit vero exemplum κατ' ἐξοχήν a Lucania, ubi fluvius Silarus, et mons Alburnus subjecti huic pesti : ait itaque, in his locis esse asilum, tabanum intellige; quod animal Græci οἶστρον nominant; nam asilus Latina est et Romana vox.

149. Asilum describit ab asperitate, qua pungit pecora; ab acerbitate, qua resonat; ab affectibus boum; nam armenta fugiunt per sylvas tam diro sonitu exterrita; si quando vero percussa sunt, furit mugitibus boum et doloribus æther. sylvæ ipsæ, et tota Tanagri ripa. Est fluvius Lucaniæ, et ideo siccus, quia tabanus æstate furit, quo tempore siccæ, ut plurimum, flumina.

152. Probat exemplo. Io Inachi fluminis filia mutata est in vaccam ab Jove, volente sic celare adulterium suum; agnovit pellicem Juno latentem ferina forma : petiit illam ab Jove;

146. *Est lucos Silari circa ilicibusque virentem*, etc. Ordo talis est; circa lucos Silari, fluminis Lucaniæ, et Alburnum ejus montem, est plurimus volitans; ac si diceret, est multa musca : *volitans*, absolute : hic nomen est, non participium. *Serv.* — *Silarus*, nunc *Selo*. — *Tanager*, nunc *Negro*. — *Ilex*, arbor glandifera, *yeuse*. Ruæus.

148. *Œstrum Graji vertere vocantes*. *Vertere* ex soni similitudine, Onomatopœiam fecere. Non enim possumus accipere, ex Latina lingua mutavere, quum constet Græcam primam fuisse. *Œstrum* autem Græcum est : Latine *asilus*, vulgo *tabanus* vocatur; Gallice, *taon*. Serv. — Græci multis modis voce οἶστρος usi sunt, ad quemcunque furorem designandum. Nuperi, et jam Statius *æstrum* de poetico ingenio intelligunt; nec insulsa locutio; quippe qui sui ingenii igne incitatus est, ad illum armentorum furorem propius accedit : Odyss. XXII, 297. *V. G.*

151. *Sicci Tanagri*. Non multum valentis. Tanager autem fluvius est Lucaniæ; et *sicci* ad tempus æstatis relatum est : est enim torrens hyeme : et hoc dicit, armentorum mugitu cuncta resonare. *Serv.*

152. *Hoc quondam monstro*. Argumentatur ab exemplo; dicens, œstro contra pellicem se defendisse Junonem. Nota autem est fabula : Io Inachi filiam a Jove Junonis adventu conversam esse in vaccam, cui Juno immisit œstrum : quo fatigata toto orbe tandem aliquando venit ad Ægyptum, et illic in Isim conversa est. Transiit autem per mare angustum, quod Bosphoron appellatum est, nunc Hellespontum nominatur. *Serv.*

ille annuit; ac tunc Juno immisit juvencæ hanc pestem, quæ in miseram acerbissime sæviit.

154. Absolvit, vitari posse hoc malum, si pecora, quum sunt gravida, exeant ad pastum tempore aut matutino, aut vespertino; nam asilus de medio instat acrior, adhærescit pecoribus.

157. Docuit curandos patres ante admissuram, post istam matres: nunc ait, uti harum negotio deposito, cura tota transferenda sit ad sobolem: itaque dicit, natis vitulis statim inurendas esse notas gentilitatis, et prosapiæ; secernendosque, ac

153. *Pestem meditata juvencæ.* Vel quam pestem ante excogitaverat: vel *meditata*, inferens et exercens accipiamus. Horatius: *Horrendamque cultis Diluviem meditatur agris*, id est, infert, exercet: nam et in ipsa meditatione exercitium est. *Serv.* — *Inachiæ.* Inachi filiam, quam in bovem conversam œstro percussisse Juno dicitur. Illa se in mare præcipitavit, quod Ionium vocaverunt; et Isis dicitur, quasi sola Dea: hoc enim Ægyptiis placet.

154. *Fervoribus acrior instat.* Tunc est acrior: et dicendo tempus, ostendit quemadmodum possit evitari. *Serv.* — Homerus quoque Odys. XXII, ait asilum fervere ὄρῃ ἐν ἐαρινῇ: *verno tempore.* Varr. Rei Rustic. II, 5; ætatem signat, in qua vaccæ concitantur tabano.

155. *Gravido pecori.* A gravido pecore: nam *arceo a te* dicimus. *Serv.* — In voce pecori, suspensio sensus ac cesura versus servat τὸ i; nec eum sequente vocali fit elisio. Librarii quidam adjecta particula *que*, locum restituendum credidere: hac emendatione non opus est. *V. G.*

157. *In vitulos.* Modo generaliter et de equis et de bobus accipimus. *Serv.*

158. *Notas, et nomina gentis inurunt.* De hoc more fuse dictum Georg. I; ad illud: *Aut pecori signum, et numeros impressit acervis.* Illud, *gentis nomina*, libenter retuli ad prosapiam, nobilitatem, et patriam pecoris, non ad possessorem, etiamsi videam hoc defendi posse. Bene Servius *notas* vocat *characteres*; inde χαράττειν et χαραττηρίζειν: characteres Græce ἐγχαύματα, id est, notæ ferro candenti inustæ. — Verborum series, quæ doctos fefellit viros, sic ordinanda est: *notas inurunt: Et nomina gentis, Et quos aut, — aut — aut.* — *Notæ inustæ* partim originem indicant, partim usum, ad quem servantur vituli. Similis transpositio invenitur Æneid. V, 62: *adhibete Penates, Et patrios epulis, Et quos colit hospes*: Æneid. XII, 393, *Ipse suas artes, sua munera lætus Apollo augurium citharamque dabat, celeresque sagittas.* Et in Ovid. Metam. VIII, 428: *Protinus exuvias, rigidis horrentia setis terga dat, et magnis insignia dentibus ora.* Vide I, 25; III, 295: litteris aliisque indiciis pecora et armenta signabantur, ultimo Januario: quæ vero tardiore partu nata, mense aprili. Col. XI, 2, 14, 38: I, 263. Plinius autem VIII, 42, 64; putat, Alexandri equum *ab insigni Tauri capitis arma im-*

dibus magistrorum, gaudeatque ad sonitum illum, qui excitatur ad plausam cervicem : audiat, et patiatur hæc omnia, quum primum a lacte depellitur : quin etiam, quum primum natus est, quum est invalidus, tremens, ac vivendi inscius, assuefiat capistris, quæ esse debent mollia, ne lædatur.

190. Pergit ad alterum præceptum de domitura, quod exercendum quarto ætatis anno : equus hoc ævi assuescat et gyro, et cursibus, et saltibus militaribus. Hispani dicunt, *hacer mal al caballo.* Hunc gyrum, hos saltus explicat per versus quatuor. Clara omnia sunt : tantum illud, *sinuetque alterna volu-*

185. *Blandis gaudere magistri Laudibus.* Est hoc ingenium equorum, ut plurimum ducantur laude, blanditiis, illecebris. Philo lib. de Agricultura : ὅταν μὲν οὖν ὠνίας προίῤχηται καταῤύχει ὁ ἱππεὺς ὡς ἂν ἐπαινῶν τὸν ἵππον. Homerus attigit Iliad. XVII, quum ait, equos non solum minis duci, sed etiam μειλιχίοισι, *blandis verbis.* Sic Achilles affatus suum Xanthum, Mezentius Rhœbum. *Emmen.*

186. *Et plausæ sonitum cervicis.* Infra Æneid. XII : « Circumstant « properi aurigæ manibusque la- « cessunt Pectora plausa cavis, et « colla comantia pectunt. » Sonum autem illum ex collisione manuum, et palpationem in equis vocant Græci ποπὐνομὸν, et ποππύζειν. *Ger.* — Hoc pacto Bucephalus domitus ab Alexandro, quum Philippus, et qui circa eum erant, equum, tanquam efferatum nimis aspernabantur, et reformidabant.

188. *Inque vicem.* Frenorum scilicet, ne adhuc tenera ora lædantur. *S.* — *Det mollibus ora capistris.* Ut frena ori inserebantur, sic capistra capitibus adhibebantur, ne ora læderentur. — Græci appellant χαριστόμιον. Vid. Hesych. de capistris; et Sceffer. de Re Vehic. I, 13.

190. *Ubi quarta accesserit ætas.* Vere enim nasci solet pullus. Alii *ætas.* Hæc utique lectio omnium fere *codicum* antiquorum est, uno illo vetustissimo excepto, quem Romanum *appellamus*, in quo legitur : *Ubi quarta acceperit ætas.* Cæterum *ætas* agnoscit Servius, exponitque *quarta ætas*, quartus annus, qui velit ætatem accipi multipliciter : neque ignorat Varronis præceptum, post annum tertium melius esse pullum *domare* : mihi vero neque *acceperit*, neque *ætas*, displicent; nam phrasis ista est nota Maroni, bis Æneid. I, 265; 755 : semel, V, 626.

192. *Sinuetque alterna volumina crurum.* Etiam Plinius *Asturcones* gentis Asturicæ in Hispania *equos* laudat, VIII, 42 : « quibus mollis « alterno crurum explicatu glome- « ratio est, quique *tollutim* incer- « sus carpunt. » Martial. XIV, 199 : « Hic brevis ad numerum *rapidos* « qui colligit ungues, Venit ab au- « riferis gentibus Astur equus. » Ingens tamen discrimen esse tradunt inter nostros et illos veterum, ut Seneca appellat, *tolluturios.* Taubm.

193. *Sitque laboranti similis.* Præparetur ad futurum laborem. *Serv.* — Non assentior Servio; et arbitror non hic agi de vero *labore*,

mina crurum, est; flectat volutetque crura alternatim, et per arcus molliter sinuosos ac elegantes projecta.

196. Explicat comparatione, quæ dixit. Vidisti impetum, quo incumbit Aquilo, quum flans a montibus Hyperboreis differt, dissipat hyemes, et nubila Scythiæ arida (ita vocat, quia sine pluviis, ut est pars tota illa Scythiæ, quia subjecta Aquiloni); tum segetes horrescunt flabris; sylvæ dant sonitus; fluctus urgent se impelluntque ad litora; ventus interim volat, et tam arva quæ maria perverrit. Talem volo equum illum. Per *campos natantes* intellige messem ipsam sese crispantem fluctuantemque, flante Borea.

202. Dicit equum, quem descripsit, optimum fore, vel ad certamina Olympica Elidis, vel ad agitanda esseda Belgarum in prælio: nullis spatiis Olympiæ, nullo spumarum cruore, nullis prœliis fatigabitur: itaque versus isti respondent illis, qui

sed de conatibus anxiis, quibus cogitur gressus concinni elegantiam et velocitatem simul assequi.

195. *Vix summa vestigia ponat arena.* Alludere videri potest ad Ladan, Alexandri cursorem, qui pendentibus vestigiis vix arenam signabat; cujus Solinus meminit, et Catullus, et Martialis Epig. lib. X: « Habeas licebit alterum pedem « Ladæ, Inepte frustra crure ligneo « curres. » De mira equorum pernicitate, qui vento concepti ideo narrantur, vide infra, 275; et Justin. XLIV, 1 et 3.

196. *Qualis Hyperboreis.* Hyperborei montes sunt Scythiæ; sic dicti, quod supra, id est, ultra eos flat Boreas. Dicit autem, sic currat equus, ut ventus. *Serv.* — *Densus aquilo.* Quem constat densare et constringere, ut Austrum *laxare* et *resolvere*: vide Arist. Meteor. Sic Germanus: sed hujus sententiam ipse refellit Maro; *Æn.* V, 696, *densis Austris imber nigerrimus*, indicat eamdem esse utriusque venti vim, impetum et densitatem: unde concludo *densum* ventum significare, qui totis et confertis viribus, sine ulla intermissione perpetuus spirat, ἀθρόον.

197. *Arida Nubila.* Sine pluviis. — *Differt.* Dissipat. Sic Lucret. lib. I, 273: « Ingentesque ruit na- « ves, atque arida differt Nubila. »

202. *Ad Elei metas.* Id est, fines Circi. Elis autem civitas Arcadiæ, in qua agebatur curule certamen, et est species pro genere. *Serv.* — *Elei campi.* Maximi ex omnibus, quod sint pedum septingentorum, quum alii minus. *Philarg.*

203. *Spumas aget ore cruentas.* Quod est signum equi fortissimi, si velut rubras egerit spumas. *Serv.*

204. *Belgica esseda.* Gallicana vehicula: nam Belgæ civitas est Galliæ, in qua hujuscemodi vehiculi repertus est usus. *Serv.* — De nomine, figura, et omnibus quæ spectant *essedum*, sive *essedam* (utriusque enim suppetit auctoritas) nemo luculentius quam Sceffer. de Re Veh. II, 23; ubi Servium et Philargyrium interpretatur.

initio positi, de studio, aut ad bella, aut ad certamina Olympica : quasi dicat; hic equus tibi optimus erit ad spatia Olympica, si tibi studium prælabi Alpheum Pisæ : hic collo feret Belgica esseda, si tibi studium ad bella, et feroces turmas.

205. Absolvit rem cum admonitiuncula, videlicet dandam equo farraginem post domituram, non ante illam : nam si ante illam, difficile admodum domabitur, neque parebit verberibus aut frænis.

209. Addit nunc, nihil magis ad domituram prodesse, quam avertere amorem, et amoris caussas, sive a bobus, sive ab equis.

212. Inde est, inquit, ut tauri (nam in his exemplum adhibet, relictis equis) seorsim a fœminis debeant pasci, aut trans montem et flumina, aut clausi in præsepibus, quia fœmina videndo, dum videtur, tauri vires extenuat, urit, a pastu revocat : quin suis illecebris mares cogit ad certamen. Ergo, sint magni montes interjecti; sint flumina latissima, non solum ut natatus sit difficilis, ut vult Servius, sed ut ipso aqueo et vaporoso halitu interjecto non totus odor adferatur ad nares.

219. Occasione hujus rei, narrat graphice et sublimiter pugnas taurorum, quum incensi in amorem vaccæ. Hæc enim si in Sila pascitur, et formosa est, illi statim prælium conse-

207. *Tollent animos.* Ex Græcis, qui etiam de equis dicunt θυμὸν, et ferocientem vocant θυμοειδῆ. Philo etiam de Opif. Mundi θυμικώτατον ζῶον ἵππος : *equus animal est animosissimum.* Ut vero placuit Virgilio locutio ista in equis, ita etiam in satis; Georg. II, 350, *animos tollent sata.* Cerda.

208. *Verbera lenta.* Quæ a loro flexibili inferuntur. Sic Plautus in Asinar. III, 2, 29 : *Ulmeis affectos lentis virgis.* Phædr. Fab. III, 7 : *jugum flagello temperat lento meum :* sic *vincula lenta.* — *Duris parere lupatis.* Frenis asperrimis : dicta autem *lupata* a *lupinis dentibus*, qui inæquales sunt; unde etiam eorum morsus vehementer obest. *Serv.*

218. *Cornibus inter se.* Vide eamdem comparationem Æn. XII, 715. Lucretius autem *cernere* pro *decernere* usurpavit. Concursum autem cornutorum animalium κυρτασίαν vocant Græci. *Germ.*

219. *In magna silva.* Nos *Sila* legimus, qui mons Lucaniæ; ut ait Servius, ut in Æneid. loc. cit. *Ac velut ingenti Sila summove Taburno;* ubi utrumque speciale est. — *Sila* est etiamnum regio inter Cosenza et Catanzaro quæ dicitur *la Sila.* Strabo, Cicero, Plinius, Sallustius, omnes *Silam* esse silvam declarant : si Lucaniæ mons esset, cui bono adscripsisset Virgilius *magna*; nam opus fuisset dicere, *magno.* V. G.

220. *Illi alternantes.* Eadem ἀντε-

runt, sese impetentes alternis et crebris vulneribus, unde sanguis fluit adeo copiosus, ut perfundere totos, et abluere videatur.

222. In tam acri pugna, non omittit poeta mentionem cornuum, non fremitum sylvarum, et cæli resonantis ad vastos ictus. Illud *cornua urgentur in obnixos* est perinde ac si diceret: hic urget premitque acriter cornibus alium obnitentem, et contra resistentem.

224. Post pugnam, esse nequeunt bellatores tauri in loco eodem; excedit victus; exsulat in loco ignoto; gemit doletque inultus ignominiam amissæ gloriæ, acceptas plagas, amores perditos. Excedit vero cum ingenti doloris nota, retorquens caput, respectansque loca, in quibus imperium super vaccas tenuerat.

τύπωσις duelli taurorum rivalium habetur Æneid. XII, 716. — Pugna mirum in modum exprimitur verbis, *illi alternantes;* et *vi:* productum spondeum *multa*, subsequitur magno pondere choriambus *vulneribus;* et iterum spondæus; deinde molossi, quasi inter se pugnantes, *obnixos urguentur:* denique post plenum verbum *vasto*, obscurus ille sonus *cum gemitu*, qui naturam imitatur. Hæc omnia ita hanc descriptionem ornant, ut etiam ii delectentur, quibus aures minime delicatæ sunt. *V. G.*

223. *Reboant silvæ.* Resultant, remugiunt. Est autem Græcum verbum; nam apud Latinos nullum verbum est, quod ante *o* finalem, habeat *o;* excepto *Inchoo:* quod tamen majores aliter scribebant, aspirationem interponentes duabus vocalibus, et dicebant *incoho:* tria enim habebant nomina, in quibus c literam sequeretur aspiratio; *sepulchrum, orchus, pulcher:* e quibus *pulcher* tantum hodie recipit aspirationem. *Serv.* — *Longus Olympus:* non Thessalicus Olympus, ut Burmannus putat: sed longus, id est, altus cæli Olympus, quem super nubes porrigi existimabant veteres; Ecl. VI, 86; Æn. VII, 288; *Ex æthere longo:* Ovid. Metam. VI, 64, *longum cælum:* Æneid. III, 383; *longa procul longis via dividit invia terris:* Horatius, III, Od. III, 37; *longus pontus.* V. G.

225. *Victus abit.* Se subducit. Festus habet *abgregare*, quod tamen non semper respondet Græco verbo ἀπαγελεῖν, quod est « pu- « doris causa armentum fugere, « seorsum pasci a grege », deque *tauris* proprie dicitur. — *Exulat.* Extra suum solum habitat. — De pugna taurorum, Opp. Κυνηγ. II, 44: Phædrus, fab. I, 31.

228. *Aspectans.* Cicero de Catilina: « Retorquet oculos profecto « sæpe ad hanc urbem, quam e « suis faucibus ereptam esse luget.» Contorsio ista, aut retorsio oculorum, et conversio capitis nota est magni affectus, præsertim indignationis. De Pyrrho relinquente Siciliam vid. Plut. in ejus vita. De Annibale cedente Italia ita Liv. lib. XXX: « Respexisse sæpe Italiæ lit- « tora; et Deos hominesque accu-

229. Sequitur, uti victus taurus in exsilio se gerat, se comparet ad vires pristinas, ad renovandum prælium. Primum, non quærit locum mollem, non herbas molles, sed dura omnia, ut corpus induret ad sequens bellum: nam pernix, id est, obstinatus jacet inter dura saxa; neque locus, in quo cubat, stratus est herbis; pascitur frondibus hirsutis, acuta carice; adeo nihil ad mollitiem! Deinde tentat, an vires creverint, an pugnare dedicerit, idque obnitens cornibus in truncos arborum, ventos lacessens, spargens arenam, omnia ad proludium pugnæ. Tertio, ubi videt robur collectum vires receptas, in oblitum victoriæ hostem præceps rapitur, non aliter ac belli dux, qui signa in hostem movet.

237. Illustrat iram tauri in hostem pristinum adventantis

« santem, *etc.* » — Hic de stabulis æstivis sermo est, quæ, ne consisteret aqua pluvia, in loco declivi, lapidibus et sabulo muniebantur in modum pavimenti. *V. G.*

230. *Pernix.* Modo perseverans: Horatius; *Pernicis uxor Apuli. Pernix* autem perseverans, a *pernitendo* tractum est. *Serv.* — Ita quoque Cl. Voss censet. — At Jos. Justus Scaliger Prolegomenis in Manil. novæ Edit. quærit, quid *pernicitati* cum lasso, et jacente? quid tauro etiam non lasso? Quid magis contrarium pernicitati, quam Proverbium βοὸς πρὸς? *Pernix* igitur nugatorium est; quamtumvis Servium secutus quidam (ut ait) cervicosus hoc defendat: *pernox*, germanum. Hæc ille. *Pernox* etiam pater Jul. Cæs. Scaliger agnoscit. *Taubm.*

232. *Et tentat sese*, etc. Periculum facit suarum virium. Illa autem trium versuum *arguta* et *rotunda* perpendit Scalig. lib. V, 1. *Taubm.*

234. *Ventosque lacessit Ictibus, et sparsa ad pug. prol. arena.* Videtur mihi gladiatorium verbum *Ventilare* circumscribere, et repræsentare. *Ventilare* siquidem gladiatores dicuntur, quum ante pugnam gladiis motis, et lusoriis ictibus aerem ferientes, proludunt ad certamen. Unde et Seneca XXI, 118: « Quam stultum est, quum signum « pugnæ acceperis, ventilare. » Et Plin. lib. III, cap. 45: « Tota com- « minatio prioribus in pedibus stat « ira gliscente alternos *pedes* repli- « cans, spargensque in alvum are- « nam, et solus animalium eo sti- « mulo ardescens. » Hanc explicationem, quam veram censeo, nullus adhuc protulit.

236. *Signa movet.* Mancinellus non videtur ad hujus militaris metaphoræ veneres attendisse, qui *signa* indicia interpretatur, ductus aut deceptus levi sequentis a mari comparationis argumento. Nam et Maro hanc ipsam castrensem tralationem apibus tumultuantibus applicavit libro proximo his verbis: « Non illis cunctantibus al- « tum Ire iter, aut castris audebit « vellere signa. » *Germ.* — *Oblitum*, quasi exercitationum et virium, quam securitas et amor corruperit, adeo ut nec crederet hostem esse reditarum. *Philarg.*

237. *Fluctus uti, medio.* Sic pau-

egregia comparatione fluctus, qui incipit in medio mari spumis albescere; qui *sinum trahit*, id est, tumorem e longinquo crescentem, atque in speciem prærupti *montis* cumulo surgentem; qui, ubi ad terras volvitur, sonat inter saxa immaniter, et procumbit instar *veri montis;* ac tunc unda ex imo fundo fervens furit; arena tollitur, nigris æstibus agitata.

242. Ex occasione pugnæ taurorum pro juvenca dilabitur ad amores reliquorum animantium, nam de tauris nihil jam loquitur: ait itaque homines, et bestias impotenter in amorem non ire, sed ruere. Sed quæ bestiæ? omnes trium elementorum, videlicet pisces maris, pecudes terræ, aves aeris: ac, ne desit mentio ignis, concinnus vates amorem, in quem ruunt feræ, per ignem circumscribit. Nihil est enim aliud *furias, et ignem* quam aut furiæ igneæ, aut ignis furiosus. Vide vero, uti in hoc catalogo non includat Deos, ex pretio, quo apud hunc vatem Dii. Vulgares sane poetæ, Homerus etiam, passim illos pessumdant.

245. Ex præterito animalium catalogo terrestria tantum assumit. Leœna nunquam dirior, quam quum amans adeo, ut catulos obliviscatur: ursi tunc sæviunt cædibus: tum aper ferus est in sylva; tum tigris malefica; heu! tunc in Libya non tutum habetur iter.

latim taurus movetur ad prælia. *S.* — Hic alios superat Maro, et seipsum: vide Æneid. VII, 528.

238. *Sinum trahit.* Curvaturas suas trahit ex alto mari, magnamque vim aquarum adducit. *Cerut.*

242. *Omne genus.* In unoquoque genere suus furor et stimuli sunt amoris, quibus ad libidinem concitentur. De quo Aristot. Hist. Animal. VI, 18. *Taubm.*

243. *Pictæque volucres.* Varii coloris pennas habentes, versicolores, ut *picta cauda* Horat. Sat. II, 2. Noster Georg. IV, 342; *pictæ pelles.* Vide quæ diximus ad Ecl. II, 50. *Emm.*

244. *Amor omnibus.* Id est, in unoquoque genere unus est amor, similis: ut puta in lupis, in equis; et aliis omnibus, pro qualitate sui generis: sicut alibi ait, *sopor suus occupat artus;* id est, ipsis aptus: nam in omnibus animalibus non est amor unus atque idem; sed in singulis generibus, pro qualitate naturæ. *Serv.*

245. *Catulorum oblita.* Vi scilicet nimii amoris. — *Leœna.* Græcum est, sicut *dracona:* nam nos hic et hæc *leo* dicimus (lea usurpatum est) quia in o exeuntia masculina, feminina ex se non faciunt; ut *fullo, latro, leo.* Serv.

247. *Informes ursi.* Vel magni; vel qui tempore quo nascuntur, forma carent. Deferenda sententia est ad corpora ursorum; est enim vastum, et turpe, sic dicam, animal. Plutarchus in libello de Philostorgia, ἄρτος, ἀγριώτατον, καὶ συνθρυπτόμενον θηρίον: *Ursus, ani-*

250. Transit ad equos, de quibus, ait, ubi equarum odore tanguntur, cor tremore quodam pertentari. Hoc verbo innuit blandientem, et titillantem amorem. Sed quæ furiæ? Nullis frænis, verberibus, scopulis retinentur; nullis fluminibus, quamvis hæc ita magna, ut ipsos veluti montes abripiant, et torqueant undarum globis.

255. Indicat vim eamdem in apro Sabellico, qui, quum amat, comparat se ad certamen, rivalis metu. Apparatus iste ad pugnam duplex est; nam et dentes acuit: deinde ex luto quod ipse pedibus conculcando subigit, tergus omne, et costas operit, quas ad arbores confricat, ut sic veluti loricatus ad pugnam procedat, induratis luto humeris omni ex parte.

258. Ex hominibus Leandrum assumit, cujus amor notis-

mal deformissimum, *tristissimum*. Ovid. Trist. III, 5; *turpes ursi*. Demum Græci ad verbum, ἄμορφοι, ἀμορφοι: *ursi informes*.

250. *Nonne vides*. Hic exorsus carminis aliquoties placuit Virgilio ad imitationem Lucretii, cui sæpissime. — Plautus multa exhibet exempla hujus constructionis apud Græcos usitatæ. Si vero sequentem phrasin a particula *ut* secreveris, multum roboris amittet sensus. *V. G.* — *Tota tremor pertentet equorum Corpora*. Signatis sermonibus utitur, ad vim exaggerandam; dicens et *tota corpora*, et *pertentet*, *penitus tentet*; quum dicat levem odorem equarum. *S.* — *Pertentare*, penetrare, Lucretiana locutio, VI, 286: *Inde tremor terras graviter pertentat*: et Æn. I, 502; qui locus ab interpretibus et grammaticis quidem antiquis, male intelligitur. *V. G.*

251. *Notas odor attulit auras*. Hypallage est, pro auræ odorem apportaverint notum. *Serv.* — *Notas auras*. Notos e naturalibus equarum halitus, Varro II, 7; Col. VI, 27. *Taubm.*

253. *Rupesque cavæ, atque objecta retardant*. Ad illud superius respicit: *Post montem oppositum, et trans flumina lata*. Serv.

255. *Sabellicus exacuit sus*. Sabinus: et est species pro genere. Dicit autem suem domesticum, quem cicurem vocant: nam de apris supra ait, *Tunc sævus aper*: hoc enim vult probare, non tantum feras, sed et mansueta animalia amore in furorem moveri. *Serv.* — *Sabelli*, vel *Samnites*, non cum Sabinis confundendi: hi suum greges ad Apenninum, in Campania pascebant. *V. G.*

256. *Prosubigit*. Fodit, et pedibus impellit alternis: quod pugnaturi sues facere consueverunt, ad acquirendum robur: unde etiam latera et costas terentes, durant ea in futura certamina. *Serv.*

257. *Hinc atque illinc*. Et a pedum motu, et ab attritione costarum. *Serv.* — *Humeros durat*. Sic Lucret. lib. V: *Atque opere in duro durarent membra, manusque*. Ut autem hic *pede prosubigit terram*, Hesiodus ποσσὶ γλάφει.

258. *Quid juvenis*. Ne forte occurreret, illa animalia carere ratione; dicit etiam gravius homines

simus erga Heronem. Hic noctu Hellespontum transmittebat, quo frueretur suis deliciis; neque retardabatur tonante cælo, maris fremitu, lacrymis parentum, morte Heronis, quam procul dubio sciebat morituram, si quid sibi adversi accidisset in tam diro freto.

264. Conjungit in unum Lynces, lupos, canes, cervos, qui omnes, quum amant, furiosi sunt.

266. Reliquum sermonem, qui satis longus, insumit in equarum amore, verius dicas, furore enarrando. Initium furiosi amoris ad fabulam conjicit: sprevit Glaucus sacra Veneris; irata Dea equas concitavit in Glaucum, quibus ipse in curru utebatur; illæ itaque juxta urbem Potniam Glaucum morsibus laniaverunt. Hinc equæ contendunt ad equos trans Gargara; ideo ait, *superant montes:* contendunt ultra Asca-

in amore moveri. Fabula talis est: Leander Abydenus et Hero Sestias fuerunt invicem se amantes. Sed Leander ad Heronem natatu ire consueverat; per fretum Hellesponticum; quod Seston et Abydon civitates interfluit. Quum igitur juvenis oppressi tempestate cadaver ad puellam delatum fuisset, illa se præcipitavit e turri. *Serv.* — *Versat in ossibus ignem.* Catul. *Ignis mollibus ardet in medullis.*

263. *Crudeli funere virgo.* Ita hic *virgo*, quemadmodum ibi de Pasiphae: *Ah virgo infelix.* Philarg. — *Moritura super.* Ut vidit in litore exstinctum Leandrum suum Hero, ut, canit Musæus in fine libelli: ἀπ' ἠλιβάτου πέσε πύργου Καδδ' ἡρὼ τέθνηκε συν ὀλλυμένῳ παρακοίτῃ. *Em.*

265. *Inbelles.* Licet inbelles, tamen moventur in pugnam. Naturam ejus pronam ad libidinem aperit Arist. Hist. Anim. I, 29, cervum vocans, animal φύσει λάγνον, *natura libidinosum.* — Cervi ad æquinoctium vernum coeunt; feminæ mares postea fugiunt: at hi præ libidine terram fodiunt, Plin. VIII, 50. Loco vulgaris *quæ*, lectionem *quique*, ut elegantiorem recepi. *V. G.*

266. *Furor insignis.* Notabilis et præcipuus. *Serv.* — *Furor equarum.* Hunc furorem ad Venerem in equis Græci dicunt ἱππομανεῖν: in canibus σκυζᾶν: in suibus καπριᾶν: in tauris ταυριᾶν: in his, et reliquis ὀργᾶν.

267. *Et mentem Venus ipsa dedit. Mentem dare, injicere,* Græce ἐμβαλλεῖν, ἐμποιεῖν νοῦν, ἔννοιαν, est *excitare desiderium in pectore alicujus;* de hac locutione videndus Petr. Victor. in Var. lect. VII, 5. *Emm.* — *Glauci.* Glaucus Sisyphi filius, quum ad mimicum certamen quadrigam duceret, adplicuit ad vicum Bœotiæ, et equas potum ad fontem sacrum per ignorantiam duxit, unde qui bibissent, in furorem agi solebant. Itaque illum equæ furore exagitante in ipso certamine curru effudisse, ac morsibus laniasse dicuntur. *Philarg.*

269. *Trans Gargara, transque sonantem Ascanium. Gargara* pro quibuslibet montibus, sicut *Asca-*

nium fluvium; ideo ait, *flumina tranant*. Est mira in hoc disticho concinnitas.

271. Narrat prodigium equarum. Verno tempore, qua anni parte illæ amore æstuant, ascendunt in rupes, unde conversæ ad Zephyrum excipiunt ore illius auras: ac tum flatu illo excepto, concipiunt in utero, inspirante semen novo hoc marito; tantoque blandimento illiciuntur, ut sese præcipitent per saxa, scopulos, valles, ad bibendas ore tam dulces auras. Quin, uno excepto Euro, nam cum hoc nullus est illis amor, alios quoque amant ventos: currunt enim versus Septemtrionem, unde flat Boreas, et Caurus; currunt versus Austrum, his enim ventis maritantur.

280. Roget aliquis, quis partus ex tam prodigioso conceptu? Certe virus distillatum ab inguine, dictum vere ab insania equina Hippomanes: nam Græcis ἵππος est, equus; μαίνεσθαι,

nium pro quibuslibet fluminibus posuit: quod etiam sequentia indicant. *Serv.*

272. *Quia vere calor redit ossibus.* Unde Lucret. lib. I: « Nam simul « ac species patefacta est verna « diei, Aeriæ primum volucres te, « diva, tuumque Significant ini- « tum »: ubi *initum*, non, ut docti viri amici mei, *initium* accipio, sed ὀχεῖαν, et admissuræ tempus. *Germ.*

273. *Ore omnes versæ in Zephyrum. In*, pro contra. In fœtura res incredibilis est in Hispania, sed est vera; quod in Lusitania ad Oceanum, in ea regione ubi est oppidum Olysippo, monte Tagro, quædam e vento concipiunt certo tempore equæ; ut hic gallinæ quoque solent, quarum ova ὑπηνέμια appellant: sed ex his equis qui nati pulli, non plus triennium vivunt. Varro de Re Rust. II, 1. *Philarg.* — *Ore.* Plerique *os naturalium* hic intelligunt. Colum. VI, 27; Varro II, 1; et Plinius VIII, 42. Philes idem de vulturibus tradit; Aristot. de perdicibus. *Taubm.*

275. *Et sæpe sine ullis conjugiis.* Sine maris coitu, ut hic *conjugium* pro equis sive maribus, sic passim *matrimonia* pro *uxoribus* apud Justinum, Florum et alios. De equis, e vento natis, Modius nov. lect. Epist. 74; et Wouwer. Polymath. c. 11; plurima collegit. *Emm.*

279. *Et pluvio contristat frigore cælum.* In Romano codice, *Pluvio sidere* legitur. Sed hoc loco magis placet *frigore* eruditis; ut cum eo faciat: *et agentes frigora ventos.* Pier. — Ita Æn. X; de ardore Sirii: *lævo contristat lumine cælum.* Ab nostro Horatius, Sat. I: *inversum contristat Aquarius annum.* Et Columel. loquens de anno, III, 20; *contristatur.* Cerda.

280. *Hinc demum, Hippomanes.* Scimus memorari apud Hesiodum, herbam esse quamdam, quæ *hippomanes* vocatur; quasi ἵππου μανία, si enim eam comederint equi, furorem patiuntur. Unde nunc adjecit: *Vero quod nomine dicunt.* Nam vult illam herbam abusive *hippomanes* dictam; quod possint

furere. Illo novercæ, quæ maleficæ sunt, utuntur, ut una cum herbis, verbisque incantatoriis mortales dementent.

284. Secunda pars libri versatur in capris, et ovibus; reprehenditque se tamdiu immorantem in armentis, equis nimirum, et tauris, in tanta temporis brevitate, fuga, amissi semel nulla tenus recuperandi. Est hic *superat*, restat, superest, reliqua est.

288. Duplex sententia hujus versus, prima Interpretum, nostra altera. Aiunt illi. Hic præcipuus labor vester situs est, o coloni, hinc laudem vestram sperate. Aio ego. Hic præcipuus labor meus situs est; hinc coloni laudem meam sperate. Cur? quia hæc melius cum sequentibus connectuntur. Deinde, nescias cur major laus perveniat ad rusticos ex tractatione

equi furere et alia quacunque ratione. Re vera autem *hippomanes* dicit esse virus, defluens ex equarum inguinibus, quo tempore feruntur amoris furore: ut sit *hippomanes*, virus natum ἀπὸ τῆς μανίας τῆς ἵππου. *Serv.* — Tradunt Olympiæ fuisse equam aheneam, quæ, *inducta* Hippomane, equos furore inflammaret: sed de effectu ejus Aristoteles, qua incredulitate est, rem matronis et sagis examinandam relinquit, VIII, 24. *V. G.*

281. *Lentum virus.* Viscidum. *Serv.* — *Destillat ab inguine virus.* Omnino hinc Tibul. II, 4: *Hippomanes cupidæ stillat ab inguine equæ.* Et Lucanus lib. IX, 772: *Liquitur, et nigra destillant inguina tabe.* Et interpres Sibyllini carminis lib. I: *Quorum mortiferum destillat ab ore venenum.* Cerda.

283. *Miscueruntque herbas, et non innoxia verba.* Exprimit augmenta malitiæ novercarum, quæ virus herbis et cantibus herbarum armant venena. *Serv.*

285. *Singula dum capti circumvectamur amore.* Dum speciatim singula describimus. *Serv.* — *Circumvehi, circumvectari* est περιγίνεσθαι, curiose contemplari, per singula ire. Solinus lib. III: *plurimi in dicendo latius circumvecti*; ad quem locum Salmas. exerc. Plin. pag. 97. *Emm.*

286. *Hoc satis armentis. Armenti* appellatione hic manifeste Maro *equos* et *boves*, de iis præcepta executus, comprehendit. Varro autem de lingua Latina, *armenta* vult dicta, tertia extrita litera, pro *aramenta*, boves arationi addicens potissimum. Festus vero Pompeius « armentum id genus pecoris appellat, quod est idoneum ad opus « armorum. » Et Pomponius lib. boves de verb. sign. « Boves, *in-* « *quit*, armentorum magis quam jumentorum nomine appellantur. » *Germ.* — Nihil de asino dixit, nihil de mulo, quum de armentis ageret: nunc et suem silentio præteribit. *V. G.* — *Superat.* Pro superest. *Serv.*

287. *Lanigeros agitare greges.* Lucretius contra: *Bucerïæque greges.* S. — Lanigerum genus, dixit Ennius pro ovibus. — *Agitare.* Aut curare, aut pascere. — *Hirtasque capellas.* Id est, setosas: ut, *Hirsutumque supercilium.* Serv.

ovium, et caprarum, quam equorum, et taurorum; et profecto magna laus poetæ, rem adeo vilem verbis exornare.

289. Consequuntur ista præcedentem nostram explicationem: nam parva quæ sunt, difficillima sunt ad exornationem: sed vehemens amor laudis raptat vatem per deserta ardua Parnassi, id est, per rem, et materiam nullis vatibus celebratam. Ideo subdit: juvat ire per juga illa, per quæ nulla hactenus priorum vatum orbita divertit ad Castaliam. Quasi dicat: ego princeps omnium non tero iter aliorum, ab trito itinere. Ideo in fine Palem invocat; vel potius renovat invocationem, ut qui dicturus rem indictam.

295. Quemadmodum in superiore libri parte jam de tauris, jam de equis habitus est sermo, jam mistim de utroque genere: ita in sequente libri parte jam de ovibus agit, jam de capris, jam de utrisque. Incipit vero ab ovibus, et docet illas alendas in stabulis mollibus tota hyeme, non educendas ad pastum, usque ad adventum veris, quam partem anni hic

289. *Animi dubius.* Sciat juvenis istum genitivum pendere ab aliquo substantivo subintellecto. « Dubius « sum animi, *est*, dubius sum ex « mente animi. » In Lucret. lib. I: « Nec me animi fallit, *est*, nec me « fallit mens animi. Angor, pen- « deo, crucior, discrucior animi: « *id est*, dolore animi. » — *Verbis ea vincere.* Id est, canendo consequi, vel *exprimere.*

290. *Et angustis hunc addere rebus honorem.* Humilem materiam alto sermone decorare. Sic illud in quarto est: *In tenui labor, at tenuis non gloria.* Serv.

291. *Sed me Parnasi deserta per ardua.* Per *Parnasi ardua*, Heliconem et Citeronem montes, Musis dicatos significat: et hoc dicit; scribendi amor rapit me ad opus arduum, et a nullo ante descriptum: quod per periphrasim et allegoriam poeticam indicat. *Serv.* — *Parnasi.* Prius dictus est Larnasus a Larnace arca Deucalionis, quæ eo delata, auctore Stephano, et Interpretib. Apoll. Post diluvium dictus Parnasus ab heroe Parnaso, ut tradit Hellanicus.

292. *Jugis.* Per juga. — *Qua nulla priorum.* Dispono ire ad fontem Castalium, per eam viam, per quam nullus ante egit orbitam suam. Ordo autem est; *qua nulla priorum orbita Castaliam devertitur.* Serv. — *Nulla orbita.* Nullum poema veterum hoc argumentum tractavit.

294. *Nunc veneranda Pales.* Id est, Dea pabuli invocanda nunc maxime. *Serv.* — *Magno ore.* Ut scil. humilis materia alto sermone decoretur. Propert. lib. I: « Surge « anima ex humili jam carmine; su- « mite vires Pierides: magni nunc « erit oris opus. » *Taubm.*

295. *Incipiens.* Præceptum *de cura Ovium*: quas vult per hyemem domi contineri, et fœno pasci, donec vernum tempus redeat. — *Stabulis in mollibus.* Clementioribus,

signat per frondosam æstatem : docet, debere esse *mollia stabula;* hoc explicat : edico, inquit, ut tellus, quæ dura est, sternatur multa stipula, multis manipulis filicum; ne glacies frigida lædat pecus ovium molle et tenerum; ne scabiem hoc pecus, ne podagram contrahat.

300. Ab ovibus tendit ad capras, quibus danda arbuta; danda largiter aqua semper recenter hausta; et hoc etiam in stabulis, sicuti ovibus. Jubet vero ut stabula opposita sint hyberno Soli : quod fiat, si conversa sint ad meridiem. Ut

et aeris temperati; vel propter plagam australem; vel propter suppositas herbas animalibus. *Serv.*

296. *Dum mox.* Celsus *dum mox*, pro *donec* interpretatur; sed ut puto, *mox*, abundat. *Philarg.* — *Frondosa reducitur æstas.* Donec vernum tempus adveniat : nam, ut etiam in primo diximus, ver et æstas, sicut etiam hyems et autumnus, unum fuerunt secundum rationem hemisphærii. *Serv.* — Sane veteres annum in duplicem tantum partem dividebant, hyemem, et æstatem : hyemi autumnum, æstati ver adnectebant. Heynius hic erravit, Vol. I, pag. 468.

299. *Molle pecus.* Attingit naturam ovium, quæ mollissimæ. Scribit Aristot. Hist. Anim. VIII, 24, oves iisdem morbis infestari, quibus homines : ita imbecilles sunt, ut gravida abortum faciat, tonante cælo, quod scribit idem Aristot. Hist. Animal. IX, 3. *Cerda.* — *Scabiemque ferat.* Sic, ubi de pecoris ovilli medicina agit, Columell. VII, 5 : *Oves frequentius, quam ullum aliud animal, infestantur scabie*, etc. ; quæ lues totum gregem brevissimo temporis spatio coinquinare et conficere solet. Inde Juvenal. Sat. II, 79 : *Sicut grex totus in agris Unius scabie cadit.* Emm. — Scabies frigore nascitur, fame, immunditia, vulneribus. — Verbum *podagra* Columella etiam de gallinis usurpat pede laborantibus, quæ in lutoso solo steterint. *V. G.* — *Turpisque podagras.* Respexit ad curam, quæ sine pannis et medicaminibus sordidis non fit.

300. *Post hinc.* Quum hoc feceris : et *Post hinc*, unum vacat; sicut : *Primus ibi ante omnes.* Serv. — *Jubeo frondentia capris Arbuta sufficere.* De capris, quæ a *carpendo* nomen sortiuntur, Varr. de Re Rust. II, 3 : *Pascuntur agrestibus fruticibus. Jubeo sufficere*, elegantissimus loquendi modus. Ter. IV, 3, 3 : *jubeo Chremetem salvere.*

301. *Fluvios præbere recentis.* Id est, aquam recenter haustam : nam si pigram potaverint, statim contrahunt morbum. *Serv.*

303. *Ad medium conversa diem.* Explicui sententiam integram de meridie secutus Columellam, qui nihil de Oriente, tantum, *ea* (stabula) *poni debent contra medium diem :* et Serv. explicantem : « hi« berno Soli, Contra plagam meri« dianam, per quam Sol currit per « hiemem, quod explanat dicens, « Ad medium conversa diem » ; itaque per hibernum Solem, intelligit tantum meridiem : et Germanum adducentem ex Xenophonte in OEconom. domos spectantes meri-

vero ostendat hanc curam habendam tempore hyemis, signat hoc tempus per Aquarium frigidum ac pluviosum, quum is cadit.

305. Comparat capras cum ovibus. Pecus caprinum tuendum est non leviore cura, quam oves; nec minor est illius usus, quam ovium : nam quamvis oves Mileti, earumque vellera sint in magno pretio, ut quæ felicissime imbibant coctu-ram tincturamque purpuræ; tamen capræ feliciores sunt sobole, feliciores lacte. Quo enim magis velis mulgere, eo præbent lactis copiam largiorem.

311. Proponit aliam utilitatem caprarum, qua carent oves : nam in Libya ad amnem Cinyphen hirci sunt ita magni, ut ex eorum mentis, ex eorum setis fiant cilicia ad usus castro-

diem dici νυκθήμερον : demum morem nostrum; ædificia enim, quæ volumus tuta a frigore, omnino opponimus meridiei.

304. *Extremo anno.* Mense Januario, qui est penultimus : nam ut etiam in primo diximus : *Ut primis extemplo a mensibus anni*, a Martio mense inchoabat annus apud majores. Ergo *extremo anno*, extrema parte anni. *Serv.* — Hic *extremum annum* sub Aquarii sidere collocat; ut quia primus nascentis anni dies ab urbe condita Kal. Martiis fuit, inde Februarius ultimus anni haberetur. Aquarium autem multi Ganymedem volunt. *Philarg.*

306. *Milesia Vellera.* Lanæ pretiosissimæ : nam Miletus civitas est Asiæ, ubi tinguntur lanæ optimæ : Ipse in quarto Georg. : *Milesia vellera nymphæ carpebant.* Cicero in Verrem : *quid a Milesiis lanæ sustulerit.* Serv. — *Milesia vellera.* Oves Mileti, ac perinde vellera in magno pretio : vellera sic dicta a vellendo.

307. *Vellera mutentur.* Ingenti pretio comparentur : nam apud majores, omne mercimonium in permutatione constabat; quod et Cajus Homerico confirmat exemplo. — *Tyrios incocta rubores.* Figurate : quæ coquendo Tyrium traxit ruborem, id est, migravit in purpuram. *Serv.*

308. *Densior hinc suboles.* Binos enim et trigeminos pariunt capellæ plerumque. *Serv.*

310. *Flumina.* Legendum *ubera* ex nota Gifan. in Lucretium : ita etiam legit Servius Daniel. Qui legunt *flumina*, multum afferunt leporis. *Cerda.*

311. *Barbas.* Sic de quadrupedibus : nam hominum barbam vocamus. *Incana* autem dicit *nimium cana.* Serv. — Ita in VI : *incanaque menta Regis Romani.* Columella usus hac voce etiam in Re Rustica lib. VIII, 2; loquens de Gallorum avium notis : « paleæ ex rutilo al-« bicantes velut incanæ barbæ de-« pendent. »

312. *Cinyphii.* Gætuli, a Cinypho flumine Gætuliæ, id est, Libyæ. Ibi velut in Cilicia, Phrygia et Lycia hirsutæ fuerunt capellæ, quas nunc dicimus Angoricas, ab Angora, olim Ancyra appellata. *V. G.* — Tondent autem pastores,

rum, ad usus nauticæ. Quum ait, *tondent*, subaudi pastores; quæ ait de hirco Cinyphio capienda κατ' ἐξοχήν; *setas comantes* est, succrescentes, atque oblongas.

314. Sententia amplectens sequentes versus ista est. Liberant capræ magna cura suos pastores: depascuntur enim sylvas, fruteta, rubos, dumos, obvia quæque etiamsi dura, et aspera: non sic oves, quæ mollem herbam. Deinde, ipsæ memores sunt tectorum, et nemine reducente redeunt, et suos plerumque præcedunt pastores, et potius ducunt illos, quam ducuntur; quum ovium pecus admodum sit obliviosum. Per *suos* pastores intellexi, alii *hœdos* capiunt, ut dicat capras se duces præbere hœdis suis: ut velis. Tertio, quotidie implent ubera novo lacte; nunquam enim redeunt in tecta, quin cum magno ubere, quæ felicitas non contingit ovibus.

318. Hinc concludit, capras eo impensius curandas, quo illæ sunt negligentiores suæ infirmitatis, suæ mortalitatis: avertendam ab illis frigorum ventorumque vim; afferendum esse victum abundantem; et ultro per totam hyemem fœnum, ex horreis ubi clauditur, educendum esse ad alendas capras.

322. Continet hic tractus disciplinam educendi oves, et ca-

ut sit genitivus singularis *Cinyphii* hirci. *Philarg.* — *Tondent.* Pro, *tondentur*, Prisc. sed Philargyrius pastores subintelligit: ut *Cin. hirci* sit genit. casus. — *Setasque comantis.* Villos promissos instar comæ. *Taubm.*

313. *Castrorum.* In usum castrorum, quod inde *tomenta* fiant, itemque cilicia, quæ Celsus ait retulisse Varronem, ideo sic appellari, quod usus eorum in Cilicia ortus sit. *Philarg.* — *Miseris nautis.* Qui frequenter patiuntur pericula. In *usum* autem *castrorum* ideo dixit, et quia de ciliciis poliuntur loricæ, et teguntur tabulata turrium; ne jactis facibus ignis possit adhærere. Et bene laudat capellas, dicens ciliciorum usum et in mari, et in terra prodesse mortalibus; hoc est, in duobus elementis concessis hominibus. *S.*

314. *Pascuntur silvas.* Et *pasco* et *pascor illam rem* dicimus, et *pascuntur* pro *depascuntur.* — *Summa Lycæi.* Montis Arcadiæ, et est species pro genere. *Serv.*

317. *Ducunt.* Educunt fœtus proprios et enutriunt; unde et *educatos* dicimus. *Serv.*

319. *Quo minus est illis.* Ordo est; igitur omni studio averte ab eis ventos et glaciem, quo egestas mortalis, id est, necessitas mortalitatis minor est illis curæ: hoc est, minus ad ipsarum pertinet curam; nam hoc dicit; quanto illæ sibi adesse non possunt, tanto eis a te impendenda est major diligentia. *Serv.* — Heynius aliter interpretatur, Vol. I, pag. 470.

322. *At vero, Zephyris quum læta vocantibus æstas.... mittet.* Dicit autem ver, quo flare Zephyrus incipit: ut in Ge. lib. I: *Et Zephyro*

pras ad pastionem. Præcipit ergo, adventante vere, cujus est nota flatus Zephyrorum, mittendum utrumque gregem e stabulis; capras quidem ad saltus; oves ad pascua.

324. Discriminat distinctissime, quid una quaque diei parte gerendum, dividens illum in partes quatuor: quid tempore matutino; quid quarta hora post ortum solis; quid medio calente die; quid flectente se die ad vesperam et noctem. Ergo matutino tempore educendus uterque grex ovium et caprarum ad pastum, propter rorem, qui tunc novus, et gratus pecori in herba tenera. Quarta hora post ortum solis, incipientibus jam sonorem suum cicadis, ducendus ad potum, quem illi ministrabis in canalibus prope puteos, aut prope stagna. Die medio incalente, quærendæ ad quietem valles umbrosæ, querceta, nemora. Flectente se die ad occasum

putris se gleba resolvit. Serv. — *De cura ovium et caprarum, tempore æstivo:* nempe, ut prima luce pastum exigantur; paulo ante meridiem aquentur: sub æstum medii diei in umbra quiescant: vesperi iterum aquentur: et deinceps ad noctem usque pascantur. Eadem Varro II, 2; et Col. VII, 3; Pallad. XII, 13. *Taubm.*

324. *Frigida rura Carpamus.* Carpere cogamus animalia: et mane pasci oves præcipit secundum morem suæ provinciæ: nam in aliquibus locis morbum contrahunt, nisi jam siccato rore pascantur. *Serv.* — Cl. Voss aliter sentit; nam refert *carpamus* ad pecus simul et pastores.

325. *Dum gramina canent.* Nocturnis et matutinis lucentes roribus herbæ. *Serv.*

327. *Ubi quarta sitim collegerit hora.* Intelligit horas καιρικὰς, sive Planetarias Roman. ubi sexta diei hora semper est meridies. Est enim hic notatio appetentis meridiei. *Taubm.* — Romæ proceribus erat servus, qui horam indicaret: initio quidem utebantur gnomone: postea vero, ex anno 595, clepsydra. Agricolæ horas pedum umbra cognoscebant; et Palladius cuique mensium, tabellam adjecit. Nubilis diebus, Lupinus et heliotropium, quum ad solem circumagantur, horam demonstrant agricolis. Plin. XVIII; 67. *V. G.*

328. *Querulæ cicadæ.* Canoræ. Horatius, *Sub cantu querulæ despice tibiæ:* aut certe *Querulæ* dicitur, propter illam fabulam, quod Tithonus maritus Auroræ, post optatam longissimam vitam, diu vivendo in cicadam dicitur esse conversus. — *Rumpent arbusta.* Nimio clamore. Juvenalis: *Et assiduo ruptæ lectore columnæ.*

330. *Canalibus,* (λάκκοις). Hujus modi canalibus utebantur greges Laban, Genes. XXX, 38; et Apollinis, in Homerico hymno ad Mercurium, 104. *V. G.*

332. *Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus.* Quod autem dicit *Jovis quercus,* et *ilicibus crebris sacra nemus accubat umbra;* non revera consecratos lucos dicit nos petere debere; sed ita densos, quales sunt illi, quos religio defendit.

iterum grex potu et pastu delectandus; nam tum sapidissimus est cibus propter algorem vesperi, et rorem noctis. Sicut vero tempus secundum ab clamore cicadarum, ita extremum ab cantu halcyonum, et acanthidum indicat vates sibi in omnibus consonus.

339. Occasione superioris sermonis de continendo grege in stabulis per hyemem caussa frigoris, educendo ad pastum per æstatem caussa vernantis temporis, hac, inquam, occasione excurrit in morem Afrorum, apud quos nunquam fere pecus est in stabulis, vigente ibi calore; et in morem Septemtrionalium, apud quos semper est in stabulis, rigente ibi frigore. Sed de Septemtrionalibus mox loquitur, nunc de Afris.

Unde apparet *quercum Jovis*, et *sacram umbram*, generalia esse, non specialia epitheta : nam omnis quercus Jovi est consecrata, et omnis lucus Dianæ. *Serv.*

335. *Tenues aquas.* Epitheton est aquarum : alibi ; *aut in aquas tenues dilapsus abibit.* Serv. — *Tenues aquas.* Ὕδατα λεπτὰ, cujus modi fere sunt κρηναῖα : contra, Æn. IX : *aut pingui flumine Nilus.* Columella VII, 3 ; hos versus exponit.

337. *Reficit.* Recreat. — *Luna.* Nox. — *Saltus reficit.* Quum Luna, quæ *roriflua* veteri poetæ et *roris mater* dicitur, jucunditatem pascuorum redintegrat.

338. *Litoraque Alcyonem resonant, Acalanthida dumi.* Quo tempore resonat per litora Halcyon avis ; per *dumos* vero Acalanthis, quam alii lusciniam esse volunt, alii vero carduelem, quæ spinis et carduis pascitur ; ut inde etiam apud Græcos ἀκανθὶς dicta sit, ἀπὸ τῶν ἀκανθῶν, id est, spinis, quibus pascitur. *Serv.*

339. *Quid tibi pastores Libyæ.* Dicit pro qualitate provinciarum diversa esse genera pastionum. *Serv.*

342. *Sine ullis Hospitiis.* Sine ullis stabulis. *Serv.*

343. *Omnia secum Armentarius Afer agit tectumque laremque.* Quomodo tectum et larem bajulat pastor? solvitur : *tectum* dicit tentorium, unde tectum faciat : nunc *larem*, deos dicit penates, id est, ignem, unde focum faciat. *Philarg.* — Plin. V, III : *Numidæ vero* Νομάδες *a permutandis pabulis* (alii 1, *papilionibus*) *mapalia sua, h. e. domos plaustris circumferentes ;* unde et ἁμαξόβιοι, et ἁμαξοικοι dicti. — *Armaque.* Instrumenta pastoritia. *Taubm.* — *Armentarius.* Abusive : nam de gregibus loquitur. *Serv.*

345. *Armaque.* Ideo hæc gestantur, ut eatur obviam incursionibus prædonum, qui populabundi discurrunt per Africam. Versum Virg. imitatur Ovid. Metam. VIII : *Armaque, equosque, habitusque, Cydoniasque pharetras.* — *Amyclæumque canem.* Laconicum : et est species pro genere. Amycla autem civitas est Laconiæ ; unde est : *Amyclæi domitus Pollucis habenis Cyllarus.* S. — Cl. Voss ait Laconiæ canes et Epiri optimos haberi.

347. *Injusto sub fasce.* Sub magno onere : ut, *Ego hoc te fasce levabo.* Magnum autem onus dicit propter arma, alimenta, vestitum.

348. Pastores utrosque comparat cum militibus Romanis, qui nimio onere gravati, tamen sub ipsis sarcinis adoriebantur hostem, eorum celeritate et virtute attonitum.

349. Transit ab Africa ad Septemtriqnem hoc exorsu. At non ea est pascendi ratio apud gentes Scytharum, et juxta paludem Mæotidem : non eo loci, ubi Ister influit in Euxinum (signat partem Daciæ, et Inferioris Mysiæ, et affinia alia, quæ in descriptionibus tibi patebunt) non in ea parte Thraciæ, ubi mons Rhodope sub ipsum pene Septemtrionem porrigitur.

352. In his igitur locis, ait, toto anno clausa armenta in stabulis contineri. Cur clausa? quia tellus immitis, et rigida : nam in terra nullæ herbæ, in arboribus nullæ frondes. Cur non herbæ, non frondes? quia tellus tota nive, et gelu oppleta usque ad septem ulnas; quia ibi semper hyems, semper Cauri flantes rigidissime : neque vero, quod mirere, auxilium aliquod est ab sole, aut quum oritur, aut quum occidit; non enim is potest vincere nebulas, ubi continuus in aere pallor, umbræ, tenebræ.

360. Subjicit sex alias notas inclementiæ telluris hujus,

Serv. — Quatuor onerum genera recenset Lips. V, II; de mil. Rom. *Cibum, utensilia, vallum, arma:* quod caput si perlegeris, portantem sua onera videbis depictum militem, et vere dictum a Marone concedes : *injusto sub fasce gemit.* Sic Quintilian. XI, 3, *fasces* nominat sarcinas, quas ferebant milites, qui tempore Marii, *muli Mariani* inde dicti, ut est in proverbio. *Emm.*

348. *Ante exspectatum.* Dicto citius, antequam ejus exspectetur adventus : et est una pars orationis; hoc est, adverbium. *Serv.*

349. *At non, qua Scythiæ gentes.* Subaudi, *talis est pastio. Serv.* — *Scythiæ gentes.* Quæ gentes *Scytharum* nomine hodie, atque olim venerint, docent Willichius, et Plin. IV, 12. *Taub.* — *Mæotiaque.* Mæotis palus est Scythiæ, frigore congelascens. *Serv.* — Cl. Voss totum hunc locum illustrat testimoniis scriptorum Græcorum, qui cum Virgilio consentiunt.

354. *Informis.* Nivis superfusione, carens varietate formarum, nullisque agnoscenda limitibus. *S.* Horatius, *Informes hiemes* dixit. *T.*

355. *Septemque adsurgit in ulnas.* Crescit in septem ulnas. *Ulna* autem, ut diximus, secundum alios, utriusque manus extensio est; secundum alios, cubitus : quod magis verum est; quia Græce ὠλένη dicitur cubitus; unde est λευκώλενος ἥρη. *Serv.*

357. *Pallentes haud unquam.* Nunquam nubes dissolvit : nam pallentes umbræ sunt, non ex nocte, sed ex nubibus factæ. *Serv.* — Hunc sensum confirmant Heynius et Cl. Voss.

360. *Concrescunt subitæ currenti*

mire amplificans. Flumina ita astringuntur gelu, ut per ea transmittere currus, et rotæ possint: æs præ nimio frigore dissilit, crepat, rumpitur, a se avellitur: vestes mortalium eo rigore penetrantur, ut vix flecti queant, vix servire usui humano: vina calidæ naturæ ita rigescunt, ut securibus frangi debeant: lacunæ, parte etiam infera, non tantum supera, solido gelu obstupescunt: mortalium barba stiriis horret, quovis humore statim se congelantes.

367. Non satis summo vati superiora ad amplificandum. Ecce malum aliud ingens e cælo: ningit ita copiose, ut moriantur pecudes, quum nequeant vincere molem, et copiam nivium. Nam boves, etiamsi magnis corporibus vallantur nive, neque se possunt commovere: cervi, qui alioquin velocissimi, torpent nivium mole, et vix exstant cornibus. Inde

in flumine crustæ. Aquæ congelascunt fluentes. Notandum sane, quia quum *hæc crusta* dicimus fœminino genere, lapidis, aut ligni, aut gelu partem significamus: quum vero *crustum* dicimus, edulium aliquod significamus, partem panis, vel placentæ. Ipse in septimo Æneid.: *Orbem fatalis crusti.* Horatius: *Dant crustula blandi Doctores.* Juvenalis: *Nos colaphum incutimus lambenti crustula servo.*

363. *Æraque dissiliunt vulgo.* Passim crepant: nam tam nimio frigore, quam calore æra rumpuntur. Persius: *Findit infantes statuas.* — *Vestesque rigescunt.* Durantur, ut frangi potius, quam scindi posse videantur. *Serv.*

364. *Cæduntque securibus humida vina.* Etiam vinum naturaliter calidum illic gelatur. Intelligimus autem peregrinum; nam illic non nascitur, sicut paulo post ipse docet, dicens; *Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis.* Sane volunt physici, vinum non gelari; unde hoc loco aut Hyperbole est: aut quia dixit *Humida*, aquæ mista intelligamus; ita enim gelari dicuntur. *Serv.*

366. *Stiriaque impexis. Stiria*, id est, gutta: inde fit diminutivum, ut dicamus *stilla.* Inde est *distillat*, et *stillicidium.* Sensus autem duplex est: nam aut hoc dicit, de impexis barbis pecudum pendens gutta duratur: aut certe de tectis et arboribus gutta horrida induruit in modum barbarum, *Serv.*

367. *Non secius.* Non segnius quam inchoaverat. *Serv.* — *Aere. Toto aere*, id est, a terris ad cælum. *Philarg.* — *Ninguit.* In quibusdam *ningit*: in antiquioribus omnibus, *ninguit*: unde *ninguidus* Lucretio, et aliis veteribus, Capro reclamante. *Pier.*

368. *Pruinis.* Abusive nivibus: nam pruina est matutini temporis frigus. *Serv.* — Strabo, lib. XI, pag. 528, ait in Danicis insulis oves in unum congregatas ita nivibus tegi, ut non nisi halitu manifestæ fiant. *V. G.*

369. *Conferto agmine cervi.* Conjuncto, denso. Cervi enim congregatione gratulantur. *Serv.*

nullus labor in his capiendis: non enim est opus canibus, qui cursum contineant; non retibus, quæ fugam impediant; non rubra Formidine, quæ eos ad locum certum contrahat: supplet enim nix vicem canum, retium, Formidinis.

373. Quæ est ergo ratio capiendi cervos? facilis quidem; accedunt venatores proxime, et cervos impeditos obtruncant ferro, ac reportant domum; cervos qui frustra conantur trudere pectoribus obstantem montem nivium, quique graviter et gemebundæ rudunt, quum cæduntur.

376. Quid vero mortales? Agunt magnam anni partem in specubus; curant corpora luculentis ignibus; neque enim sarmenta concremant, sed integra robora, ulmos integras: ibi in ludo ducunt noctem perpetuam, nunquam illis die illucente: ibi se invitant vino confecto ex fermento, et sorbis acidis; quod imitatur viteum.

371. *Cassibus.* Id est, retibus. Hinc est quod et *incassum* dicimus, id est, sine caussa, quasi sine cassibus; sine quibus venatio est inanis. *Serv.*

374. *Graviterque rudentes. Rudere* etiam leonibus Æneid. VII, tribuit; *Vincla recusantum, et sera sub nocte rudentum.* Sunt qui ducti hujus loci argumento tempus admissuræ cervorum a Gallis *Rut* dictum putant. *Germ.* — *Rudere* hic cervis tribuit; Æn. VII, leonibus; Æn. VIII, homini Caco: Persius asinis. *Taubm.*

375. *Læti clamore rep.* De apparatu, plausu, et clamore venatorum in præda insigniore, ut regem Cappadocum captum credas, vide J. Saresberiensis Policraticum I, 4. *Taubm.*

376. *Specubus.* Artis fuerat *specibus* dicere; quia quarta declinatio in dativo et ablativo pluralibus, *u* in *i* vertit: et ita facit dativum pluralem, ut ab hoc *fluctu*, his *fluctibus*: sed quia pinguius sonat et melius, *specubus* dicimus: unum tamen nomen est, quod aliter non dicimus, ut *tribubus*; nam *tribibus* nemo dicit. *Serv.*

379. *Hic noctem ludo ducunt.* Quasi perpetuitatem noctis, sub terris locati, ludo concelebrant. *S.* — Non *dicunt*, ut nonnulli.

380. *Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis.* Potionis genus est, quod *cervisia* nuncupatur: et consequens est, ut vinum, per naturam calidum, in provincia frigida non possit creari. *Serv.* — Hoc genus potionis confectum est ex hordeaceis, ex frumentaceis, ex pomis arborum: ex aliis silvestribus in usu est Septemtrionalibus, ut satis liquet ex Tacito de moribus Germ.: « Potui est humor ex « hordeo, aut frumento, in quandam similitudinem vini corrup« tus. » Neque vero solum Septemtrionalibus, sed aliis etiam: nam Plinius XIV, 22: « Est et Occiden« tis populis sua ebrietas fruge ma« dida. » Et infra, « Ægyptus quo« que e fruge sibi potus similes « excogitavit. »

381. Res tota epiphonemate absolvitur. Talis est gens illa sæva, et efferata Septemtrionalium; quæ tunditur Euris flantibus e Riphæis Scythiæ montibus; quæ induitur vestibus confectis e setis ferarum, atque ita nequit penetrari a frigore.

384. Adhibentur præcepta his, quibus studium est lanarum, et qui greges ideo pascunt, ut lanæ lucrum quærant: præcepta ista quatuor sunt: primum, fugiendum esse pastoribus locum omnem, in quo sunt lappæ, tribuli, spineta, senticeta: ista enim omnia lanam discerpunt, ut quæ hamata sunt, et aculeata. Secundum, fugiendum quoque locum fertilem ad pastionem, quia, quo pinguius pecus, ideo minus lanatum, absumente lanam pinguedine. Tertium, legendas, et præferendas oves, quibus lanæ albæ, non nigræ: nam albæ melius imbibunt tincturam. Quartum, rejiciendum ab admissura ovium arietem illum, cui sit nigra lingua, etiamsi sit candidus corpore reliquo, nam exsistet ab hoc patre nigra soboles.

382. *Gens effrena virum.* Sæva, rectorem recusans. *Serv.* — *Quæ sibi parendi legem* dici non patiebatur, ut Justin. II, 3; libertatis amans; nam eodem teste: *ipsi perpetuo, ab alieno imperio, aut intacti, aut invicti manserunt.* Curt. VII, 8; nec *servire ulli potuerunt.* Emm. — *Rhipæo Euro.* Scythico vento. *Rhipæi* autem montes Scythiæ, ut diximus, a perpetuo ventorum flatu nominati: nam ῥιφὴ, Græce impetus et ὁρμὴ dicitur, *ἀπὸ τοῦ ῥίπτειν. Serv.* — Eleganter *tunditur.* Sic Horat. Epod. XVII: « Non « saxa nudis sardiora navitis Nep- « tunus alto tundit hibernus salo. » Noster Æn. V, 124: « Saxum, etc. « quod tumidis submersum tundi- « tur olim Fluctibus. » Catul. Epig. XI: *Littus Eoa tunditur unda.*

383. *Pecudum fulvis velatur corpora sætis.* Rhenonibus, ad arcendum frigus: nam ut Sallustius dicit in Historiis: *Vestes de pellibus Rhenones vocantur.* Serv.

384. *Si tibi lanitium curæ.* Et hæc *lana* dicimus, et hoc *lanitium*; sicut *fuga* et *effugium.* Quod autem dicit oves, lanæ caussa, non debere pinguescere, physicum est: Omne enim pingue animal caret pilis: quod hirsutum efficit macies. *Serv.*

385. *Lappæque tribulique.* A quibus rebus lana decerpitur. *Serv.* — *Fuge pabula læta.* Quia læta pascua, solocem lanam faciant, hoc est, minutam duram, atque hirsutam. *Philarg.*

386. *Continuo.* Pro *perpetuo*; semper hoc enim fieri debet. — *Villis lege mollibus albos.* Lana enim alba pretiosior est, quippe susceptura alium quemlibet colorem. Quod autem hic per transitum tangit, in aliis plenius legitur; maritum pecoris, et cornua, et ungulis, et palato album esse debere: alioquin, licet sit candidus lanis, constat ex eo pullos nigros creari.

387. *Aries sit candidus ipse.* Bene addidit, *Ipse*, quasi qui aut dominus gregis est; aut qui antea

391. Firmat exemplo numinis, quæ dixit de candore lanicii. Nam Pan Arcadiæ Deus, ut Lunam pelliceret ad amorem sui, se in arietem candidissimum convertit, non facturus, si niger color esset præstantior.

394. Fit gradus ad pastores, quibus non lanarum studium, sed lactis. Isti cythisum porrigant pecori, lotum, et herbas conspersas sale, propter duplicem rationem. Prima, quia inde pecus magis sitit, ex quo major potandi aviditas, ac perinde major lactis copia in uberibus. Altera quia sapor salis in lacte erit, inde lac dulcius, et gustui suavius.

398. Sequitur præceptum alterum ad copiam lactis, idque ex multorum opinione. Hœdi quum jam excreverunt, suntque validiores, arceantur a matribus, ne tamdiu exsugant, et lac adimant. Quin, si opus, præfigantur illis ora capistris, quibus claviculi ferrei, ut matrem lædant, si velint sugere, ac perinde illa fugiat.

400. Transit a lacte ad caseum, et ad delicias alias, quæ fieri solent ex lacte; lac mulsum matutino, aut diurno tempore, prematur nocte in caseum: mulsum vero vesperi, et noctu est usus duplicis; nam vel potest impendi in delicias lacteas,

pro damno capitali dari consueverat: nam apud majores, homicidii pœnam noxius arietis damno luebat: quod in Regum legibus legitur. *Serv.*

391. *Munere sic niveo lanæ.* Mutat fabulam: nam non Pan, sed Endymion amasse dicitur Lunam: qui spretus pavit pecora candidissima, et sic eam in suos illexit amplexus: cujus rei mystici volunt quamdam secretam esse rationem. — *Si credere dignum est*, tantum de luna sacrilegium. *Serv.*

394. *At cui lactis amor.* Alia porro est ratio pascendarum oviumque caprarumque, e quibus lactis aut casei copiam habere volumus. Has enim pinguiori cibo alimus, et cythisos, lotosque præbemus, et herbas, sale conditas, præsepibus imponimus. *Pontan.* — *Cytisum.* Arbor a Cytiso insula, ubi multa nascitur, dicta. — *Lotosque. Lotos* arbor pyro similis, utraque pecori bona. *Philarg.* — Non de loto Ægyptia, quæ lilii albi aquatici similis est, hæc intelligenda sunt: perperam Martynus lotum Ægyptiacam ovibus obtruderevult. — De triplici *loti* arbore, itemque herba dulci, vid. Plin. et Theoph.

398. *Excretos.* Id est, separatos; aut qui excreverint, valde creverint, ut ait Servius. Cl. Voss interpretatur, a lacte *remotos*, a matribus *secretos*: quæ locutio Græcis et Romanis est familiaris.

399. *Ferratis capistris.* Id est, duris. *Serv.* — Hæc opponuntur *mollibus capistris*, de quibus supra vs. 188. Scefferus I, 13, *ferrata* peculiaria esse, docet, hœdis ablactandis facta, quæ ferro fuerunt confixa: hos ferreos aculeos metuunt usque adeo capræ, ut repel-

atque exportari in calathis sequenti mane in oppida, ut vendatur: vel sale inspergi, et in caseum formari, servarique ad hyemem.

404. Adnexi canes tractationi ovium, et caprarum, ideo non omissi a vate. Commendat inprimis Spartanos et Molossos; assignat pro cibo serum lactis. Commendat necessitatem canum a re duplici: a custodia, qua omnia tuentur: ab utilitate, quam venando afferunt. Custodia necessaria contra fures nocturnos, contra incursus luporum, contra abactores; hos enim intelligit per Iberos. Utilitas magna est; nam illis

lant hœdos a lacte propter stimulos, quos illi circa nares habent. *Emm.* — Quæ interpretatio melior et genuina est.

402. *Calathis.* Vasis æreis: in quibus lac, vel recens caseus in urbe distrahitur. *Serv.* — *Calathus*, plerumque est corbis in formam explicati lilii texta, qua fructus, vel flores, vel condensatum lac continebatur. (Col. II, 77: IX, 34: VII, 8.) Eodem nomine designabant veteres pocula insculpta variis figuris; Ecl. V, 71: utrum Romani agricolæ condensatum lac in urbem attulerint, nec ne, non satis constat: (Schneider ad Varronem II, 11, 4.) itaque Calathus vas ligneum vel metallicum designat; quod censeo: butyri Virgilius ne mentionem quidem fecit; Romani enim et Græci, eo non nisi ad medicamenta utebantur, narrabantque cum quadam admiratione, barbaros non caseos edere, sed *butyrum* quod germanicum verbum sic a Græcis acceptum est, ut vaccini casei meminerint. *V. G.*

403. *Aut parco sale.* Aut modico sale: aut re vera *parco*, id est, servatore; quia omne, in quod mittitur, servat: nam et homo frugi, *parcus* vocatur: aut certe *parco*, dixit pro *parce*, ut sit nomen pro adverbio. *Serv.* — *Contingunt;* aspergunt, imbuunt sale modico.

404. *Nec tibi cura canum fuerit.* Liptotes, pro magna tibi cura sit canum. *Serv.* — Quorum hic triplex species; *villatica*, *pecuaria*, et *venatica*, Varro II, 9: et Col. VII, 12: Plin. VIII, 40. *Taubm.* — *Postrema.* Contrarium est *cura prima;* quemadmodum *postremus* pro *vilis*, sic *primus*, qui in honore est, et pretio maximo habetur.

405. *Velocis Spartæ catulos.* Pro Spartanos: in Laconicis (Gall. *lévriers*) velocitas; in Molossis (Gall. *dogues*) fortitudo laudatur. Sparta autem Laconiæ est civitas; Molossia civitas Epiri. — *Una.* Id est, cum pecore. *Serv.*

406. *Pasce sero pingui.* Aqua lactis, quæ pingues efficit canes. *Serv.* — Præceptum unicum de ipsorum cibo. Dioscor. II, 80. Col. VII, 12.

407. *Nocturnum furem.* Noctis opportunitatem captantem. *Fur* autem a *furvo* dictus est, id est, nigro; nam noctis utitur tempore. Horatius, *Quam pœne vidimus furvæ regna Proserpinæ.* Aut certe a Græco venit; nam *fur* φὼρ vocatur. *Serv.*

408. *Hiberos.* Abactores: fere enim Hispani omnes acerrimi abactores sunt. *Serv.* — Notat Burmannus

captantur onagri, lepores, damæ; terrentur apri e suis volutabris; premuntur cervi ad retia.

414. Quum serpentes soleant oves infestare, dicit urendam in stabulis cedrum, et galbanum, quibus ex odore insito inest virtus contra chelydros, viperas, colubros: quæ bestiæ solent delitescere in præsepibus, abigunturque odore harum arborum. Prædicat præcipue de colubro inimicitias contra boves,

Hiberos imperante Adriano adhuc acerbissimis pœnis a rapina prohibitos esse. Cerda, qui Hispanus fuit, veteres Iberi accolas eo excusat, quod tunc omnes populi æque rapinis ac bello studuerint, ita ut, quo generosiores et fortiores essent, eo magis ad arma tractanda, et ad rapto vivendum converterentur. Vide Æneid. IX, 612. Justinum, lib. XLIV. *V. G.*

411. *Sæpe volutabris silvestribus. Volutabra* loca sunt in quibus se apri *volvunt*: silvestribus autem ideo, quia et circa casas esse, et in civitatibus possunt. *Serv.*

413. *Clamore.* Clamores, quibus canes excitarentur ad sequendam prædam, hos ponit Xenophon *ἰῶ, σαφῶς, εὖ, εὖγε, ὦ κύνες: Io, probe, bene, euge, o canes, ὕπισθε ὦ κύνες, prædam sequimini o canes.* Martial. epigr. X, 37. *Hic olidam clamosus ages in retia vulpem.* Cerda. — Isidorus sub calcem lib. X: « Venator quasi venabulator a venatione, qua bestias premit. Quatuor « autem sunt venatorum officia, « vestigatores, indagatores, alatores, et pressores. »

414. *Odoratam stabulis.* Pro odoriferam; et loquitur de serpentum remediis, qui ingressi tecta, animalibus nocent. *Serv.*

415. *Galbaneoque. Galbanum* species est multis apta medicaminibus; succus est, gummi, aut thuris modo expressus e ferula sive narthece, cujus nidore serpentes vel maxime noxii fugantur. — *Agitare,* persequi. Martynus putat τὸ *graves* de odore intelligendum esse; et Servius legit *gravi nidore,* qui serpentibus noxius est: malo ipsos intelligere serpentes, qui nocent, *graves* sunt pecoribus; ut *gravis est* cantantibus umbra Juniperi; Ecl. X, 75: Cl. Voss ait multos ancipites locos occurrere in explicanda voce *gravis;* v. c. apud Horatium, *graves Persæ;* nam si Romanis metuendi, etiam et ob graveolentem halitum innotescebant.

416. *Immotis præsepibus.* Non purgatis: itaque stabula frequenter everrenda; ut docet Colum. VII, 4, 6. — *Aut mala tactu.* Quæ et tacta nocet, et est perniciosa, dum tangit. Vipera autem species est serpentis, quæ vi parit; nam corrosis ejus lateribus, exeunt pulli cum matris interitu. Lucanus, *Viperei coeunt abrupto corpore nodi.* S.

417. *Cælumque exterrita fugit.* Gaudet tectis, ut sunt *ἀγαθοὶ δαίμονες,* quos Latini *genios* vocant. *Serv.* — *Delituit;* nullo modo designat hiemem, ut somniat Cerda: nam Calpurnius, V, 86, monet, eas esse medio æstatis æstu depellendas. *V. G.*

418. *Coluber,* generali appellatione apud Romanos serpentes designat: verba vero; *tecto adsuetus*

ut quæ istis virus suum spargat : in quo dejiciendo opus quoque est saxis, et fustibus. Ex occasione eleganter describit colubrum in partes resectum.

425. Transit ad Chersydrum, qui in agris vagatur non cum minore incommodo : ait hunc esse malum, id est, noxium esse ; in Calabria frequentissimum. Describit, ut se soleat ostentare ad majorem terrorem : convolvit terga, et se in spiras contrahit; ac tunc caput, et pectus attollit.

427. Pertinet hoc ad formam. Est hic anguis grandi alvo; alvus vero variis maculis distincta.

428. Hic serpens amat aquas, amat terram : ideo enim Chersydros dicitur, nam χέρσος tellus est, ὕδωρ aqua. Ergo sic tempus dividit, ut, in hyeme, quum amnes exuberant, et rumpuntur fontibus; vere etiam, quum est magna aquarum copia, stagna et paludes amet, ubi pisciculi, et ranæ ad pastum : in æstate vero, quum exhaustæ præ siccitate paludes, quum in-

succedere, domesticum indicant, existimat Martynus hic agi de magno Boa, II, 153, qui, ut ait Plinius, lactis avidus est : sed nusquam invenio illud monstrum inter domesticos serpentes numeratum fuisse : propius ad rem accedunt, qui dicunt hic agi de serpente, quem vocat Linnæus Colubrum natricem : hic in stabulis moratur, lactis avidissimus : nec ei ulla veneni pars sudest. Sunt qui eum lubenter comedant, Gallice vocatum, *anguille de haie*. V. G.

421. *Tollentemque minas, et sibila*, etc. Lucret. lib. III, de serpente : *Quin etiam tibi si lingua vibrante minantem Serpentem*, etc. *Germ.* — Scaliger hanc de Serpentibus tractationem splendidissimam, numerosissimam, rotundissimam, et Apollineis non inferiorem prædicat, Poët. V, 14. *Taubm.*

422. *Dejice; jamque fuga.* Convenit huic loco comparatio infra Æn. V, de serpente : *Qualis sæpe viæ deprensus in aggere serpens*, etc. — Addantur et huic loco elegantes de dracone Apollonii versus lib. IV, ὅς τε δράκων, etc. — *Dejice.* Feræ in venatione profligatæ *dejici* dicuntur. Phædr. II, 2. *Super juvencum stabat dejectum leo.* — *Timidum caput.* Cui in primis timet : nam, capite salvo, partes dissectæ facile iterum coalescunt. V. Ælian. II, 23.

423. *Agmina caudæ.* Motus : et hoc dicit : cæde serpentem, donec caudæ volubilitas conquiescat. *Serv.* — Datur *agmen* serpenti, agenti sese in omnem partem, ac torquenti. *Cerda.*

426. *Squamea convolvens sublato pectore terga.* Id est, erectus : quod ad expressionem generis serpentis posuit : alii enim repunt toto corpore : alii eriguntur corporis parte. Lucanus, *Et contentus iter cauda sulcare parias.* Serv. — *Sublato pectore.* Hæc nota magna est ferocientis anguis.

431. *Inprobus.* Insatiabilis. — *Ingluviem.* Ventris capacitatem. *Serv.* — Varro ad Ciceronem in

gens ardor terrarum, ab aquis exeat, atque ex siti flammeus ingentem agris vastitatem afferat. Vocatur *improbus*, ut qui se non facile satiet.

435. Concludit hanc partem declarato voto suo : optat enim non dormire sub dio extra tecta, non jacere in herbis nemorum, quum serpens hic senectam exuit; quum juventutem induit; quum per agros vagatur, relictis in cubili, aut catulis,

lib. XXIII : « Ingluvies, *inquit*, sunt « tori circa gulam, qui propter « pinguedinem fiunt, atque inter- « jectas habent rugas. » Sed nunc pro *gula* positum. *Philarg.* — *Ingluviem.* Plinius nominat *sinum gutturis.* — *Ranis loquacibus.* Clamosis. *Loquacibus* ideo, quia ex hominibus factæ sunt, ut dicit Ovidius. *Serv.*

434. *Asperque siti.* Sallust. *Quod genus, siti magis quam alia re accenditur.* Serv. — Serpentes siti esse sæviores, satis late Lucanus indicat, et omnes Scriptores, quum incidunt in sermonem Africæ, quæ venenis et serpentibus præ nimio æstu exuberat. Nicand. etiam θήρεσς βλαβερὸν δίψος. *Cerda.* — Quidam hanc locutionem, *exterritus æstu*, minus intelligentes, *exercitus* legunt : servanda tamen *exterritus æstu :* gallice *effarouché.* V. G.

435. *Ne mihi tum mollis.* Tali exclamatione et ibi usus est Poeta : *Ne tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor :* et supra lib. I : « Non illa quisquam me nocte per « altum Ire, nec a terra moneat « convellere funem » : Et pari ἐπιρρήσει Callimachus et eruptione in hymno Cereris usurpat τὸ μὴ, postquam excandescentiam Cereris in Erysichthona descripsit. Quum autem Maro dixit, *aut catulos tectis, aut ova relinquens,* nondum videtur habuisse exploratum, an chelydrus, de quo agit, ὠοτοκῇ, an ζωοτοκῇ. *Germ.*

437. *Cum positis novus.* Plinius VIII, 27 : « Anguis hiberno situ « membrana corporis obducta, fœ- « niculi succo impedimentum illud « exuit, nitidusque vernat. » addo Tibulli querimoniam El. I, 4 : *Crudeles Divi! Serpens novus exuit annos.* Ovid. de art. a. III, 77 : *Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas.* Idem affirmat Nicander in Theriac. *Emm.* — *Nitidusque juventa.* Pelle enim deposita, redit ad ætatem priorem. *Serv.*

439. *Trisulcis.* Pari metaphora de hydra Lernæ, Val. Flac. Arg. II, *atque ordine curva trisulco Fulmineus quatit ora fragor.* Ovid. Met. III, ita extulit : *Tresque micant linguæ, triplici stant ordine dentes.* Alcimus Avitus lib. II, ita : *trifidam dispergunt guttura linguam.* Sedul. lib. I, *linguis trisulcis Squamea colla tumens.* Plin. XI, 65, *lingua tenuissima serpentibus, et trisulca vibrans, atri coloris.* Referenda sententia ad volubilitatem, qua rotatur serpentium lingua, ita celeriter, ut triplex appareat : non ad naturam ; nam Arist. de Part. Anim. II, 17, tantum bifidam agnoscit. ὄφεις καὶ οἱ σαῦροι μακρὰν καὶ διχῇ γλῶτταν ἔχουσι : *Serpentes, et lacerti linguam habent longam, et bifidam.* Idipsum dixerat etiam Hist. Anim. II, 17. Et de vipera

aut ovis : nam hoc tempore pectus in altum iracundus attollit; lingua immanissime vibrat.

440. Extrema pars libri continet morbos, quibus solent infestari pecora. Initium sumit ab ovibus, mox longe in hanc rem dilabitur, dicturus caussas morborum, et signa. En jam, quæ de caussis promisit. Scabiem enim, morbum ovium, quatuor efficiunt; imber frigidus altius in corpus penetrans : summum frigus summæ hyemis : sudor, qui non tergitur, quum oves sunt tonsæ : vepres, et spinæ suo laniatu.

445. A caussis transit ad remedia morbi. In prima acie ponit ablutionem, de qua discriminatius, quam de aliis : perfundatur pecus fluvio aquæ dulcis, quia videlicet salsa aqua creat pruriginem; si non satis perfusio, mergatur sæpius in ipsis gurgitibus : si neque mersio satis, relinquatur in amni, deturque potestas natandi, ut mora illa vis morbi depellatur.

Nican. Ther. δικρῆ γλώσσῃ : *lingua bifida.* Cerda.

440. *Morborum quoque te caussas, et signa docebo.* Tria dicit, signa morborum, caussas, et remedia : sed non servat legitimum ordinem : nam post remedia morborum, signa commemorat. *Serv.* — *De pecorum morbis, eorumque remediis et signis* Cato cap. 96. Varro II, 1. Colum. VII, 5. Didymus Geop. XVIII, 8, 15.

441. *Turpis scabies.* Quæ asperum et turpe efficit corpus. *Serv.* — *Frigidus imber.* Caussa hæc scabiei in Catone est. c. 5. Rust. *Scabiem pecori, et jumentis caveto : id ex fame, et, si impluit, fieri solet.* Omnes vero caussas, quas Virgilius infert, ex illo adducit Columella VIII, 5.

442. *Altius ad vivum persedit.* Medullas et ossa penetravit. *Serv.* — Sic Apuleius lib. VII, *medullaris dolor*, qui altius penetravit. Hos versus attingit Columell. VII, 5, quo in loco et rectissimam sequentium interpretationem offendas.

443. *Inlotus adhæsit Sudor. Lotus* vel *lautus* dicimus : inde est et *lautum eo;* nam illud ab Horatio satis licenter dictum est, *Ast ubi me fessum Sol acrior ire lavatum Admonuit.* Serv.

444. *Vepres. Vepres* in masculino genere : at Lucretius fœminino dixit : ut, *Illorum spoliis vepres volitantibus auctas.* Philarg. — *Hirsuti secuerunt corpora vepres.* Colum. : « si tonsum gregem patiaris « silvestribus rubis ac spinis sau- « ciari. » Cerda. — *Vepres.* Ambigua prior in *vepres* hic producta : apud Horat. Epist. I, 16. *Corna vepres et pruna ferant.* Emm.

446. *Perfundunt.* De hoc remedio Varro, R. Rust. II, 3 : *curatio*, etc. *Udisque aries in gurgite villis Mersatur.* Musmonem dicit ducem gregis, quem ita et Varro commemorat : huic autem partem aliquam lanæ pastores solent relinquere, unde ait *udis villis :* nam semper oves tonsæ lavantur. *Serv.*

447. *Mersatur.* Colum. IV, 7, distincte hoc : « Atque ubi per tri- « duum delibuto tergore medica- « mina (*ovis*) perbiberit, quarto

448. Post ablutionem confercit remedia plurima : linitur pecus amurca tristi, id est, amara : miscentur in unum ad ejus medicinam spumæ argenti vivi; sulfura vivida ab igne intus latente; pix præstantissima Idæi montis; ceræ, quibus inest pinguedo ad uncturam; Scylla; uterque elleborus (veratrum Latini nominant) albus, et niger; utrique est virus, et vires graves; bitumen nigrum.

« die, si est vicina maris, ad litus « deducta mersatur : si minus est, « cœlestis aqua, sub dio salibus in « hunc usum durata, paulum de« coquitur, eaque grex perluitur : « hoc modo curatum pecus anno « scabrum fieri non posse, Celsus « affirmat. » Dissidet ab hoc Vates, qui hanc mersationem aquis dulcibus fieri præcipit. *Cerda.* — *Secundo amni.* Defluenti; cum aqua scilicet. *Serv.*

448. *Tristi amurca.* Amaris olei sordibus : hoc autem remedium est contra sordes, scabiem, et contra læsum vepribus corpus. *Serv.* — *Amurca.* De amurca contra scabiem late Doctores Rustici. Colum. VII, 5. Plin. XV, 8. Geop. XVIII, 15.

449. *Vivaque sulfura.* Dactylicus versus, quod in fine dactylum habeat. *Serv.* — Hujus extremam syllabam cum prima versus sequentis elidi docet Ruæus : sed illi non adsentior; nam sunt versus Dactylici, ut spondaici; vide Æneid. VI, 33, in quo Ruæi sententia admitti nequeat. — Hanc germanam lectionem esse; non, *et sulfura viva;* docuit Erythræus, et probat Scaliger Poet. II, 31. Notatur autem *sulfur ἄπυρον, et ignes non expertum,* ut Celsus vocat. Apuleio *metallum vivax* est. Est enim et *factitium* sive *mortuum.* Vide Plin. XXXV, 5. *Taubm.*

450. *Idæasque pices.* Liquidas, quæ in Ida, Phrygiæ monte, nascuntur. *Serv.* — *Et pinguis ungine ceras.* Qui plus stomacho quam consilio dant, offendet terminatio, quæ hac in editione occurrit millies, accusativi pluralis in *is* pro *eis.* Memini me monere Ecl. I, 3, *finis.* In gratiam tamen eorum, quibus recondita literarum perscrutari, stat sententia, commendatum volumus Dausquium in Orthograph. pag. 109, qui non tantum hunc locum, sed et plura ex Virgilio, imo permultis aliis auctoribus, citat testimonia, quibus liquidum, male *eis,* rectius *is* desinere hunc casum. *Emm.* — *Unguine.* Omnis succus, quo ungi potest, *unguen* dicitur. *Philarg.*

451. *Scillamque elleborosque.* Genera herbarum sunt. *Serv.* — *Scillamque.* Genus herbæ, quod in limitibus agrorum ponitur in Africa. *Philarg.* — *Elleborosque.* Herba quæ et *radicula* dicitur, quæ animalibus prodest. — Cum adspiratione scribi vult etymon παρὰ τοῦ ἑλεῖν τῇ βορᾷ, quod *esu* perimat; sed tamen multoties sine spiritu aspero inveniri docet solidis argumentis Dausq. in Orthogr. quem legas, operæ est. — *Nigrumque bitumen.* Inde Horat. Epod. V; *bitumen atris ignibus.* — *Bitumen* apud nos vulgo Judæorum pix; (asphaltus) materia dura, et aquæ supernatans,

452. Post tot remedia adhibet extremum, quod præsens, id est, unicum, et efficax scabiei sanandæ, nimirum rescissionem partis exulceratæ: hoc enim nisi fiat, serpet vitium, aletur, vivet: gerat se pastor medicum, ferrum adhibeat, resecet, non terat tempus fundendis tantum precibus et exspectando omini: nam, ut ait Sallustius, frustra, si te ignaviæ tradideris, votis muliebribus auxilia Deorum implores.

457. A morbo scabiei transit ad febrim, qua solent infestari pecora. Ergo, quum æstus ille, qui a febri provenit, in miseram ovem grassatur, averti debet scissione venæ, et sanguinis missione: feriatur vero vena illa, quæ est supra ungulam, ad ima ipsius pedis.

461. Vult suos pastores similes esse Bisaltis, et Gelonis, qui in locis desertis, secta equi vena bibunt ferinum sanguinem, una cum lacte concreto.

464. Adhibet signa quinque pecudis febricitantis. Ea pecus

et ex humo ebulliens. *Martyn*, qui fuerit artis medicæ prudentissimus, Virgilii unguentum tanta diligentia compositum adfirmat, atque tanta cura pustulæ rescissio descripta ut, facile credideris, quod tradunt grammatici, nostrum poetam ejus artis participem fuisse.

455. *Medicas adhibere manus.* Παιωνίαν χεῖρα repræsentare voluit, h. e. θεραπευτικήν. *Taubm.* — *Ad vulnera.* Bene *ad vulnera*, pro ad facienda vulnera. *Philarg.*

456. *Aut meliora deos sedet omina poscens.* Majores enim expugnantes religionem, totum in experientia collocabant. Sallustius: « Non votis neque suppliciis mu-« liebribus auxilia deorum paran-« tur: vigilando, agendo, bene « consulendo, prospere omnia ce-« dunt: ubi socordiæ te atque « ignaviæ tradideris, nequicquam « deos implores; irati infestique « sunt. » *Serv.* Vide nostrum Sallustium, pag. 95, in oratione M. P. Catonis de puniendis Catilinæ sociis. — *Sedet.* Hoc verbum jam usu auctorum invaluit ad otium significandum, et remissionem. Ita Græci καθῆσθαι. Inde *deses*, *desidia*, *desideo*, omnia ad remissionem transferuntur.

458. *Arida febris.* Quæ arida efficit corpora: tamen sciendum, *febrem* licet a *fervore* dicta sit, esse etiam frigidam; unde modo ad diastolen ait *aridam*. Serv.

459. *Incensos æstus.* Id est, febrem. — *Inter Ima ferire pedis salientem.* Id est, mobilem: dicit autem illam venam esse feriendam, quæ supra ungulam est animalis, tam lata, quam mobilis. *Serv.*

462. *Quum fugit.* Vel re vera fugit: vel pergit celeriter. *Serv.* — *Fugere*, usurpatur de motu quocunque citato. Cicero de Orat. III, 39, locutionem, *si telum manu fugit*, metaphoram esse declarat: male quidam Manilii verba, *fugit Eurus ab ortu*, in *furit ab ortu*, mutavere. *V. G.* — *Fugit;* ita vivit, ut vagas domos plaustris trahat.

habet febrim, quæ sæpius ad umbram declinat, quæ ignaviter pascitur, quæ extrema est, quæ fessa in campo procumbit, quæ sero et nocte redit: hanc statim occide, ne in reliquas serpat contagio. Illud *culpam ferro compesce*, refertur ad eam culpam, quæ residebit in pastore, nisi utatur ferro.

470. Dicit non tam crebros fluctus atque turbines ruere ex mari, quum imminet atrox tempestas, quam febris unius infectæ pecudis in reliquas advolat, grassatur, sævit. Cur? quia non pereunt singula corpora; sed repente atque uno impetu tota æstiva intereunt, tota corruunt; quia cadunt agni, in quibus sita est spes reparandæ sobolis; quia cadit ovium, atque arietum grex, et gens tota. *Æstiva* sunt proprie loca, ubi in æstate sunt greges; sumuntur hic pro ipsis gregibus, quos febris æstate potius, quam alio quovis tempore invadit.

474. Congerit in argumentum diræ cladis, qua solent oves perire, quæ gesta in Alpibus, Norico, et Venetorum locis. Argumentum petitum est a sensibus aurium, et oculorum, hunc in modum: si quis audivit, quantum olim floruerint

468. *Culpam ferro compesce.* Atqui habere morbum, culpa non est: sed hoc dicit, occidendo eam, tuam culpam compesce; id est, vita crimen, in quod potes incidere; si, dum uni parcis, fuerit totus grex ejus contagione corruptus. *Serv.* — Grimoaldus, Cerda, eorumque successores nullo modo viderunt Virgilium hic sibi transitum fecisse ad universæ pestis descriptionem, quum omnia revocent ad febrim, censeantque ejus indicia hic enumerari. Hi prædicant febrem sanguinis emissione esse curandam, et nihilominus existimant eam, priusquam irrumpat, nece antevertendam. O insulsitatem! prognostica omnino ab his diversa apud Varronem, Columellam, Didymum nominantur; scilicet, os hians, salivæ fluxus, halitus brevitas et rapiditas, oculorum lacrymæ, totiusque corporis incendium. *Bersmam* qui hæc etiam de febri intelligit, tamen verba, *ferro compesce*, non de nece interpretatur; qui sanandi modus illi videtur heroicus nimium; sed de sanguinis emissione aut ulceris rescissione: hic saltem ineptiæ culpam non admisit. *V. G.*

469. *Incautum volgus.* Quod se morbosi pecoris contagione abstinere non novit. *Serv.* — *Dira contagia.* Pro eo *mala contagia* Ecl. I, 51, ubi dictum usitatius dici *contagium*: unde Horat. Epod. XVI, *nulla nocent pecori contagia;* et ne proserpat lues ad gregem universum, cavendum esse, illo loco expositum memini. *Emm.*

472. *Tota æstiva.* Loca posuit pro animalibus. *Æstiva* autem sunt loca umbrosa, in quibus per æstatem pecora vitant Solis calorem. Statius, *Et umbrosi patuere æstiva Lycæi.* Serv.

474. *Tunc sciat, aerias Alpis et Norica si quis.* Sensus hic est: si

ovibus Alpes aeriæ, Noricum, et pars illa Venetorum, quæ sita est ad Timavum fluentem per Iapidiam; nunc vero videat, adhuc tanto post tempore, loca ea deserta, saltus vacantes, quæ vere erant regna, et deliciæ pastorum; hic profecto credet, quæ a me dicuntur de cladibus ovium.

478. Sententia est, infectione aeris, (nam hoc est *morbo cæli*), quæ solet incandente, ardente autumno contingere, tam atrocem tempestatem, pestem, et luem sæviisse, ut omnes pecudes, omnes feræ interirent: clades ista e corruptis lacubus manavit, e corruptis pabulis: a corrupto enim potu et cibo quid exspectes, nisi diram luem?

482. Dixit interitum ferarum, jam modum interitus: non simplex erat mors, quæ fit fuga animæ, sed erat modus crudelior: nam primum ignea quædam sitis artus contrahebat; deinde post tam aridam sitim liquor quidam sordidus sese in

quis est qui sciat ista loca, qualia tunc fuerunt, quum pecoribus erant referta; nunc quoque ea vacantia videat: licet plurimum a pestilentia fluxerit tempus. — *Norica si quis. Noricum* pars est Illyrici. *S.*

475. *Et Iapidis arva Timavi.* Id est, Venetiam: nam Iapidia pars est Venetiæ, dicta ab Iapido oppido. Sallustius, *Primam modo Iapidiam ingressus.* Hujus est fluvius Timavus; unde male quidam *Iapigis* legunt, cum Iapigia sit Apulia.

476. *Regna.* Plato Leg. IV, αἰγῶν ἄρχοντας, dixit: *principes caprarum.* Itaque verba imperandi, regnandi, dominandi creberrima in re pastorali. Plato statim διοπτόζομαι de eadem re.

479. *Totoque autumni incanduit æstu.* Exarsit prima autumni parte, qquæ semper gravem efficit pestilentiam: ut autem autumnus abundet morbis, facit confinium frigoris et caloris; quod licet etiam vernum tempus habeat, caret morbo: quia tunc corpora præcedenti durata sunt frigore; quæ autumnus corrumpit, laxiora inveniens post æstatis calorem. *Serv.*

482. *Non simplex:* sensus est: non unus et idem dolor mortem adducebat; sed dolores diversi, qui sibi omnino oppositi videbantur: primum enim ardore artus siccati; mox rursus humore ipsa ossa liquefacta. Verbum *simplex* pari modo usurpatur, et supra Ge. II, 73; et apud Lucret. V, 613—619, *nec ratio simplex:* apud Ovid. Met. VI, 254, *non simplex vulnus:* apud Senecam, Ep. 70, *altera mors cum tormento, altera simplex:* sed interpretationem τοῦ *simplex*, quam somniavit Servius, et post eum interpretum turba, ne se dignam quidem admitteret ridiculus ille, quamvis sani judicii armiger, Sancho Pança. *V. G.*

484. *Rursus.* Hic *Rursus* positum pro contra, ut supra: « Rursus « cura patrum cadere, et succedere « matrum Incipit. » — *Fluidus liquor.* Humor sordidus et pestilens: indicatur putrefactio humorum, quam meatuum efficit obstructio.

corpus refundebat, atque omnino tabificus; inde corpus minutatim, atque omnia ossa tabescebant, resolvebantur, collabebantur.

486. Sequuntur discriminatim particulares casus, et cædes, quibus amplificatur pestis hujus descriptio; incipit vero a sacris: accidit sæpe, ut hostia staret jam ad ipsam aram, ac tunc subito caderet correpta morbo inter moras exiguas ministrorum aptantium, alligantiumque infulam vittis: *hostiâ moribunda* est, quæ morte corripitur, utique moriens; sed est vividior, et expressior affectus.

489. Sed esto, cæderetur hostia; adeo erat tabida, et morbo consumta, ut inutile esset sacrum: nihil enim supererat, quod arderet in altaribus: sacerdos nihil responsi dare poterat: vix cultri tingebantur sanguine: arena non rubebat pur-

485. *Ossa.* Etiam *ossa*: et per Hyperbolem, totum hominem significat. *Serv.*

486. *Sæpe in honore deum, etc.* Hanc peculiarem conquestionem sumsit a nostro Ovidius, lib. VII, Metam. 593: «Admoti quoties templis, dum vota sacerdos Concipit, et fundit purum inter cornua «vinum, Haud exspectato cecidere vulnere tauri.» Quod iterum repetit more suo; lascivit enim interdum hic poeta, veluti non cogitans, quid præmiserit, quo vitio nullum majus: et paulo post; «mugitus victima diros Edidit, et subito collapsa sine ictibus ullis.»

487. *Lanea.* Id est, infula: nam non stat versus si *lanea vitta* dixeris. *Serv.* — *Infula;* fascia lata in modum diadematis, a qua dependent vittæ ex utraque parte, cingebat sive tegebat frontem summi pontificis, et sacerdotum Cereris. — *Vitta;* angusta tænia qua crines, vel serta, vel flores aut quidvis aliud circum capita apud antiquos religabantur. Multi interpretes hæc duo vocabula non raro confuderunt: sed Cl. Voss improbat Gesnerum, qui vult infulam e frontibus pependisse.

488. *Ministros.* Non dubium popas intelligi, qui ministri sacrificiorum, ferire victimam cunctati fuerant.

490. *Impositis.* Cor negatur cremari posse in iis qui veneno interempti sunt, Plin. XI, 37: an eadem ratione peste infecta cremari non possint, considerato. Lucretius certe, in Attica pestilentia ait peste exstinctos, non humatos, sed crematos esse. *Ramus.*

491. *Nec responsa potest consultus reddere vates.* Colligi enim, nisi ex sana victima, futura non possunt.

492. *Ac vix suppositi tinguuntur sanguine cultri.* Culter sacrorum fuit. Invenies inter instrumenta sacra loco cultri bipennem, securim, malleum, clavam, machæram. — *Bipennem* Silius exhibet lib. VI, *Victimaque admotæ stabat subjecta bipenni.* — *Securim* Noster Æn. II: *Taurus et incertam excussit cervice securim.* — *Malleum* Ovid. Met. II, «haud aliter, quam quum spectante juvenca Lactentis vituli

pureo, ut solet, cruore; potius infuscabatur sicca quadam sanie.

494. Transit a sacris ad cædes alias, et has confertim dat, sumtis ad exemplum vitulis, canibus, suibus : de equis enim, tauris, aliisque animantibus postea fuse loquetur. Moriebantur passim vituli, jam qui in agris pascebantur, jam qui ad præsepia : canes blandiri soliti suis dominis rabie agitabantur : sues quatiebantur commovebanturque tussi anhelante, quæ illos angebat faucibus obesis, tumentibus.

498. Post brevem canum et suum mentionem, ad equos pergit, quorum calamitatem totus hic tractus continet : adhibet sex prius signa, quæ in illis sunt, quum primum peste invaduntur. Aversio ab studiis, et gloria pristinorum certaminum; oblivio pabuli, et potus; nam pabuli est immemor, et avertitur, aversaturque fontes : inquies, et tremor, quo terram sæpe percutit : demissio aurium, quæ, quum valet, arrectæ sunt, et micantes : sudor quidam incertus, et frigidus; incertus, quia nulla præcedente laboris, aut fatigationis caussa; frigidus, ut qui totus tendit ad exitium, et mortem : est demum pellis arida, et ipso tactu rigida.

« dextra libratus ab aure Tempora « discussit claro cava malleus ic« tu. » — Ῥόπαλον, id est, clavam ab Apoll. illatam. Arg. I, observat Briss. Et Dion. Hal. VII, dixit, θύματος κροτάφους σκυτάλῃ ἔπαιον : *Hostiæ tempora percusserunt clava*. De *machæra* locus est in Herodoto lib. II, ubi ait, carnem immolati bovis incidi ἑλληνικῇ μαχαίρῃ. *Cerda*. — Vide Chulium in libro *de la Religion des anciens Romains*, p. 289.

494. *Volgo*. Ubique, passim et catervatim. — *Lætis in herbis*. Ideo, ne eos fame perisse putaremus. *S*.

496. *Hinc canibus blandis*. Canibus rabies ex pestilentia nascitur. Hæc lues canes ideo primum invadit, quia odoris vi cetera animantia superantes, fœtorem, vel quicquid pestilens sidus adflaverit, naribus percipiunt. — *Quatit ægros Tussis anhela sues*. Proprie : nam tussis commovet corpora. — *Ac faucibus angit obesis*. Tumentibus : *angit* autem, bene ait : nam angina dicitur porcorum morbus, qui occupat fauces. Plautus : « Vellem « me in anginam verti, ut huic ani« culæ fauces præoccuparem. » *S*. — Cl. Voss laudat hunc versum cujus motu metrico ipsam audire tussim dixeris.

498. *Labitur infelix*. Lusere in suis pestibus ad imitationem Virgilii, Ovidius, Lucanus, Seneca : hi tres loquuntur de equo. Horum versus si conferas cum illo, nugari videbuntur, dum Maro graviter, presse, et cum vivido sensu doloris narrat.

501. *Morituris frigidus*. Frigidus sudor, mortis futuræ signum est, et moriturus frigore plenus est. — *Tractanti dura resistit*. Frigida est, nec cohæret digitis. *Serv*.

504. Sequuntur signa totidem, quum jam morbus crudescit, et mors instat: ista diriora sunt: ardor oculorum; spiritus difficulter tractus ab imo pectore; gemitus gravis; singultus longus iliorum; profusio atri sanguinis ex naribus; asperitas linguæ in obsessis interclusisque faucibus.

509. Dicit, huic tanto malo mederi solitum vino; sed statim medicinam ipsam majoris mali caussam esse; nam ab infuso vino ardor excitabatur; furiæ crescebant, donec ipsi equi miserandum in modum se suis dentibus laniarent. Quem utinam furorem ab piis Dii avertant! *inserto cornu*, nihil est aliud, quam insinuato intra fauces, quo facilius vinum funderetur in stomachum.

515. A calamitate equorum transit ad tauros; et ut in equis,

504. *Cœpit crudescere morbus.* Validior fieri; ut, *Devicta crudescit pugna Camilla;* et jam dat signa morbi validioris. *Serv.*

505. *Ardentes oculi.* Nulla major nota illorum, qui tenentur acri peste. Thucyd. inter signa, ὀφθαλμῶν ἐρυθήματα, καὶ φλόγωσις: *oculorum rubores, et inflammatio.* Lucret.: *Et duplices oculos, suffusa luce rubentes.* — *Attractus ab alto Spiritus* Thucyd.: καὶ πνεῦμα ἕλκον, καὶ δυσώδες ἱέμενον: *Spiritus arcte, et cum graveolentia meabat.* Lucretius tantum expressit δυσώδες Thucydidis: « Spiritus ore foras tetrum « volvebat odorem, Rancida quo « perolent projecta cadavera ritu. » De Rer. Nat. VI, 1152. Illud *ab alto*, ita extulit Horat. Epod. XI, *latere petitus imo spiritus.*

508. *Obsessas fauces.* Id est, claussas inflammatione. Petronius: *Faucibus obsessis vitalis semita cessit.* — *Aspera lingua.* Scilicet nimia siccitate. Ovidius: « Aspera lingua tu- « met, tepidisque arentia ventis « Ora patent. »

509. *Profuit inserto latices infundere cornu.* Non semper, sed aliquando: nam hoc solum est, quod morbo liberat, aut commovet in furorem. *Serv.*

511. *Mox erat hoc ipsum exitio.* Quod saluti esse putabatur: et hoc est quod paulo post dictum est: *Quæsitæque nocent artes.* — *Furiisque refecti.* Quia languentia corpora in vires quodammodo excitat furor, et facit ea in exitium convalescere. *Serv.*

513. *Dii meliora piis.* Per parenthesin, in execrationem hostium, hanc torquet insaniam. *S.* — *Erroremque.* Id est, furorem, qui mentem perturbatam sequitur: ita Bucol. VIII, *ut me malus abstulit error!* Et monet Pimpontius, Lucretium etiam *Errorem* sæpicule pro noxa, et infortunio accipere; ut Græcos πλάνην, et ἁμάρτημα.

514. *Nudis.* Ut fœditatem exprimeret, adjecit *nudis.* Philarg. — *Discissos nudis dentibus.* Horridum aspectum hæc verba sono sibilanti valde augent: nulli, nisi forte Martyno, interpretatio de genciva corrupta in mentem venire potuerat. Virgilius enim nihil eorum refert, quæ possint adducere fastidium. *V. G.*

515. *Fumans sub vomere taurus.*

ita et in tauris moram trahit; quod utrumque ex industria factum, non ad inanem ostentationem ingenii. Nam sicut præcipua pars hujus libri ad equos, et tauros pertinet; ita visum vati dare illis præcipuam partem in calamitate describenda : dicit vero ita pestem sæviisse, ut taurus alter, quum gemini terram ararent, subito malo oppressus concideret : inde ex necessitate relictum opus fuisse rustico, abjungenti solventique ab aratro taurum superstitem ac dolentem ob fraternam mortem.

520. Dicit nullis voluptatibus taurorum animos potuisse recreari, non umbris nemorum, non gramine, non perenni lympha amnis purius adhuc ipso electro fluentis : nam solutis lateribus, oculis stupore correptis, lassata cervice moribundi concidebant.

525. Sequuntur versus, de quibus merito ait Scaliger, maluisse illos excogitasse, aut confecisse, quam habere Crœsum aut Cyrum dicto sibi audientes. Sententia est, nihil tauris profuisse laborem et beneficium, quibus mortales afficiunt

Per hoc ostendit etiam fortes tauros, repente morbo concidere : nemo enim pestilentem ad aratra ducit juvencum. *Serv.*

518. *Abjungens.* Idem quod *solvens;* quo verbo noster utitur Ecl. IV, et Ge. II, in fine : ut *jungere* sic *abjungere* Propert. Eleg. II, 18, *quam prius abjunctos sedula lavit equos.* — *Fraterna morte juvencum.* Consortis interitu : et ex affectu dictum est rustici. *Serv.* — Hinc arator *tristis;* illinc *mœret* juvencus *morte* fratris : hanc mœstitiam tauri superstitis et mugitibus et lacrymis declarari testantur Nazianzenus et Basilius, ambo amicitia, literis et religione consecrati.

522. *Purior electro campum petit amnis.* Nam sicut electrum defæcatius est metallis omnibus; ita et currens aqua cæteris purior. *Serv.* — Vide notam Heynii vol. I, pag. 496. *Electrum* autem alii *metallum* intelligunt, quæ est auri argentique mixtura : de quo Æn. VIII, 403. Alii *succinum,* quod resina est arborum odoratarum : de quo Ecl. VIII, 54 : *Pinguia corticibus sudent electra myricæ.*

523. *Oculos stupor.* Veget. Mulomed. I, 1, « stupentibus oculis, « auribus flaccidis, erecto pilo, « exhausta sunt ilia, etc. » *Taub.* — *Urguet inertis.* Id est, urget, et inertes facit. *Philarg.*

525. *Quid labor, aut benefacta juvant?* Si neutrum mortem repellit; nec corporis exercitium, nec mentis religio : nam si generalis est sententia, secundum Epicureos, contra religionem est : si autem tantum ad bovem refertur, hoc dicit : quid ei prodest labore suo aluisse mortales? *Serv.* — Ita celeberrimus inter poetas Gallicos exclamat de quodam diluvio loquens:

Les animaux périr! car encor les humains,
Tous avoient dû tomber sous les célestes armes.

LA FONTAINE, Philémon et Baucis.

terram invertendo. Auget commiserationem, quum addit, non illis nocuisse pretiosa vina, pretiosas epulas, quum frondes pastum præbeant; amnes cursu exerciti, id est, non stagnantes, potum : sed neque illis nocuit cura augendæ rei, quæ una solet somnos abrumpere, et morbos generare.

531. Amplificat narrationem calamitatis duplici re, quæ secuta est cædem taurorum. Prima est : deerant boves, neque quæsitæ inveniebantur ad portanda Junonis sacra, et tunc primum currus hujus Deæ ducti sunt uris ad donaria, id est, ad templa donis dicata. Altera : ipsimet homines rastris terram rimabantur, fodiebant unguibus; quin, si quando aratro opus, plaustra cervice humana obnixi trahebant. Quid hac re miserius!

537. Confercit jam hic stragem vagantem per plura anima-

526. *Atqui non Massica Bacchi Munera.* Vina pretiosa a Massico monte Campaniæ : et per transitum tangit illa quæ dicunt physici : morbos venire ex cibi et potus nimietate; vel mutatione, ex nimiis vigiliis et multa sollicitudine; dicuntque etiam sine his nasci ægritudinem : nam in animalibus quum nihil horum sit, tamen ægritudines cernimus. *Serv.*

527. *Epulæ repostæ.* Aut abundantes, aut variæ. — Noli interpretari *repostæ* eodem modo, quo *appositæ :* sermoni latino hæc languida interpretatio contraria est; et illa *iterum appositæ*, æque rejiciendum sensum præbet. *V. G.* — *Simplicis herbæ.* Propter varietates epularum dixit *simplicis herbæ.* Serv. — Hoc opponit τῇ ποικίλῃ τροφῇ, et *cœnæ dubiæ*, ut Terentius et Horatius loquuntur.

530. *Nec somnos abrumpit cura salubres.* Ex cura enim nimia, vigiliæ procreantur. *Serv.*

532. *Et uris Imparibus ductos alta.* Bobus agrestibus, et ipsis inæqualibus : nam *uri*, *agrestes boves* sunt, ut diximus supra : et hoc poetice dicit. Cæterum veritas hæc est : quum mos esset sacerdotem Argivam junctis bobus ire ad templa Junonis, et solenni die boves non invenirentur (pestilentia enim, quæ per Atticam transierat, universa consumpserat) duo sacerdotis filii Cleobis et Bito, matrem, subeuntes jugo, ad templa duxere. Tum Juno probans eorum religionem, obtulit matri, ut quod vellet, posceret filiis : illa pia responsione ait, ut quod sciret dea utile mortalibus, ipsa præstaret. Altero itaque die sacerdotis filii juvenes reperti sunt mortui : ex quo probatum est, nihil esse morte præstantius; quod Herodotus apud Græcos plenissime commemorat in prima historia. *Serv.* — Heynius Servio et aliis hic contradicit; sed momentis et rationibus abstinet, vol. I, pag. 497 et 498. — *Donaria. Donaria* proprie loca sunt, in quibus dona reponuntur oblata diis : Abusive templa. Nam ita et *pulvinaria* pro templis ponimus; quum sint proprie lectuli, qui sterni in templis, supervenientibus plerisque consuerunt. *Serv.*

lia: de lupis ait, adeo premi malo suo, ut nullas insidias gregibus tenderent: de damis ac cervis, nihil fugam curare, pressos etiam diriore malo.

541. Pergit ad pelagus, ubi etiam adeo grassata pestis, ut mortui pisces in litoribus apparerent, non aliter ac homines, quos mare naufragio absumsit, atque in litus exspuit. *Fluctus proluit in extremo litore* dictum est ex natura fluctuum, qui alius alium impellit, donec id, quod mare habet, ad extremum litus perveniat. De Phocis ait, confugisse ad flumina, ut tutiora; qui locus insolens ad tam vastum animal.

544. Adjungit reliquo acervo viperas, quibus nullum præsidium a suis cavernis; et hydros, quibus nullum item a lacubus, quos habitant. *Squammis astantibus* est, horrentibus atque asperis ex conditione morbi.

546. Ab terra, et mari ascendit ad aerem; quæ pars ita infecta, et iniqua suis habitatoribus, ut illic vitam relinquerent.

548. Ait, illud in hac peste fuisse calamitosissimum, ut videlicet nihil opis sperari posset ab medela; quod sic ostendit: quærebantur nova pabula, sed nihil referebat; novæ artes, sed nocebant; novi medici, qualis Chiron filius Saturni, et

538. *Nocturnus obambulat.* Insidiatur: quod autem ait *nocturnus*, figurate rem temporis, ad personam transtulit. *Serv.* — Hunc locum animo præsentem habuit noster *Lafontaine*, lib. VII, Fab. 1; quum ita pingeret animalia peste laborantia:

> . . . . . *Tous étaient frappés:*
> *On n'en voyait point d'occupés*
> *A chercher le soutien d'une mourante vie;*
> *Nul mets n'excitait leur envie:*
> *Ni loups, ni renards n'épiaient*
> *La douce et l'innocente proye:*
> *Les tourterelles se fuyaient;*
> *Plus d'amour!... partant plus de joye.*

539. *Timidi damæ.* Mutavit genus, ut vitaret ἀμφιτίλευτον. Horatius: *Et superjecto pavidæ natarunt æquore damæ.* Dicendo damas et cervos errare cum canibus; duo ostendit, et illos timoris, et hos ferocitatis esse oblitos. *Serv.*

543. *Fugiunt in flumina phocæ.* Quasi timentes marinam pestilentiam. *Serv.* — *Insolitæ*, etc. Præter solitum. Plinius IX, 7: « Et vituli « marini, quos vocant phocas, « spirant ac dormiunt in terra. » Utrum autem pisces morbus pestilens infestet, disputat Aristot. Hist. Animal. VIII, 19. *Taubm.*

546. *Ipsis avibus.* Suis quodammodo, quæ alarum velocitate tamen pergredi non poterant aerem pestilentem. *Serv.*

549. *Quæsitæque nocent artes*, etc. Hanc conquestionem multi excitarunt in suis pestibus describendis. Est enim potentissimum ad movendos affectus, medelam omnem converti in perniciem. Thucyd. οὔτε γὰρ ἰατροὶ ἤρκουν: *neque medici pares erant.* Lucret. pulchre: *mussabat tacito medicina timore.* Ovid. *Exitium superabat opes, victæque jacebant.* Et postea: *inque ipsos*

Phylliræ Nymphæ; qualis Melampus filius Amythaonis; sed cedebant omnes, quasi inutiles tanto malo.

551. Quid mirum si nihil artes prodessent, quum luem istam Tisiphone una furiarum ex inferno adduxisset, quæ ante se morbos agit, metum, et quicquid est horribile. Inde balatibus ovium, mugitibus taurorum ripæ et colles cum magno dolore resonabant: demum ait, ipsam Tisiphonen dedisse ingentem stragem, aggerasse magnis cumulis in stabulis animalium cadavera, quæ præ sanie, et tabo cadebant.

558. Ait, tum primum inventum sepelire humo animalia, ne pestis cadaverum latius serperet: nam coria nullius erant usus, quum malum quod in visceribus hæserat, et inde in ipsa coria transierat, nulla ratione posset aboleri, non aqua, non igne, non tonsura. Itaque non audebant attingere putres telas, putria vellera: si quis attingebat, perfundebatur statim

sæva medentes Erumpit clades, obsuntque auctoribus artes. Silius: *Succumbit medicina malis.*

552. *Pallida Tisiphone. Tisiphonem* hic, non unam Furiarum debemus accipere, sed pestilentiam, cui eleganter Poeta hoc nomen dedit. *Philarg.* — *Agit ante.* Id est, ante se. *Id.* — Malim de ipsa Tisiphone intelligere, cui pestis, tanquam ministra mortis, famulatur; nam illa cædibus gaudet, cadaveribus pascitur, et ab imis Tartari cavernis erumpit, ut stragem augeat, et novam malo sævienti vim adjiciat.

555. *Arentesque sonant ripæ.* Vult pestilentiam etiam elementa sentire: sic in tertio: *Arebant herbæ, et victum seges ægra negabat.* Nam *segetem* pro *terra* posuit. *Serv.* — *Collesque supini.* Græcorum more, qui πεδίον ὕπτιον. *Cerda.*

557. *Dilapsa c. tabo.* Diffluentia sanie; supra, *morbo collapsa.* Lucanus: « Corpora tam solvit tabes, et digerit artus. *Taubm.*

558. *Donec humo tegere.* Indicat Virg. in hac sua peste primum cœpta humari cadavera ferarum, quod nunquam prius in usu. Verba, quibus Noster locutionem variat, sunt ista: « condere, manda- « re, infodere, referre, concedere, « onerare terræ aggere. » *Cerda.* — *Foveis:* fovea proprio sensu est fossa, qua capiuntur feræ: sed de quacumque profundiore fossa dici potest; profundis enim fossis opus erat, tum ob cadaverum copiam, tum ob aeris pestilentiam. Lectio *fossis*, quam Pierius et Martyn invenere, glossam olet, et sibilo quodam versum contaminat.

559. *Nam neque erat coriis usus.* Quippe morbo putrefactis. — *Nec viscera quisquam Aut undis abolere potest.* Nec lavari, nec coqui poterant. Caro enim corrupta morbo, quemdam habet mucorem, qui non ablui potest; quoniam omne possidet corpus: item igni superposita, aut putrefit, aut durescit; nam non coquitur. *Serv.* Vide *le journal de Trévoux*, 1756, tom. II.

562. *Telas putris.* Ipsa vellera putrida; κατ' ἐναλλαγήν, quibus telæ conficiebantur; sed putres mor-

ardentibus papulis, pustulis, sudore immundo : ac post breve tempus (nam hoc est, non longo moranti tempore) ignis sacer exedebat artus, quos contigerat.

bum communicabant : at si non attingi potuere, quæritur, quomodo amictus ex iis facti sint : quamobrem mihi magis placuit lectio *adjungere ; telæ* jugo textorio non adjungi poterant ; putres enim rumpebantur. Quod si quis fecerat, etsi *putri tela*, amictum ; et more Romanorum nudo corpore induerat, tunc veneni vis manifesta papulis fiebat ardentibus. *V. G.*

564. *Ardentes papulæ.* Id est, carbunculi. — *Immundus sudor.* Morbus pedicularis, qui est φθειρίασις. *Serv.*

566. *Sacer ignis.* Quem Græci ἱερὰν νόσον vocant. *Serv.* — *Sacer ignis.* Luçret. : « Exurit sacer ignis, « et urit corpora serpens Quam- « cunque arripuit partem, repitque « per artus. » Seneca : « et sacer ig- « nis Pascitur artus. » Male vero Servius per *sacrum ignem* intelligit ἱερὰν νόσον : *sacrum morbum.* Nam *morbus sacer* est, *morbus caducus*, sive *Herculeus*, sive *comitialis*, sive *Epilepsia*, de quo morbo Plato loquitur in Timæo Leg. lib. XI ; et Heliodorus Histor. Æthiop. lib. VII, aliique. At vero *ignis sacer* est ex Nota Hieronym. Mercur. lib. IV, Var. Lectio cap. 9 ; qui apud Arabas dicitur *Formica*, apud Græcos ἕρπης, apud Scribonium *Zona*, apud Plinium *Zoster* et *circinus.* Vulgus nominat *ignem Sancti Antonii.* — Heynium confer, vol. I, pag. 500 et 501.

P. VIRGILII MARONIS

GEORGICON

LIBER QUARTUS.

(Vide Argumentum generale, vol. I, p. 503.)

ANALYSIS.

EXPONIT argumentum hujus libri; dedicat hunc Mæcenati; captat attentionem a rebus magnis, sperat gloriam a re humili, 1—7. Exequitur hunc ipsum librum novem partibus. I. Apum domicilia, 8—50. Docet, quæ debeant abesse ab apibus, ut nocua, 8—17. Quæ adesse, ut proficientia, debeant, 18—32. De materia alveorum: de studio apum in obturandis rimis omnibus, et aditibus, ac melle occultando: de earum munditie: de locis cavis; quæ illis inimica, 33—50. II. De earum pabulatione, examinibus et pugnis, 51—95. Exeunt apes ad prata et aquas, transacta hyeme; inde necessaria colligunt ad fœtus, ceras, mella; conceptis fœtibus decedunt, sed retinendæ saporibus herbarum, tinnitibus cymbalorum, 51—66. Regum discordia, signa irati agminis, bellum atrox, cædes, victoria, quies ab hoc bello, 67—87. Remedium contra bellum: Rex duplex, notæ utriusque, 88—95. III. De duabus earum speciebus, 96—148. Apes item duplices, et notæ earum, 96—102. Retinentur apes a fuga, detractis regi aliis, consito horto circa alvearium, 103—115. Horti tractationem relinquit aliis, impeditus tum rerum mole, in qua versatur; tum cupiditate finis, cui insistit: tantum attingit utilitatem hortorum, advocato ad exemplum sene quodam Tarentino, cui vita mille bonis et deliciis plena, quod in horti studium incumberet, 116—148. IV. De apum republica, et quasi civili prudentia, 149—227. Aggreditur rempublicam et mores apum, quos ut præstantes in Jovem confert: habent illæ communem sobolem, patriam, cibum, 149—157. Absolvitur hic locus in explicanda apum sedulitate; additur comparatio cyclopum, huic sedulitati illustrandæ, 158—177. In republica apum seniores intus, juniores foris operantur: communis est quies, et labor; et utriusque signum datur sonitu bombi, quo excitantur, quo dormiunt: non recedunt longe ab alveis, impendente pluvia: onerant se lapillis,

quum ventus ingruit, 178—196. Scribitur generatio apum, quæ legitur ex floribus; ætas singularum, quæ septennis: duratio totius generis, quæ æterna, 197—209. Cultus apium erga suos reges; signa hujus cultus; opinio Pythagoræ, non de apibus solum, sed de reliquis animalibus, qua indicatur, quid divinitatis in ape insit, 210—227. V. De mellationis temporibus, 228—250. Expedit præcepta mellationis, cujus duo sunt tempora, ver, autumnus; agitque de ira apum, 228—238. Abstinendum a castratione favorum in hyeme rigentissima: præcepta de suffitu, et ceris recidendis; quæ, et quo modo expellantur animalia infesta, 239—250. VI. De morbis apium; de morborum signis ac remediis, 251—280. Constituit languentium signa sex, 251—263. Remedia novem; sistit in flore amello, quem late describit sex notis, 264—280. VII. De reparatione apium, quum perierunt; et de hujus reparationis inventore Aristæo, 281—316. Transfert sermonem de morbis apum ad mortem illarum, accingitque se ad narrandum inventum Aristæi, qui e cæso bove apes mortuas reparari docuit, 281—286. Hunc modum reparandi apes e mortuo bove ait natum in Ægypto, et Perside: persequitur late artem ipsam, 287—316. VIII. Aristæi fabulam, epilogi loco, fuse narrat, et illi attexit Eurydices et Orphei fabulam, 317—558. Explicat prædictæ artis inventorem fuisse Aristæum: hic amissis apibus morbo et fame, querelas defert ad matrem Cyrenem, quæ aquarum nympha, degebat in antro, 317—332. Describuntur nymphæ Penei fluminis, quæ circa Cyrenem, 333—344. Detinentur nymphæ fabularum narratione. Auditur iterum Aristæus; cognoscitur ab Arethusa; narrat hæc matri, quæ jubet natum admitti, 345—362. Admissus explorat omnia, quæ intus sunt, matris regiam, lacus, lucos, amnium origines, 363—373. Cognoscit mater caussam doloris nati; excipit illum convivio; fit libatio; allucet omen, 374—386. Aperit nato res Protei; videlicet patriam ejus; honorem illius apud maris numina; honoris hujus causam; artem qua capiendus; demum illius dolos, 387—414. Instruitur Aristæus perfuso ambrosiæ odore ad capiendum numen: describitur antrum Protei; Aristæi insidiæ; marini Dei exitus e mari; Phocarum comitatus; harum somnus; Protei cura, 415—436. Capitur Proteus; vertit se in monstra; nihil proficit; redit in veram formam: rogat ab Aristæo, cujus jussu eo accesserit, et quid velit; respondet ille: parat se Proteus ad vaticinium, 437—452. Aperit Proteus Aristæo causam, cur Dii contra illum irati sint; quia nimirum causa fuerit mortis quæ rapuit Eurydicen, uxorem Orphei: narrat hanc mortem; dryadum, montium, conjugis questus; hujus audaciam, qua infernos adiit; quid ibi viderit; quo stupore fuerint correpti manes ad ejus cantilenam, 453—484. Ducit secum Orpheus Eurydicen, sed hac lege ne illam in via respiciat: legem frangit; uxor abripitur; hæc ad virum queritur; vult ille iterum evocare; non sinit Charon excluso aditu, 485—503. Hæret, doletque Orpheus ad malum subitum; deflet illam septem continuos menses, instar lusciniæ, cui pulli abrepti; respuit omnes nuptias; transigit vitam solus in montibus, revocans semper in animum unius Eurydices me-

moriam: dolent fœminæ despici se a vate; irruunt in illum; lacerant; spargunt corpus per agros; caput in fluvium conjiciunt: cæsum caput Eurydicen loquitur; quod etiam nomen et ripæ ipsæ, et fluvius insonant, 504—529. Finito oraculo Protei, Cyrene natum docet, quibus sacris expianda mors Orphei, atque Eurydices; paret hic matri; ac felix exitus rem totam sequitur; nam renascuntur apes e cæsis bobus, 530—558. IX. Conclusio, vel epilogus, quo absolvit totum opus, et sibi divinus vir asserit carmina, quæ jam cecinit, timidus plagiariorum, et cupidus immortalitatis, quam merito præsentiebat, 559—566.

EXPLICATIO.

1. Hæc vocula, *protinus*, librum istum cum superiore annectit: perinde ac si dicat; deinde exsequar: verba primi versus apprime significant naturam mellis; nam hoc vere aerium, quod ex aere defluat; vere cæleste, ut quod cæli et Dei sit munus.

2. Proposuit quid dicturus; jam partem hanc apium Mæcenati dicat, ut tres etiam superiores libros. In verbo *aspice* inest nota favoris, quem optat ab hoc viro.

3. Locus insignis attentionis ex admirandis spectaculis, ex

NOTÆ.

1. *Protinus.* Quemadmodum in libris prioribus cæteros Rei Rusticæ Scriptores superasse omnes Poeta noster judicatus est; ita in hoc se ipsum; ut non injuria magnus Scaliger pronunciarit: *Hunc librum quartum omnem humanam diligentiam superasse.* — Rhetorice dicturus de minoribus rebus, magna promittit; ut et levem materiam sublevet; et attentum faciat auditorem. Sane perite, quoniam scit breve esse opus hoc de apibus, et intra paucos versus posse consumi: usus est translationibus ad dilatandam materiam; dicens, apes habere *reges, prætoria, urbes,* et *populos.* Sciendum, ultimam partem hujus libri esse mutatam: nam laudes Galli habuit locus ille, qui nunc Orphei continet fabulam, quæ inserta est, postquam, irato Augusto, Gallus occisus est. — *Protinus.* Deinceps, exinde: floreum agrum *exequar*, sicut sum ceteros executus. — *Aerii mellis.* Nam mel ex rore colligitur, qui utique ex aere defluit. — *Cælestia dona;* id est, munus deorum: ante enim mel inveniebatur in foliis; ut: *Mellaque decussit foliis.* Serv. — Cl. Voss de melle aerio citat Plin. XI, 12, 14: Eclog. Virg. IV, 30: OElian. Nat. Animal. XV, 7: Galen. Alim. Fac. III, 38: Senec. Ep. 84: denique hæc addit; ipse Theophrastus mellis tria dicit esse genera; primum e calamis; alterum e floribus; tertium e terra radiis solis haustum, et una cum rore deciduum. *V. G.*

3. *Admiranda tibi levium specta-*

ducibus magnanimis; ex moribus, studiis, populis, prælis totius gentis apum.

6. Labor meus positus est in re tenui, non tamen erit tenuis gloria, si numina illa, quæ solent obsistere mortalium conatibus, sinunt aliquem hoc aggredi: si Apollo, qui dux est carminis, audit, quum invocatur.

Pars prima. 8—17. Continet pars sedem illam, et locum, quo futura sint alvearia, ut tuta sint ab omni incommodo. Debet eligi locus, quo venti non ingruant; non oves, aut hædi irrumpant, non bucula; non irrepant lacerti; non advolet merops, hirundo, et volucres aliæ. Reddit rationem sin-

cula rerum. Audies ex levibus rebus digna stupore esse in apibus, proceres et tanta certamina. *Serv.*

5. *Mores.* Quia castæ sunt; ut: *Illum adeo placuisse apibus mirabere morem.* — *Et studia* Ut: *Tantus amor florum et generandi gloria mellis.* — *Et populos.* Ut: *binæ regum facies; ita corpora plebis.* — *Et prælia dicam.* Ut: *Erumpunt portis, concurritur æthere in alto.* S.

6. *In tenui labor: at tenuis non gloria.* Compensatio est laboris, quod magnam dat gloriam, si fuerit materia exilis ornata. *Serv.*

7. *Numina læva.* Prospera: ut alibi, *Intonuit lævum.* Serv. — Erythr. hic *prospera* intelligit, ex disciplina augurum, quibus læva auguria erant secunda. Melius Turneb. qui *adversa* accipit: nam sicut dictum est a Papin. Syl. IV: *Castore dextro*, pro, propitio, et fausto: sic etiam *læva Numina* sunt infelicia. Heynius, vol. I, p. 504 et 505, justiora notavit; et Cl. Voss huic adsentitur. — *Vocatus.* Pro *invocatus;* vel quia Poetæ in tutela ejus sunt: vel quia pater est Aristæi, qui primus invenit, unde apes fieri possent. *Philarg.*

8. *Principio sedes.* Dicit, ubi alvearia ponenda sint: in qua re satis perite, et ea quæ abesse debent, ne noceant apibus; et ea quæ adesse, ut possint prodesse, commemorat. Sane quoniam supra ait, *Magnanimosque duces:* ideo intulit modo, *Sedes, statioque*; quam translationem diligenter reservat. *Serv.* — De loco *Alvearii*s, sive *Mellariis* idoneo vide Colum. IX, 4, 5; et Pallad. I, 37; item Varr. III, 16; Geopon. XV, 2. *V. G.*

10. *Neque oves.* Colum. IX, 5: « sedes apibus collocanda est pro« cul a tumultu, et cœtu homi« num, ac pecudum »: et cap. 4, pabulationes apum sint secretissimæ: *viduæ pecudibus.* Plin. XI, 18; de hostibus apum: *inimicæ et oves, difficile se a lanis earum explicantibus.* Cerda. — *Hædique petulci.* Lascivi, exultantes: et petulci dicti ab *appetendo;* unde et *meretrices petulcas* dicimus. *Serv.*

13. *Picti terga. Picta terga* habentes. *Serv.* — *Pinguibus a stabulis.* Plenis: sicut inanes res, *tenues* nominamus e contrario. *Serv.* — *Meropesque aliæque volucres.* Dicendo, *Aliæque volucres*, ostendit etiam aves esse meropes. Sunt autem virides, et vocantur apiastræ; quia apes comedunt. *Serv.*

gulorum : venti prohibent ferre pabulum; oves, et hædi insultant floribus; bucula rorem decutit, et herbas atterit; lacerti vastant omnia; aviculæ irruunt in volantes apiculas, ut his alant fœtus, qui adhuc in nidis.

18. Hic conversim exhibentur, quæ debent esse prope alvearia; fontes, et hi liquidi, quoniam apes mundissimæ sunt: stagna, quibus insit amœnitas ex virore musci, ut apes delectentur: rivus tenuis, non præceps et copiosus fluvius, quo illæ tutæ sint a periculo: palma, aut oleaster, quæ obumbrent sedem, ubi sunt alvearia; ut, quum novi Reges educent sua examina, invitentur aquarum amœnitate, et hospitio arborum, quibus possint quiescere.

25. Dixit, debere esse ibi aut fontem, aut stagnum, aut rivum; nunc ait, transversa ligna, aut saxa conjicienda, sive

15. *Et manibus Procne pectus signata cruentis.* Nomen posuit pro nomine : nam Philomela in hirundinem versa est; pro qua Prognem, vel quasi sororem posuit; vel quasi eam, quæ fuerat illius sceleris caussa : nam ipsa Tereum miserat ad ducendam sororem. *S.* — *Procne.* Id est, hirundo. *Progne* enim quum filium suum conjugi pro epulis apposuisset, in *hirundinem* mutata est; et signa occisi filii maculas in pectore etiamnum habet cruentas. Fabulam tractavit Ov. Met. VI, 669. Alii aliter. *Taub.*

17. *Dulcem nidis immitibus escam.* Id est, crudelibus pullis, qui apum morte nutriuntur. *Serv.*

19. *Fugiens rivus.* Huic locutioni affinis illa, qua *pes* undis datur. Vide Æneid. IX; ad illud : *revocatque pedem Tiberinus ab alto.* Vide uti Homerus describat decurrentes rivos in horto Alcinoi, nequaquam cum nostro hic conferendus. Nam σκίδναται, et ἴησι, *dispergitur, vadit* : quid ad tenuem rivum fugientem per gramina? *Cerda.* — *Tenuis rivus.* Non valde profundus, ut etiam, qui leniter fluat : quod autem Servius admoneat, suspendendum esse, *tenuis*, ne incipiant esse duo epitheta, quod apud Latinos constat esse vitiosum, dijudicent docti, qui norunt, vitio carere apud Græcos, duo scilicet Epitheta uni substantivo jungere. *Cerutus.*

22. *Vere suo.* Quo tempore apprime delectantur, et sibi quasi proprio gaudent vehementer. Noster vs. 66, *more suo.* Flor. II, 8 : *Suo ebore fulgentibus aciem utrinque vallaverat.* — *Emissa.* Ita Plato in Politico, loquens de apibus, ἐκπέμψειν. Verba sunt : ἀποικίας, οἷον σμήνη μελιττῶν, ἐκπέμποντες : *Colonias veluti examina apum emittentes.*

23. *Decedere ripa calori.* Ut æstus possint aquarum vicinitate vitare. *Serv.* — *Decedere calori.* Græce ὑπεκχωρεῖν. Quemadmodum Georg. III, 467 : *seræ decedere nocti* : pro declinare : frequenter meliori locum dare. Horat. Epist. II, 2, 213 : *Vivere si recte nescis, decede peritis* : sic Od. II, 6 : *non Hymetto mella decedunt*, id est, non inferiora sunt. *Emm.*

stagnum illud sit, sive rivus, ut apes tanquam in pontibus ibi consistant, alasque ad Solem expandant, si, quum sero noctis redeunt, fuerint vel sparsæ per aquas, vel in iisdem immersæ, flante tunc Euro, a quo fiat vel sparsio, vel immersio.

30. Post aquas, post arbores, exhibet pratum, quod esse debet prope alvearia; illudque amœnissimum ex virente casia; ex serpyllo late olente; ex thymbra graviter, id est, multum spirante; ex violis, quæ ibi satæ.

33. Insunt hic duo præcepta: primum de materia alveorum, qui fieri debent consuique, aut ex corticibus arborum, aut intexi ex viminibus; hæc enim apta, quia lenta: alterum de alveorum foramine, quo egrediantur ingredianturque apes; debet hoc esse angustum, quia melli frigus et calor pestes sunt: frigus contrahit, cogit, constringit: calor remittit, liquefacit, resolvit: ergo, utrique malo occurritur angustia foraminis.

37. Adducit in argumentum, quæ faciunt ipsæ apiculæ. Illæ, inquit, ut frigori et calori obsistant sedulam navant operam: illinunt enim cera tenues omnes rimulas, atque ad rem istam

27. *Pontibus ut crebris.* Veluti pontibus: nam non sunt pontes. — *Si forte morantis.* Tarde remeantes ex pascuis. *Serv.*

31. *Graviter spirantis copia thymbræ.* Genus est herbæ abundantis in Phrygia. — *Graviter.* Modo bene, et multum significat: alias male; ut, *Aut ubi odor gravis.* Item, *Grave olentis Averni.* Serv.

34. *Alvearia.* Quamvis *alvearia* quinque syllabarum numero per Synizesin dictione integra scribendum esse nonnullorum codicum consensu, et Capri grammatici observatione monemur; pleraque tamen exemplaria vetera *alvaria* legunt, quam lectionem Flavius Sosipater agnoscit, ubi dicit *alvaria neutraliter dicuntur.* In antiquo sane codice Carisii neutraliter legi, et *Alvaria* quadrisyllabum. *Pier.* — *Alvearia*, e suberis Corticibus, a Columella IX, 6; et a Plinio aliis omnibus anteponuntur; quoniam neque frigidiora hieme, neque æstate calidiora sunt: his etiamnum utuntur Hispanienses: (poteris apud Brukhusii Tibullum, p. 205, hujusmodi alveare ære cælatum videre.) *V. G.*

37. *Utraque vis apibus pariter metuenda.* Tam caloris, quam frigoris: quod licet utrumque æquali modo metuendum sit, tamen dissimiliter nocet; nam calore liquefacta defluunt mella; quæ si fuerint frigore condurata, constrictas apes interimunt. *Serv.*

39. *Spiramenta.* Exitus: alibi, *sævi spiracula Ditis.* — *Fucoque.* Genus est herbæ, unde tinguntur vestes: fucum autem et flores pro cera posuit, quam ex his colligunt rebus. *Serv.* — Hic autem πρόπολις sive *protectum*, ut Varro appellat, indicatur, quo vestibula et *oras* sive rimas obstruunt illinuntque,

37.

habent glutinum, ipso visco viscosius, lentius pice ipsa, etiam illa, quæ celebratissima est in Ida monte Phrygiæ. Vide uti labori suo provideant, quum sub ipsa adhuc terra, in ipsisque arborum cavitatibus aliquando mellificasse reperiantur, atque in cavis pumicibus. Sumitur hic pumex pro quovis lapide cavernoso.

45. Monet apiarium, ut adjuvet labore suo apum cautionem, rimis omnibus limo obturatis, frondibus desuper injectis.

47. Quum nullum sit animal ape mundius ac purius, jubet ut omnia ab alvearibus amoveantur, quibus illæ offendi possint. Talia sunt; taxus, cujus odor nocentissimus: cancri exusti, ex quibus exit halitus pestifer: paludes, et cœnum omne, quibus locis credi non debent apes. Obiter vero admonet, amovenda alvearia ab his locis, quibus ex cavitate insit repercussio sonitus, echo.

ut aeris et bestiolarum injurias prohibeant. Cl. Voss hic cavendum monet, ne Virgilius, dum verba minus poetica vitat, falsis quibusdam interpretationibus viam aperiat: exempla ex Aristot. H. A. IX, 40; Varron. III, 16, 23; Plin. XI, 6, 7; desumpta errori occurrunt.

41. *Et visco et Phrygiæ servant pice lentius Idæ.* Ordo est; servant gluten, quod est lentius visco, atque tenacius pice, quæ provenit in pinetis Idæ montis Phrygiæ, et quæ laudatissima est.

42. *Si vera est fama.* Si credendum est apes posse terras effodere. — Arist. Hist. V, 22: « Sunt « etiam apes quæ favos sub terra « triplici ordine faciant; in quibus « mel est, vermis nullus. » Idem Plin. XI, 18.

43. *Larem.* Deum præsidem domus pro domo posuit, et venuste transtulit ad apiculas. Præsides isti Lares sunt, ideo *Præstites* dicti. Ovid. Fast. V; rationem dat: *Quod præstant oculis omnia tuta suis.*

45. *E levi rimosa cubilia limo.* Alii *et levi* legunt: unus tamen sensus est: nam hoc dicit: quod illæ nimio labore perficiunt, tu e levi unge rimosa cubilia circumfovens limo, etiam raras frondes superinjice: quod ideo fit, ne vel limus crepet, vel cavernæ aut Sole penetrentur, aut frigore. *Serv.*

47. *Taxum sine.* Venenatam arborem: ipse in Bucolicis, *Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos.* Colum. IX, 4: *apibus taxi repudiantur.* Mel enim pessimum exinde gignitur.—*Rubentis cancros.* Odore enim ipso pereunt: rubentes autem quum uruntur; non quia per naturam sint hujus coloris. *Serv.*

49. *Odor gravis.* Id est, odor malus, quique offendit, de qua locutione Salmas. Plin. exercit. p. 361. — *Aut ubi concava pulsu Saxa sonant.* Plin. XI, 19: « Inimica et « echo est resultanti sono, qui pa« vidas alterno pulsat ictu. » Colum. IX, 5: « Nec minus vitentur « cavæ rupes, aut valles argutæ, « quas Græci ἤχους vocant. » *Emm.*

PARS SECUNDA. 50. Dicit, apes tunc incipere opificium suum, exireque e cavernulis ad saltus, ad sylvas, ad flores, ad aquam, quum hyems transit, pelliturque ad antipodas, quum sol æstivus cælum nova luce aperit.

55. Tunc ex perlibatis floribus et aquis, dulcedine quadam perfunduntur, et fovent prolem suam ac fœtus; nescias quo arcano naturæ : ex eadem florum libatione ceras efficiunt et figunt, compinguntque mella.

58. Educta jam nova prole, exeunt ex alveis et advolant, formata nube, facturæ novas colonias; tunc contemplare illas;

50. *Vocisque offensa.* Resonat Echo repercussa; quam apes vehementer horrere manifestum est. *Serv.* — *Imago.* Quæ Græce Εἴδωλον, Latine *imago* dicitur. Cic. Tusc. III; *resonat tanquam imago.* Hic autem sonus facit eas fugere.

51. *Pulsam hiemem sol aureus egit.* Secundum Physicos; qui dicunt, quo tempore hic hiems est, æstatem esse sub terris : et vice versa, quum hic æstas, illic hiemem : quod etiam Lucretius exequitur, et trahit in argumentum putealem aquam, quæ æstate frigidissima est, hieme vero calidissima. *Serv.*

52. *Reclusit.* Cælum, mare, tellus, ut dicuntur per hiemem tegi nimbis, intercludi tempestatibus, constringi gelu; ita vere, et æstate, recludi, aperiri, laxari. *Cerda.*

54. *Purpureos flores.* Flores intelligit etiam aliorum colorum, sed præstans hic color poetam invitavit, ut illum nominaret. — *Metunt flores.* Secant; unde et messores dicti sunt : sane *meto, metis,* facit præteritum perfectum *messui.* Serv. — Cl. Voss de verno apium volatu et prima mellatione Plinii errorem hic refellit; tamen longe superiorem illum putat Hygino, Columella, Celso et Palladio, quos *Græcorum translatores* et *propria carentes experientia* judicat.

55. *Hinc.* Ex floribus scilicet, ex quibus primo mel, mox pullos efficiunt. — *Nescio qua dulcedine lætæ.* Quadam arcana ratione naturæ. Par huic versui ille Ge. I, 412, de corvis : *Nescio qua præter solitum dulcedine læti.*

57. *Excudunt ceras, et mella tenacia fingunt.* Desumtam similitudinem a ferrariis docet Cerda, qui legit *figunt.* Sed Ciceronis locus pro nostra stat lectione, de Off. I, 44 : « atque ut apum examina non « fingendorum favorum causa con« gregantur, sed, quum congrega« bilia sunt natura, fingunt favos. » Exponit manifestius quid sit *fingere* Plin. II, 6 : « primum favos con« struunt, ceram fingunt, hoc est, « domos cellasque façiunt. » Aristot. Hist. animal. IX, 40 : πλάττουσι; ubi plura de conficiendis favis. *Em.* — *Mella tenacia fingunt.* Quia quum inversi sunt favi, mel tamen inde non funditur. — *Tenacia.* Quæ in resupinatis favis cohærent. *S.*

60. *Nubem.* Confertum instar nubis examen. Ita Tacitus lib. XIX: *avium nubem* dixit : Liv. lib. V; *equitum peditumque nubem.* Noster Æn. VII; *nimbum peditum.* Statius *Armorum nubem.* V. N. Æn. XI;

ac videbis, uti ad arborem aliquam, et ad aquas examen totum confugiat: ergo, ne inde avolet, abeatque agmen, hanc arborem, et loca in quibus solent sedere, consperge melisphyllo trito, et cerintha, quæ herba obvia ubique est; deinde quate cymbala, ut in festis Cybeles: sic fiet, ut conspersione melisphylli et cerinthæ ament loca illa, invitante eas dulcedine, quæ est in herbis; deinde sonitu cymbalorum territæ condant se in comparata alvearia; quasi coerceantur et præmio dulcedinis, et metu cymbalorum.

67. Si vero apes exierint ad prælium, nam sæpe discordia magno impetu accendit utrumque Regem, statim licet longe præsentire, et iram, et animos plebis ad bellum sese parantis atque excitantis.

69. Antequam describat pugnam, adhibet signa, quæ illam præcedunt. Auditur intus strepitus quidam, et fragor tanquam æris, et tubæ, qui illas morantes increpat, accenditque ad

cælumque obtexiturumbra. Taubm.

61. *Contemplator.* Pro intuere: nam tempus futurum pro præsenti posuit ab imperativo modo. — *Aquas dulces, et frondea semper.* Propter hoc ait supra; « Et tenuis « fugiens per gramina rivus, Pal- « maque vestibulum. » *Serv.*

63. *Cerinthæ ignobile gramen.* Vile, ubique nascens: a Cerintho urbe Bœotiæ, in qua plurima nascitur. Herba est, perpaucis etiam eruditis cognita: *cujus flores* (auctore Gesnero) *cani et pallidi sunt, folia punctis quibusdam notata,* etc. Vide et Plin. XXI, 12; et Theophrast hist. plant. VI, 7. Melanchthon leviter suspicabatur *lilium convallium* esse. *Taubm.*

64. *Tinnitusque cie.* Est enim *Apis animal Musicum,* auctore Varrone: *gaudentque plausu et tinnitu æris,* teste Plinio XI, 20. Dubitat tamen Aristot. an audiant: et si; utrum voluptate id faciant, an formidine; quod scilicet hic Poeta iis tribuit. *Taubm.*

66. *More suo.* Naturali ratione, cujus causa non redditur: quis enim novit cur æris sono redeant in alvearia? licet ipse paulo post dicit, « Crepitantinque æra secutæ, « Dictæo cæli regem pavere sub « antro. » *Serv.*

67. *Sin autem. De componendo apum dissidio;* quod oritur ex πολυαρχίᾳ et studiis partium. Quum enim apum Politia sit μοναρχία, pro ea pugnant. Lucanus: « Nulla fides « regni sociis: omnisque potestas « Impatiens consortis erit. » *Taub.*

68. *Incessit.* Ingruit, invasit: alibi, *Incessi muros, ignes ad tecta volare.* Et *incessit regibus,* figuratum est; nam *incessit reges* dicimus.

70. *Præsciscere.* Loquens quoque de apibus Colum. c. 9: « Poterit « exploratam fugam præsciscere, « vespertinis temporibus aurem « singulis alveis admovendo. » *C.* — *Morantis.* Tarde incedentes. *S.*

71. *Martius ille æris rauci canor.* Varr.: « Consonant vehementer, « proinde, ut milites faciunt, quum

bellum. Deinde, audito hoc bombo, tanquam si tubam audierint, trepidæ festinæque coeunt inter se; coruscant pennis; exacuunt suos stimulos, instar spiculi; lacertos aptant; sese ad Regem suum agglomerant, cupidæ ostentandi studii; demum hostem vocant clamoribus.

77. Signa ista, et militares clamores sequitur pugna atrox. Ubi enim ver serenum est, et animi jam concitati, erumpunt; concurrunt; fit sonitus in aere; agglomerant se agmine formato in orbem; fiunt vulnera; cadunt mortuæ, non aliter quam grando ex cælo; quam glans ex ilice, quum ea quatitur.

82. Quid tum Reges? Errant per medias acies, spectandi alis

« castra movent. » De isto apum canore Aristot : φωνὴ μονότις καὶ ἴδιος γίνεται : *Auditur solitaria, et peculiaris vox*; uti hic fiat, aperit Plin. XI, 51 : « Cetera simul cum « volatu et incipere audiri, et de« sinere, ut muscas, apes : sonum « enim attritu, et interiore aura, « non anima reddi. » *Cerda.*

72. *Auditur, fractos sonitus imitata.* Innuit fragorem et stridorem æreum tubarum, qui rumpi et refringi magis, quam edi videtur : quem murmur tumultuantium apum quodammodo imitatur. Non, autem in hanc sententiam *fractos sonos* accepit Tacit. Annal. lib. XIV; sed pro mollibus usurpavit. *Germ.* — *Fractos.* Collisos et quasi refractos; qualis fragor et stridor est tubarum. Vide Aristotel. de Anim. lib. II. Ita Plutarchus κραυγὰς συναγμενώδεις dixit. *Taubm.* — Cl. Voss interpretatur *fractos sonitus* aridum fragorem, ut lib. I. Georg. 358, sed non intermissum.

73. *Trepidæ coeunt.* Festinant inter se alvearibus. — *Pennisque coruscant.* Quemadmodum gladios, hastas et scuta milites commovent.

74. *Spicula.* Ovidius quoque in Ibin, aculeos apum vocat *spicula* : alii, *telum*. Cerda. — *Spiculaque exacuunt rostris.* Camerarius et Bersmann. hæc de aculeis in proboscide intelligere volunt; quasi Virgilius modestiæ causa, vel errore vulgari, arma quæ sunt posterioris partis, tribueret priori : nec tamen aliud significant hæc verba, nisi; *spicula proboscide exacuunt;* eodem modo taurus cornua, aper dentes, serpensque spicula ad pugnam exercent : apis itaque spiculum emittens proboscide detergit. *V. G.* — *Aptant lacertos.* Præparant ad pugnam brachiola. *Taubm.*

75. *Densæ.* Apes glomeratas circa suum Regem συνεσταμένας vocat Aristoteles. Auctor Geopon. περιπαθιζομένας τὸν βασιλέα, et συνεσταμένας. Plinius XI, 17; ita exprimit : *Totum examen circa eum* (Regem) *conglobatur, cingit, protegit.* Cerda.

79. *Glomerantur.* More bellantium. Cujus quidem aciei in ovi similitudinem conglobatio Græcis ὄλη dicitur. Vide et Lips. de Milit. Rom. IV, 7. *Taubm.*

80. *Non densior aere grando.* In aliis enim bellis victi tantum pereunt : in certamine vero apum, etiam victrices : nam dicturus est : *animasque in vulnere ponunt.* Serv.

82. *Ipsi.* Reges. — *Insignibus alis.* Esse Regibus apum notas quas-

præ splendore insignibus; hortantur; concitant; acuunt; quo sunt pectore angustiore, eo animis acrioribus: ita vero rem gerunt, ita obnituntur ad gloriam, ut pertinaciter nolint cedere, donec illorum alter victor alterum in fugam vertat.

An tu, o lector, quicquam acrius, illustrius, magnificentius vidisti in veris pugnis Livii, intonante contra Italiam Annibale? Non hic desunt tubæ; non canor militaris, et ille fractus et raucus; non trepidatio militum; coruscatio armorum; spicula; lacerti; prætorium; densatio agminis; Rex; hostis; clamor; non eruptio; concursus; militaris globus; armorum sonitus; cædes; vulnera; non demum obstinatio ad mortem, fuga, victoria!!!

88. Ait, sedata pugna, Regem illum interficiendum, qui est deterior, ut regnet solus, qui melior est; nam deterior, ut est prodigus, mel absumit.

91. Describit notas utriusque Regis: qui melior, fulget maculis, quibus inest ardor quidam, et splendor auri; est ore insignis, est totus intermicans, et clarus veluti quibusdam squammis: qui deterior, totus horret desidia, est illi venter adeo magnus, ut trahere illum videatur, instar animalium, quæ reptant; nulla est huic nota ad gloriam.

dam, quibus insignes sint, et ab aliis differant, omnes proclamant, qui de hac re scripserunt, inter quos Plato in Polit. Colum. et Plin.

83. *Ingentis animos.* Statius: *Major in exiguo regnabat corpore virtus.* Homerus: μικρὸς μὲν ἔην δέμας ἀλλὰ μαχητής. *Serv.* — Videtur Maro respicere ad causam physicam, qua magnitudo et angustia animi, proportione cordis discernuntur, ea ratione, ut magno, amploque cordis spatio prædita animalia meticulosa censeantur ab Aristotele.

87. *Pulveris exigui jactu.* Quia quum pulverem viderint, sperant tempestatem futuram, quæ eis plurimum nocet. *Serv.* — Varr. « Jaciundo in eas pulverem perterritas, quo voluerit, perducet. » Sermo est de mellario. Plinius cap. 17. « Quæ dimicatio in jactu pulveris, aut fumo tota discutitur. »

89. *Deterior qui visus. Pejor* a malo dicitur; *deterior* a meliore. — *Prodigus.* Non mella conficiens, sed mella consumens. Ideo autem regem solum præcipit occidendum, quia eo amisso, suus dissipatur exercitus. Nam: *Ut binæ regum facies, ita corpora plebis.* S.

94. *Latamque trahens inglorius alvum.* Nimirum et prisci imperatores, in habendo delectu, nimium obeso ventre militem rejiciebant. Sed nec generosis apibus alvus protensior convenire videtur, quum compressiore et graciliore corpore gens apum genuina esse soleat. Cl. Voss idem notat, additque ventricosos milites ab imperatoribus punitos fuisse: pro sua sententia testes adpellat Plinium utrumque, Vegetium, Stevech. et Bersman.

PARS TERTIA. 95. Transit a Regibus ad apes: harum aliæ turpes sunt, atque horridæ, ut earum Rex: vide, ut viator siti aridus, cuique fauces sunt plenæ pulveris ex via, soleat in terram spuere, ac tunc formet turpem globulum ex saliva et terra: huic rei similes sunt turpes, et horridæ apes: aliæ fulgurant, coruscant, ardentque auro, interlitæ guttis paribus; harum apum genus melius est; ex illarum alvearibus compara tibi proventum mellis, dulcis quidem, sed non tam dulcis, quam et liquidi, et idonei, ut eo vinum asperum temperetur reddaturque lenius ad potum.

103. Dicit, retinendas apes, quum exeunt ex alveis ad volandum et agitandas choreas in aere, amputatis Regi alis:

95. *Facies.* Capienda hic vox pro tota corporis habitudine ex nota Nonii: nam, ut species, inquit ille, dicta ab aspectu, figura a fingendo, ita facies a factura corporis. — *Ut binæ regum facies.* Qua sint forma apum reges dilucide Colum. IX, 10; ubi Maronis utitur testimonio. *Emm.*

96. *Namque aliæ.* Plura apium genera statuit Arist. cap. 40; Colum. ex illo cap. 3; et Plin. c. 18; Virgilius satis duxit duas species adhibere. *Cerda.*

99. *Lita.* Ordo est: ardentes auro corpora, et paribus guttis lita. *Philarg.* — *Paribus guttis.* Id est, similibus: maculis aureis distincta habentes corpora, ut Serv. Sæpe ad externam speciem refertur, inquit Scefferus ad Phæd. II, FAB. 3: *ambæ videri dum volunt illi pares.*

100. *Potior suboles.* Ad mella scilicet procreanda. — *Cæli tempore certo.* Et quum oriuntur Pleiades, et quum occidunt: id est, verno et autumno. *Serv.*

101. *Dulcia mella.* Non est superfluum epitheton: nam ideo ait *dulcia*, quia etiam sunt amara, ut Corsicana; sicut in Bucolicis diximus. *Serv.*

102. *Liquida.* Defæcata, sine sordibus: non quæ fluunt, nam mala sunt. — *Durum Bacchi domitura saporem.* Apta mulso: bene autem ait *durum saporem;* quia majores vina asperrima mellis dulcedine temperabant. *S.* — D. Voss post Dioscor. V, 16, ait, mulsum fieri duabus vini mensuris, una mellis admixta, refertque verba senis illius Augusto respondentis, se alacritatem animi et corporis ad centum annos servavisse, *intus mulso; extrinsecus oleo.* Democritus ambas res pariter commendaverat. Cerda non de mulso, sed de vino temperato intelligit, et testem Aufidium invocat, ex Hor. Sat. II, 4.

104. *Frigida tecta.* Servius explicat, *melle vacua, atque inoperosa:* nam, quum apes sunt in opere, *fervet opus: frigus* enim de re lenta, et remissa dicitur. Quis non Terentianum illud audivit? *Sine Cerere et Baccho friget Venus.* Sic Cicero in Verrem dixit: *judicia frigerent.* Sic in Ep. VIII; *Quod tibi supra scripsi, Curionem frigere, jam calet.* Servio ista addidit Pontan. Et ego utrique: ductum id ex Græcis, qui in hac significatione capiunt ψυχρὸν, et ψυχρότητα. *Cerda.*

nam illo quiescente, quietum quoque est agmen : eo enim ingenio sunt apes, ut nunquam sine Rege exeant.

109. Remedium alterum, ne abeant; nimirum hortus vicinus; plurimum enim floribus delectantur; hos si habeant proxime, nihil requirent: huic horto, his floribus, quibus illæ invitantur, adsit suus custos Priapus, qui fures abigat, aves terreat: deinde ipse apiarius, cui ista sunt curæ, thymum eo conferat, pinos, plantas omnes feraces; has irriget, has colat.

116. Occasione præcedentis præcepti de retinendis apibus consito horto juxta alvearium, loquitur de horto, sed cursim tantum, excusans se, quod prætermittat partem, quæ unice pertinet ad rem rusticam. Canerem, inquit, ni essem jam in extremo libro, et pæne in portu, curam colendi hortos, qui pingues sunt, et maxime utiles suis colonis : canerem Pæstum, et Pæstanas rosas, quod sane oppidum bifero gloriatur proventu : canerem, uti intyba, atque apium gaudeant irrigatione aquarum; uti cucumis ventrosus sit; narcissus sero floreat; acanthus sit flexilis; palleant hederæ; myrti in litoribus proveniant.

125. Adhibet exemplum senis Coricii, qui prope Tarentum, juxta Galesum fluvium, habebat rusculum, quod, quia inutile segetibus, pecori, vitibus, in hortulum formavit, consevitque oleribus, liliis, verbenis, papavere : quo uno hortulo putabat se Regum opes exæquare. Reddit rationem hujus tam magnæ

107. *Altum ire iter.* Aut ludendo in altum volare; aut in bella procedere, alias non audebit. *S.*

108. *Castris vellere signa.* Nam more Romano *signa* in castris defixa stabant in terram; et pro re, ante Prætorium : unde, quum in hostem eundum esset, evellebantur. Lips. de milit. Rom. IV, 5.

109. *Croceis floribus horti.* Tam odoris optimi, quam coloris; non enim dicit, illic crocum solum esse debere. *Serv.* — Idem monent, Aristot. IX, 40; Varro III, 16; Colum. IX, 4; Pallad. I, 37; Plinius XXI, 41. *V. G.*

112. *Ipse thymum.* Diligens rusticus, et cultor hortorum. *Serv.*

117. *Vela traham, et terris festinem advertere proram.* Illam allegoriam respicit, qua est usus in primo : *Ades, et primi lege litoris oram.* Item : *Pelagoque volans da vela patenti.* Serv.

122. *Cresceret in ventrem cucumis.* In curvaturam : ideo autem sic qui per herbam : nam rectus crescit, si pendeat. Sane *hic cucumis, hujus cucumis* declinatur; sicut *agilis*, secundum idoneos : nam neoterici *hic cucumer, hujus cucumeris*, dixerunt; sicut *pulvis, pulveris.* — *Nec sera comantem Narcissum.* Sero flores habentem. *Serv.*

132. *Regum æquabat opes animis.* Bene *animis*, non potestate; quia

felicitatis, quia nihil illi deerat ad cibos; nam tametsi sero admodum domum rediret, paratæ illi erant epulæ, neque istæ emptæ, neque modicæ, quum ejus mensam complerent.

134. Discriminat felicitates hujus senis per quatuor anni tempora, Ver, Autumnum, Hyemem, Æstatem. Ver illi rosam suppeditabat; Autumnus poma; Hyems acanthum; Æstas apes, mella, examina. Adjungit huic orationi ornamentum, indicando studium senis, qui in hyeme quum esset, æstatem votis accersebat, in qua illi futurus magnus mellis proventus.

141. Intellige mentem poetæ; ideo tiliam statuit, et pinum in hoc hortulo, ut sint arbores, ex quibus proveniat glutinum, quod necessarium ad opificia apum.

142. Rara hæc felicitas. Solent plerumque arbores in initio, quum gemmant, fertilitatem indicare; deinde aut grandine quatiuntur, aut uruntur frigore, aut peste aliqua vermium ita afficiuntur, ut miser rusticus spem inanem aluerit frustrato eventu. Non sic huic seni: quicquid initio gemmationis arbor spopondit, id totum autumno tenuit.

144. Evagatur ad alias curas, et delicias hortulani senis, qui eo loci consevit ulmos, pyros, spinos, platanum: afficit has arbores suis elogiis: ulmus sera est, ut quæ tarde proveniat; pyrus edura, id est, valida; spini insignes sunt prunis; platani umbram exhibent deliciosam convivantibus, potantibus, lusitantibus.

147. Excusat se, quod non longius producat historiam hortorum, sumta metaphora ab circo; quasi dicat: discludor, excludorque ab hoc studio, ut qui sim in iniquo, id est, angusto spatio circi, neque possim evagari; ideo istam curam relinquo posteris tractandam.

Pars quarta. 149. Hinc incipit descriptio Reipublicæ apum, quæ visa multis ad humanam administrationem accedere. Res

regum more cibis non comparatis utebatur. *Serv.* — Romani proceres, ait Voss, sæpius dicebantur Reges. — *In versum.* In ordinem.

139. *Ergo apibus fœtis idem atque examine multo.* Ne sine causa hortos descripsisse videretur. *S.*

144. *Serus.* Majores; adultas; quod nimiæ difficultatis est. Vide Horat. et Juven. — *Distulit.* Transtulit; nam mutavit præpositionem. *Serv.* — D. Voss improbat Cerdam, quod nihil hic viderit nisi epitheta ornandæ orationis: sed ea non dixit Cerda; tantum interiorem loci sensum non attigit.

149. *Naturas apibus quas Jupiter ipse Addidit. Naturas* pro moribus posuit. *Addidit* autem, aut dedit; aut revera addidit: necesse enim est, eas etiam ante habuisse mores aliquos proprios. *Serv.*

initio fabulis involvitur a poeta exornante ad hunc modum rem naturalem. Age, mi lector, expediam tibi naturas, moresque quos ornamento magno addidit apibus, non quilibet e vulgo Deus, sed ipsemet Jupiter: expediam pro qua mercede, pro quo merito tantum honoris adeptæ sunt; ut sequerentur sonitus Curetum, æris crepitacula, factæ altrices Jovis in antro Cretæ. Indicat poeta, additos a Jove apibus præstantes mores, quod bene meritæ de illo in Creta fuerint, instillato melle in ejus os. Fabula, quam attingit, ista est: devorabat Saturnus filios; Curetes, ne natum Jovem eadem voracitas perderet, vagitum infantis celarunt crepitibus cymbalorum: quia vero nutrix deerat, subiere apes munus istud, invitatæ pulsibus cymbalorum.

153. Incipit istam apum Rempublicam ab fœtu, ab urbe, ab penu, quæ tria communia apibus; quod nulli generi brutorum animantium contingit. Sunt enim his solis nati communes, communis patria, cibatus communis, quem congerunt æstate ad usum hyemis. Quum ait, *in medium reponunt,* nihil aliud signat, quam communem esse cibum. Observa diligenter, ut poeta se a calumnia vindicet: duo tantum prima ait solis apibus convenire, ut vere est: in tertio abstinuit a voce illa *solæ*, quia formicæ etiam, fortasse et alia, in medium quoque reponunt suum penus.

158. Dixerat, reponi ab apibus penum ad venturam hyemem; docet nunc longissima, et elegantissima distributione

153. *Solæ communis gnatos, consortia tecta Urbis habent.* Nam, ut etiam Donatus dicit, tragicum est, et ultra carmen Georgicum si accipiamus, pro qua mercede, exclamationem esse: ut sit, pro quanta hoc mercede fecerunt? scilicet ut Jovem alerent: quem Ops, Saturni uxor, Curetibus, Coribantibus, et Idæis Dactylis custodiendum dedit, in monte Cretæ Dictæo, ne eum Saturnus consumeret, ut filios omnes solebat. Quod ideo fingitur, quia Saturnus, ut diximus, temporum deus est, quæ in se revolvuntur in æternum. Tunc itaque apes æris secutæ sonum, Jovem melle aluisse dicuntur: pro qua re eis postea præstitit Juppiter, ut haberent liberos sine ullo concubitu. *Serv.* — Cl. Voss ironice rogat, quomodo Cerda conferens cum republica apum monachorum cœnobia, *oblitus* sic *crabronum*: verum hæc dicteria sine ictu in vanum recidunt.

154. *Magnis legibus.* Id est, æternis, nunquam mutabilibus: iisdem enim legibus semper utuntur, nec eas, ut homines, sæpe commutant. *Serv.* — Virgilius procul dubio Ennio adhæsit, qui Annal. IX. *Qui tum vivebant homines atque ævum agitabant.* Cerda.

diversa apum munera. Reponunt, inquit, cibos; nam aliæ quærendo victui sese in agris exercent; huic rei invigilant: aliæ in ipsis ædibus jaciunt prima fundamenta futuris favis, ex lacrymis Narcissi, ex lento corticum glutine, suspenduntque ceras: aliæ totæ sunt in educenda procreandaque sobole: aliæ constipant, condensantque mella, ne diffluant; ac cellas distendunt immisso intus ac reposito nectare, id est, melle: aliæ sortito portas occupant, instar satellitum et custodum alicujus urbis; et partitis vicibus speculantur, an futuri sint imbres, ne reliquæ exeant; aliæ accipiunt onera venientium; aut facto agmine irruunt in fucos, pecus ignavissimum, eosque exterminant. Ita opus fervet, et mella redolent, thymo odoratissima et fragrantissima. Consideret lector a quo unquam scriptore, a quo unquam poeta, tanta sedulitas expressa sit; et videbit neminem parem Virgilio. Hic sane reperiet, laborem extra domum, laborem intra ædes, fundamenta ædificii, ceras desuper suspensas instar trabium in ædificiis, curam sobolis primo loco, curam deinde cibi ad alendam sobolem, et utramque rem præcessit magno consilio ædificatio domus. Inveniet etiam reliquum apparatum ad conservandam domum, sobolem, alimoniam. Nam sunt ad portas satellites; sunt astrologi, qui servent de cælo: non deest pietas in fessis deonerandis, non impetus militaris in hostibus arcendis.

160. *Narcissi lacrimam.* Narcissi humorem: quod autem ait *Narcissi lacrimam*, allusit ad fabulam; quia de puero est conversus in florem; quia mœrore et lacrymis contabuit.

161. *Prima favis ponunt fundamina.* Græce πρόπολιν locant, duriore cera, quæ vix ferro potest frangi; quam colligunt de gummi arborum, et rasis lapidibus: unde paulo post dicit: *Sæpe etiam duris errando in cotibus alas Attrivere.* S. — *Fundamina.* Intelligit commosin, pissoceron, propolin. De quibus lege Plin. XI, 7. Attingit etiam Arist. et Varr.

165. *Ad portas.* Plin. XI, 10: *Interdiu statio ad portas more castrorum.* Ante utrumque Aristot. ἐπί τε γὰρ ἑκάστῃ φύλακές εἰσιν. *Sunt enim in quolibet aditu custodes.* Mos hic traductus ex militia, neque enim in castris solum excubiæ erant et vigiliæ, sed in portis etiam. Cæsar Gall. VIII: *hi, qui pro portis in statione erant.* — *Cecidit custodia sorti.* Ex sorte: nam adverbium est, quod traxit a militia. Legimus enim: *Partibus æquabat justis, aut sorte trahebat.* Serv.

168. *Ignavum fucos pecus a præsepibus arcent.* Κηφῆνας ἀχρήστους ex Xenophonte fucos appellat Vict. var. lect. XXXVII, 18. Inertiam fucorum in vindicandis favis et industriam apum cognoscet diligens lector ex Phædr. Fab. III, 14. Me-

170. Rem ingenio illustratam efficit illustriorem comparatione. Audisti quo ardore Cyclopes conficiunt fulmina: alii accipiunt in follibus, reddùntque ex illis auras; alii immergunt lacubus ignitum et scintillans ferrum, quod dum mergitur stridet: ingemit Ætna incudibus, atque ictibus Cyclopum attollentium brachia vi magna, versantiumque ferrum forcipibus. Non alius labor apum; adeo illæ operis suis avidissimæ sunt! adeo illas amor habendi urget, premitque! Hic apes Cecropiæ, id est, Atticæ ponuntur, κατ' ἐξοχήν.

178. Sententia est, seniores apes intus operari favorum structioni; juniores foris subvectioni thymi; narratque obiter alia, quæ præter thymum, depascantur; et multa exornat poetica epithetorum luce.

184. Dicit in hac republica communem esse quietem apum omnium, communem laborem. Hoc explicans adjicit, apes luce orta simul ex portis ruere festinanter ad opus; vesperi autem redire ad curanda corpora, et capiendum somnum,

rito igitur hos *arcent* apes, id est, avertunt, id enim Græcum ἀμύνω, ut Germanus hoc docet ex Homero. — *Pecus* vetuste, quia animalia omnia antiqui dicebant pecora. — *Præsepia* dicuntur non tantum in jumentorum usus facta, sed quævis sic appellantur *loca clausa et tuta*. Vide notas et Columellæ locum relatum in vol. I, nostræ edit. pag. 526.

175. *In numerum*: certò quodam ordine; et numeroso cadentium malleorum concentu: ad hanc vocem multa et præclara retulit Cl. Voss de præstantia Linguæ Germanicæ supra cæteras Europæ linguas: quæ quidem vera non negaverim; sed tunc *non erat his locus*. — *Forcipe*. Fabrorum instrumentum est, de quo Isiod. XX, 13: a *formum capiendo*. *formum*, vel *fornum*, ut Non. Marc. c. 13, teste Cassiod. de orthogr. IV, veteres dixerunt *calidum*: alias origines repudiat Charis. Gramm. I, 1. *Emm.*

177. *Cecropias*. Id est, Athenienses, a Cecrope rege Atticæ, ubi optima mella nascuntur. *Serv.*

178. *Quamque suo*. Recte, ut labore suo quærant, non aliena diripiant. *Philarg.* — *Grandævis oppida curæ*. Sicut senes muros tuentur, nec in bella prorumpunt. *S.*

182. *Crocumque rubentem*. Sallustius in historiis ait, *In qua crocum gignitur!* genere neutro secundum artem usus est: hic Poetice masculino, referens ad puerum, qui in hunc florem dicitur esse conversus. *Serv.* — Inter neutra singularia Diomedes *crocum* numerat I, 1; et hunc Maronis locum attingit Non. Marc. c. 3, ubi idem docet. Sanct. in Minerva, p. 301, *florem* vult subaudiri. Apud Juvenal. etiam *spiranteisque crocos*, Sat. VII, 208. — Meminit *pallentis croci* Stat. Thebaid. VI. *Emm.*

187. *Corpora curant*. Se reficiunt: ut: *Fessique et equos et corpora curant*. Sane *curare corpus*, si de ho-

præcedente strepitu quodam earum, et bombo; quo quies, castrorum more, imperatur.

191. Transit ad divinationem apum, quæ sereno adhuc cælo sentiunt pluviam impendere; quam ob rem tunc non longe ab alveis recedunt; breves tantum excursus faciunt, ut aquam hauriant ex vicino loco. Quin ea sunt prudentia præditæ, ut tunc singulæ lapillos tollant, ne vento abripiantur, si is incumbat; ad eum modum, quo naves saburram, quum jactantur fluctibus. Hic expende metaphoram a re militari, quam continuo persequitur: verba signatiora sunt: munitio favorum: eruptio ex portis, tanquam ad bellum; ideo *ruunt:* reditio non ex agris, sed ex *campis*, tanquam si e bello redeant: curatio corporum: sonitus velut tubæ, quo excitantur a quiete, quo ad quietem eunt: aquatio circum mœnia urbis: breves excursus: huic metaphoræ adjungit nauticam in fine.

197. Dicit admirabiles esse apum natales, et generationem: non enim mares cum fœminis concumbunt; non voluptati indulgent; non se dedunt Veneri; non nituntur in partu, ut reliquæ animantes. Quæ ergo ratio generandi? mirum dictu: colligunt ore ex foliis atque herbis natos ibi repertos; inde Regem sibi, inde sufficiunt parvos cives; illis aulas, illis regna cerea struunt, figunt, componunt: aulas regibus, regna civibus.

203. Quis hoc credat de apibus? adeo pertinaces sunt in laborando; adeo mellis cupiditate flagrant, et amore florum, ac perinde desiderio fœtus et prolis, ut ipsæ ultro, dum quærunt, quæ necessaria sunt ad propagandum genus, periculis se inferant, donec alas atterant, confringantque in saxis, atque ita cadant sub ipso onere.

206. Colligit ex adducta natalitii ratione, quæ sit gloria apum, non quidem ex ætate; nam hæc durat non amplius annis septem. Ergo, quamvis earum vita circumscripta sit

minibus dicimus, et cibo et lavacro intelligimus, vel alterutro: si de apibus, tantum cibo accipimus.

199. *In Venerem solvunt.* Ita Græci: λύεσθαι εἰς ἀφροδίσια. *Cerda.* — Energia est in hoc verbo, *Solvunt;* ex Veneris præsertim immodicæ natura; qua infirmiora reddi corpora, Pythagoras olim scribitur dixisse; et adhuc nonnulli suo magno malo quotidie docentur. Frustra autem quidam hic Enallagen constituunt, et *solvunt*, pro solvuntur, exponunt. *Meyen.* — *Nixibus.* Partubus, a *nitendo;* unde *enixa.* S.

205. *Tantus amor florum.* Simili emphasi Ge. II: *Tantus amor terræ.* Et III: *Tantus amor laudum.* idque ad Græcorum imitationem, qui ἔρωτα dicunt, pro cupiditate.

brevi ævo, tamen immortales sunt felicitatis suæ æternitate, avorum perennitate. Dicit hoc, quia non subjectæ sunt infelicitati patrum, ut reliquæ animantes, quibus sæpe deest proles, sed habent semper paratam sobolem in ipsis floribus.

210. Cultum apum erga Regem suum, ait præstare religioni, et venerationi, qua Ægyptus, Lydia, Parthi, Medi colunt Regem Persarum, cui provinciæ istæ parebant. Adducit rationem, quia Rege apum incolumi, istæ societatem servant, et coalescunt in unam civitatem : illo amisso, nulla est fides; diripiunt mella; solvunt favos; evertunt suam Rempublicam.

215. Explicat jam, quis ille cultus apum erga suum Regem. Rex, inquit, tantum custodit opera illarum; tantum præsidet, nihil laborans : illæ vero Regem admirantur; circumstant cum fremitu; stipant frequentes; attollunt humeris; se pro illo objiciunt bello, et morti, quam gloriosam pulchramque putant, quia pro Rege. Hic tu considera, qua majestate poeta loquatur, et disce attollere res tenues. Rex tantillus confertur cum magnis Regibus; tantillæ aviculæ cum illorum proceribus. Non hic deest consensio urbis, in colendo vivente Rege; non eversio, illo amisso. Quid illa admiratio? fremitus? stipatio? sublatio in humeros, ut olim milites erga Imperatores in scuto elatos? Quid demum mors ipsa pro tuendo principe?

211. *Parthorum.* His autem gentibus, ait Sullustius, adeo ingenita est sanctitas regii nominis : quas gentes tamen apes dicit amore circa regem superare Virgilius. *Philarg.* — Observat ad locum istum Germ. Parthos superstitiose admodum, et venerabunde Regi suo obsequium impendisse osculis pedum, et servili supplicatione : quin eum adituri terram ore tangebant, ut auctor est Xenophon.

212. *Observant.* Recte Servius *venerantur* : hoc enim verbum, teste Brisson. de form. lib. I, omnes divini cultus species complectitur. Servilem reverentiam, quam Persæ suo regi, qui Græce μέγας βασιλεὺς et Latine *rex regum* appellatus fuit, ut Brisson. de regn. Pers. lib. I, in princ. exhibebant, describit Curt. VIII, 5 : « Itaque « more Persarum Macedonas ve- « nerabundos ipsum salutare pro- « sternentes humi corpora. » — *Mens omnibus una est.* Id est, concordanter operantur et vivunt. *S.*

215. *Ille operum custos.* Facit Poeta Regem apum, vacantem omni labore, tantum præsidem custodemque agminis, ac vigilem totius alvei. Xenophon in Œconom. *Intus præsidet his, qui favos conficiunt, ut pulchre et celeriter conficiantur.* Verbum Xenophontis respondens Virgiliano est, ἐφίστηκεν.

218. *Pulchramque mortem.* Gloriosam; quippe quæ pro rege suscipitur. Traxit autem hoc de Celtiberorum more; qui, ut in Sallustio legimus, se regibus devovent, et post eos vitam refutant. *Serv.* —

219. Expensa natura apum, subdit quid inde mortales aliqui de his senserint: sentiunt videlicet inesse illis partem aliquam divinitatis, et haustus quosdam ætherios, id est, divinos spiritus. Dat hoc explicatius, subjiciens sententiam Pythagoreorum qui dicebant, Deum immistum esse elementis omnibus; inde esse necesse, ut animalia omnia, quæ ex elementis constant, divini numinis, quum primum nascuntur, habeant particulam.

225. Pergit in opinione Pythagoræ, asserentis nulla animalia omnino mori; sed reddi cælo, eoque revocari, nam inde originem traxerant; nec dici posse ea penitus interire, quum ex hac vita in aliam cælestem vitam migrent, relata in stellarum numerum.

Pars quinta. 228. Ut apes sunt mitissimæ, si nemo illis injuriam faciat; ita feroces admodum contra invasores. Ideo poeta daturus præcepta de castratione favorum, et mellatione, adhibet initio remedia duo contra apes tunc irascentes. Primo, ut spargantur aqua demissa ex ore in morem pluviæ: deinde, ut fumo pellantur ex alveo: est enim fumus hostis magnus apium. Illud: *relinere mella servata thesauris* est, recludere, atque aperire mella, quæ asservantur in repositoriis et cellis apum; τὸ *sparsus* dicitur pro, *spargens*. Illud *ore fove*, est ore

Cl. Voss interpretatur recte *vulnera* ab hostibus accepta.

219. *His quidam signis atque hæc exempla secuti.* Locum hunc plenius est executus in sexto Æneidos, quem hoc loco breviter colligit; ut probet etiam apes partem habere divinitatis. — Cl. Voss monet legendum esse Platonis Timæum, ut clarius intelligantur ea quæ hic ad philosophiam attinent.

221. *Deum namque ire per omnes.* Ipse Æn. VI, 724: *cælum ac terras camposque liquentes Spiritus intus alit.* Lucanus, IX, 580: *Juppiter est quodcunque vides, quocunque moveris.* Serv.

226. *Locum morti.* Id est, perditioni: nihil est enim quod perire funditus possit, quum sit τὸ πᾶν, id est, omne, in quod redeunt universa resolutâ. Res autem hæc quæ mors vocatur, non est mors, quippe quæ nihil perire facit, sed resolutio: unde mors a plerisque bene interitus dicta est, quasi interveniens, et mistarum rerum connexionem resolvens. *Serv.*

228. *Si quando sedem augustam.* Id est, alvearia: et proprie *Augustum* est tectum, augurio consecratum. Abusive nobile, quasi majestatis plenum. *Serv.* Ruæus et Cerda receperunt *angustam*.

230. *Ore fove.* Ipsos haustus scilicet: et hoc dicit; spargendo aquam imitare pluviam. Alii *Ore fave* legunt, ut sit tace: etiam ipse in quinto Æn. *Ore favete omnes.* Horat.: *Favete linguis.* — Voss autem notat nullam hic esse mentionem de apibus conspergendis. —

contine, ut inde spargas, ut videlicet aqua calore oris temperata non lædat apiculas, quæ sunt frigoris impatientissimæ.

231. Dicit bis ab apibus repleri favos melle, ac perinde esse quoque duo tempora messis, id est, mellationis et castrationis favorum. Sunt autem duo hæc tempora, quum Pleiades oriuntur et quum occidunt; id est, Vere, atque Autumno: oriuntur enim vere, occidunt Autumno: hæc pura sententia est; sed quos adjicit flores? conspicuos, et jucundiores ipso melle. Pro Pleiadibus ponit unam earum Taygetem, cui dat honestum os, ut decet fœminam, quæ versa in stellam. Ut ortum signet, dicit, *ostendit os terris.* Quis vero apparatus hujus ortus? Audi: *Oceani spretos pede reppulit amnes.* Quum enim stellæ istæ oriuntur, maria sese aperiunt navigationi, cessante tunc hyeme, et tempestatibus: imo inde, ut plures volunt, dicuntur Pleiades, ἀπὸ τοῦ πλέω, id est, navigo. Ergo, quæ tempestates exterminant a mari, recte dicuntur repellere pede amnes, id est, fluctus maris, quos spernunt, et tanquam pede premunt. Jam pro occasu, quo Autumno Pleiades descendunt e cælo in undas hybernas maris, dicit, fugere illas ab aquoso pisce, quia istæ occidunt, quum oriuntur pisces, et una cum illis tempestates. Bene ait Servius, tristem dici Pleiadem, aut propter occasum, aut propter propinquantem asperitatem hyemis.

236. Redit ad iram apum, quam interrupit: hæc supra modum est. Quare? quia ita pungunt, ut una venenum inferant: quia non contentæ pungere, totum aculeum ingerunt, non partem aliquam; ideo enim *cœca spicula*, quia tota latent in

Fumosque manu prætende. Fumum etiam præfer: quibus rebus territæ quum illæ discesserint, impune poteris mella colligere. — *Fumos sequacis.* Quippe apum persecutores; ut: *Malesque sequacibus undis. Serv.* — Est fumus hostis apum acerbissimus. Attigit aliud agens Livius IV, ore Dictatoris, reprehendentis milites: « Fumone victi, « velut examen apum, loco vestro « exacti, inermi cedetis hosti? non ferro exstinguetis ignes, non faces? etc. — Heynii præstantiores notas vide, in vol. I, nostræ Ed. p. 533 et 534.

236. *Illis ira modum supra est.* Excedunt modum; nam cum suo interitu irascuntur. *Serv.* — Cl. Voss nusquam memoratum cucullionem ad ictus apium vitandos in veteribus invenit; aitque Nonnum fuisse solum qui Aristæo suo hanc larvam tribueret.

237. *Morsibus.* Observetur locutio; non enim feriunt apes ore, non dentibus, etiamsi os habeant, ut testis Aristot. de Partib. Animal. IV, 6; sed aculeo, qui illis in alvo est, et tamen eo dicuntur mordere: sic reperies morsum dici de ictu scorpii, qui tamen cauda

percusso : quia demum adeo avidæ sunt vindictæ, et pronæ in iras, ut præ ulciscendo hoste vitæ suæ sint prodigæ.

239. Monet poeta castratorem favorum, ut si quando venturam hyemem, duram fore intellexerit, ac propterea tactus misericordia cesset a castratione; tamen, ne tum dubitet alvearia invisere; apes suffumigare thymo, quo illæ convalescunt; ne dubitet ceras inanes et vacuas melle eradere omnino ac recidere, ne ibi parentur latebræ, et domicilia animalculis : apes cera non victitant. Sed quare poeta sententiam cum admiratione intulit? Credo hanc esse ejus mentem : apes, quum castrantur favi, pellendæ sunt fumo ex alveis; non aliter; pelluntur autem propter iram, quæ illis est supra modum : inde est, ut qui beneficium in illas vult conferre aut suffitionis, aut abrasionis inanium cerarum, jure possit timere, ne illæ irritatæ benefactorem invadant. Ergo poeta excitans hominem istum ad laborem : quis, inquit, dubitet, illas suffire, ut a rebus fractis convalescant? quis ceras recidere, ut inde fugentur animalia, etiam si se exponant irritatarum indignationi, ictibus, stimulis?

242. Contexit catalogum bestiolarum, quæ apes infestant, non omnium, sed sex tantum. Pendet sententia ex superioribus ita; suffienda sunt alvearia; ceræ vacuæ eradendæ; propter stellionem, blattas, fucum, crabronem, tineas, araneam. Stellio favos exedit; blattæ cubilia congerunt in alveis; fucus

ferit. *Cerda.* — *Spicula cæca relinquunt.* Ideo *cæca*, quia brevicula admodum, et ita tota latent. Observat Germanus a natura apum dictum Ciceroni pro Flacco : *mortuus est aculeo jam dimisso, ac dicto testimonio.* Quibus verbis imitatus videtur Cicero Platonem, qui in Phædone ait : ὥσπερ μέλιττα τὸ κέντρον ἐγκαταλιπὼν εἰσίοιμι : *moriar relicto aculeo instar apis.* — Cl. Voss dicit aculeum cavum esse, et duobus spiculis præditum; atque in extrema illius parte bullam subesse veneno plenam.

241. *Suffire thymo.* Id est, fumigare : ut exinde inimica illis animalia fugiant. — Lucret. lib. II, *Ignibus ætheriis terras suffire feraces.* — *Cerasque recidere inanis.* Dum sine melle sunt ceræ; hoc dicit : si nihil habuerint in alvearibus, vel, te tollente, vel exedentibus pravis animalibus, apibus minutatim incisam ceram ministra. Stelliones vero et cætera, thymi fumo ab eis repelle. *Serv.* — Pestes apibus noxiæ, sunt imprimis stellio, *lézard;* blatta, *cloporte;* fucus, *guêpe;* crabro, *frélon;* tinea, *ver rongeur;* et aranea, *araignée.*

243. *Stellio ignotus.* Sic Ovid. Fast. I, 157. *Ignota hirundo*, quæ aliquandiu non visa ex latibulis incognitis prodit, ita *stellio ignotus*, qui ex insidiis prorepit. — *Stellio*

otiose sedens alienum pabulum depopulatur; crabro et tineæ se apibus immiscent; aranea suspendit casses in foraminibus exeuntes apiculas prædatura. Vide, ut mirifice cuique pesti suum verbum assignaverit: expende etiam epitheta, quæ cuique attribuit verus vates. Stellio ignotus est, id est, ignobilis, ait Servius; vel, ignotus, id est, inobservatus, et latenter eo subiens, ait idem, et probat Germanus: blattæ lucifugæ; in quo attigit naturam vermiculi semper latentis: fucus immunis, videlicet a labore, et tantum ventri indulgens: crabro asper; nam dira avicula, et procax in petendo; cui etiam arma disparia: tineæ diræ, ut quæ depopulentur, deprædenturque mella: aranea Minervæ invisa; attingit fabulam, quæ obvia. Vidisti pestes cum signatis verbis, cum signatis attributis.

248. Absolvitur locus cum eximia laude. Quantus est animus apiculis, quæ tot pestibus oppugnatæ, nequeunt expugnari. Quo magis invaduntur, atque hauriuntur; eo acrius incumbunt in opus suum; lapsum genus reparant; ruinas sarciunt; complent foros, id est, cellas melle; flores convehunt veluti in horreum.

Pars sexta. 251. Ab incommodo, cui apes expositæ, animalculorum injuria, transit ad incommoda morborum, qui-

Et Lucifugis. Cerda, Ruæus et multi alii sustulerunt particulam *et;* sed in optimis omnibus MSS. reperitur ET: quod probare ac conservare necessario debui. Pierius Creticum pedem in versus principio agnoscit, *stēllĭ ; ēt:* quid frigidius et insolentius? Cicero, lib. III, de Orat. cap. 47, hunc pedem ex longa et brevi et longa constantem *clausulis aptiorem* cum Aristotele judicat: vide Quintilian. lib. IX, ad finem; nemo unquam in hexametrum recepit. Cl. Voss rectius putat contractione duas effici tantum syllabas, ita ut τὸ *i* similis fiat τῷ *j*, et dicatur *stēllj ēt* per spondæum cum elisione τοῦ *o:* quæ scribendi ratio sæpius apud Virgilium occurrit: *fluvjorum, parjetibus, abjete.* Stat etiam pro nostra lectione, quod ab illo nunquam libenter *o* finalis corripitur, ut *stēllĭō.*

247. *Foribus suspendit aranea casses.* Virgilius quidem confundit: tamen sciendum, majores animal ipsum masculino genere appellasse, hic *araneus;* retia vero quæ faciunt, fœminino. *Serv.*

248. *Quo magis exhaustæ.* Ad majorem diligentiam, quam apes adhibent, quum vastantur mella, pertinet locus Aristotelis scribentis, reddi eas otiosiores, si in eximendis favis plus mellis relinquatur: et addit, eas anxias laborare, si plus adimatur, minus relinquatur. Habuerunt fortasse pro exemplo apiculas Romani illi, qui censebant, non esse evertendam Carthaginem, ne Roma otio torpesceret ademto hoste. *Cerda.*

bus etiam obnoxiæ: si vero, inquit, morbo languerint, hic jam urito galbanum: interponit enim longissimam parenthesin. Illud, *quoniam casus apibus quoque nostros Vita tulit*, est quando ipsis vita quoque attulit similes morbos cum hominibus.

253. Interponit, ut dixi, longam parenthesin, qua continentur signa apis morbidæ atque affectæ, ad remedia venturus. Signa non valentium apum sex sunt: color alius ab eo, qui prius: macies, qua illarum corpusculum horrore quodam, et deformitate perfunditur: exportatio defunctarum ex alveis; habent enim sua funera: conglobatio apum ad foramen ipsum; fit hæc instar pendentis funis, mutuo pedum innexu; uvam vocant Scriptores Rustici: pigritia, qua intus cunctabundæ permanent, contractæ fame et frigore: sonitus quidam gravior solito; est enim luctuosus et gemebundus, qui susurrus discurrit per omnes tractus alvei: extremi hujus signi triplicem adducit comparationem. Solent sylvæ immurmurare, flante Austro frigido: mare inquietum stridere, undis refluentibus: ignis æstuare clausis fornacibus; tale est apum murmur, talis stridor, talis æstus.

264. Adhibet jam remedia: hæc novem sunt. Odor galbani incensi: mella immissa per canales sic enim illas recreabis; sublevabisque noto pabulo: possit melli admisceri tunsa galla: possint rosæ admisceri, postquam aruerint, tunsæ pa-

254. *Alius color.* Id est, pallidus; quia dixit supra: *Ardentes auro, et paribus lita corpora guttis. Serv.*

256. *Exportant tectis. Exportare*, ut efferre, funebre verbum est. — *Funera ducunt.* Cum exequiali scilicet pompa: et *ducere*, proprie funerum est. Persius: *Nereo jam tertia ducitur uxor. Serv.* Hanc notam humanitatis pariter, et religionis multi in apibus observarunt. Vide Ælian. V. Hist. VIII, 4; Kirchman. lib. II de funeribus Romanorum.

257. *Pedibus connexæ.* Hinc multi dictas apes volunt, quod se pedibus invicem tenent: licet crebrior sit illa opinio, quod sine pedibus primo esse dicuntur: ut: *Trunca pedum primo. Serv.* — Cl. Voss hic plura congerit Varronis, Columellæ, et Plinii exempla, et Ruæo nostro contradicit.

258. *Intus clausis.* Ut in luctu homines solent. *Philarg.*

264. *Hic jam galbaneos.* Id est, quum hic processerit morbus, galbanus incendenda est; non, ut supra dixit, *thymus*: mel etiam in alvearia, medicatum tamen inferendum; non ut supra *cereæ inanes. Serv.* — *Galbaneos odores.* Recurre ad illud Georg. III, 415: *Galbaneoque agitare graves nidore chelydros*: ibi de vi galbani. Vide etiam Plin. XXIV, 5. ubi variæ galbani medicinæ.

266. *Ad pabula.* Ad mel: ut apum vires, exhausto melle, reparentur:

riter : utilis erit sapa, et hæc pinguis; ideo oportet multo igni coquatur, quo sit pinguior : racemi passi ex vite Psythia, quæ celeberrima ad uvas passas conficiendas : thymus, et hic ex Attica; hoc κατ' ἐξοχήν : herba centaurion graviter redolens : demum amellus, flosculus quidam : in hoc extremo multa consumit.

271. Ubique Virgilium, vatem esse agnoscas. Solent poetæ alii res naturales unico tractu persequi, nihil interponentes ad jucunditatem : fugit vitium istud Maro. Luxuriat igitur in extrema ope, et amelli lata descriptione mire lascivit : describit florem istum a forma; colore; munere; sapore; tempore quo nascitur; loco ubi legitur. Forma posita est in ingenti sylva, quam attollit, et hanc ex unico cespite : color floris est aureus; foliorum vero, quæ multa sunt, sublucens, ac purpurascens instar nigricantis violæ : destinatur egregio munere Deorum aris : fiunt enim ex illo torques, id est, corollæ, quibus aræ ornantur : sapor asper est tendensque in amaritiem : erumpit hic flos ex suo caule, exacta æstate, videlicet quum valles jam sunt tonsæ, et demessæ segetes : nascitur prope Mellam Galliæ fluvium. Hujus ergo floris radices vino optimo

Vocat autem, qui cibum protendit. *Cerutus.*

268. *Aut igni pinguia multo Defruta.* Quæ coquendo spissitudinem acceperunt, et probe decocta sunt, illa *pinguia multo igni* nuncupantur. Porro « defrutum a de« fervendo dictum, ubi ad spissi« tudinem fortiter despumaverit, « effectum est » : ut Pallad. tit. XII, 18. « Vinum est, seu mustum ad « tertiam vel ad dimidiam partem « decoctum, quod nonnulli etiam « *sapam* appellant. »

271. *Amello.* Apiastri, sive melissophylli flore olim etiam coronari solitas deorum aras, Virgilius hoc loco indicat. Amellum enim hic est μελισσόφυλλον. Glossæ : *Amellum*, μελίφυλλον : quem florem ita describit his tribus versibus : *Aureus ipse, sed in foliis*, etc. Florem vocat, apices illos croceos vel aureos, qui in medio sunt calice; folia vero calicem ipsum, qui purpureus est. Sic Ovidius de Narciso : « croceum pro corpore florem « Inveniunt, foliis medium cingen« tibus albis. » *Silvamque* hic pro frutice accipit, sed frutex *pro silva* vel nemore, nunquam legitur. Salmas. exercit. Plinian. p. 102.

275. *Violæ sublucet purpura nigræ.* Mire ait *sublucet*, ut ostendat purpurei coloris folia, quodam virore esse perfusa. *Serv.*

277. *Tonsis in vallibus illum.* Non silvosis : unde est contra : *Intonsi montes. Serv.* Cl. Voss eumdem sensum ex Homeri et Sophoclis exemplis confirmat.

278. *Prope flumina Mellæ. Mella* fluvius est, juxta quem herba hæc plurima nascitur : unde et *Amello* dicitur; sicut etiam populi habitantes juxta Lemannum flu-

ac mire odorato incoquantur, apponanturque in canistris ad foramina alveorum, ut illis pro cibo apes utantur, quum ægræ sunt.

Pars septima. 281—286. Nunc docet uti reparandæ sint apes, si internecione pereant: hanc rem ducit ad libri exitum; præmittit vero versus, quos supra vides, qui sint loco exordii; quorum ista est sententia: si apes omnes interitu deleantur; neque suppetat unde queant reparari, jam tum proderit memorabile inventum Aristæi Arcadis, qui apes reparavit ex cruore cæsi vituli: ego rem altius ducam, repetamque ab ipsa origine primam facti hujus memoriam. Quum ait, *tempus pandere* subintellige verbum, *est:* ait *sæpe*, quia experimento sæpius repetito, rem tandem Aristæus invenit: *cruor* insincerus est, putridus, corruptus, vitiatus; nam ex putrido bove apes nascuntur.

287. Explicabo septem versus, ut nemo hactenus explicuit. Ergo, scripturus poeta artem, qua ex cæso bove apes reparantur, primo locum describit, ubi ars hæc initium habuit: is locus duplex est Ægyptus, et Persia. Tres primi versus Ægyptum signant; tres alii Persidem: omnis regio Ægyptia, omnis regio Persica jacit, id est, ponit et constituit in arte cæsi bovis certam salutem reparandi mellis. Ægyptum signat a Nilo, Persidem ab Indo flumine hunc in modum: salus posita est, qua gens felix Canopi Nilum accolit, et per sua rura phaselis

vium, *Alemani* dicuntur. Lucanus: *Deseruere cavo tentoria fixa Lemanno.* *Serv.* — *Mella* amnis in Gallia Cisalpina, vicinus Brixiæ, oritur ex monte Brenno. *Philarg.*

281. *Sed si quem proles subito defecerit omnis.* Miro usus est ordine: nam primo ait, quemadmodum animalia, apibus inimica, pellenda sint: deinde quibus medicaminibus morbo possint carere: nunc dicit, penitus amissæ qua possint ratione reparari. *Serv.*

284. *Cæsis juvencis.* Verberibus occisis: bono autem sermone usus est: nam cædi interdum occidi, interdum verberari significat. *Serv.*

285. *Insincerus cruor.* Vitiatus, corruptus: nam ideo verberantur, ut ex putrefacto cruore vermes creentur, unde apes sint. *S.* — *Insincerus.* Est hoc, quod Archelaus dixit apud Varr. III, 16. βοὸς φθινομένης πεπαιμένα τέκνα, ubi apes vocat filias bovis corrupti. Quod ipsemet Var. Rust. II, 5. « Denique « ex hoc putrefacto nasci dulcissimas apes, mellis matres, a quo « eas Græci βουγόνας appellant. » — *Altius omnem Expediam;* contra Æn. I, 342: *sed summa sequar fastigia rerum.* Sane sciendum Plinium dicere de bobus apes; de equis crabrones; de mulis fucos; de asinis vespas procreari. *Serv.*

287. *Pellæi Canopi.* Canopus ci-

vehitur, id est, naviculis: en Ægyptus. Salus posita est, qua amnis devexus ab Indis, id est, Indus ipse, urget vicinia (est hic vicinium, vicinii) Persidis, cui fluvio septem sunt ora. Hæc sententia: expendite nunc, Lectores, uti rem amplificet verborum epithetis, dilatatione sententiæ. Epitheta: nam gens Ægyptia *fortunata* dicitur, sui fluminis ubertate: Canopus *Pellæus* cum respectu ad magnum Alexandrum: Nilus *stagnans;* flumen *effusum:* phaseli *picti:* Persis *pharetratæ:* Indi *colorati*, a stigmatibus, quibus puncti in corpore. Dilatatio sententiæ posita est in loci descriptione, ex circumstantiis, videlicet ex genere Canopi, pro universa Ægypto: nam Canopus nobilis Ægypti urbs: ex oppositione mira Nili stagnantis, et effusi fluminis: nam videlicet effunditur in Ægyptum, et mox stagnat: ex altera oppositione, qua per rura terrestria Ægypti naviculis vehuntur: ex Indo flumine, qui urget Persidem; ex eodem nascente ab Indis, ruente, ac discurrente in ora septem. Poeta posuit *devexus* pro, devectus.

vitas est juxta Alexandriam, quam Alexander condidit instar chlamydis suæ: qui fuit de civitate Macedoniæ, quæ Pella nominatur. *Canopus* autem dicta est quasi *canobus*, a Canobo Menelai gubernatore illic sepulto. *Serv.*

290. *Pharetratæ vicinia Persidis.* A crebro pharetræ et sagittarum usu. Sed cur hic mentio *Persidis*, quum Nilus a Perside absit longissime? Expedire videtur Vossius in Comment. ad Melam I, 8, qui secutum Virgilium dicit opinionem eorum, qui putarunt Nilum iisdem, quibus Indus et Arcesines concipi fontibus, ac deinceps per multas vastasque fluere solitudines, donec Æthiopiam contingat, atque illic demum Nilum vocari. *Vicinia* a *vicinium*, qua voce utitur Seneca, de brevitate vitæ, cap. 15; *invidia in vicinio versatur.* Emm. — Sed Cl. Voss affirmat τὸ *vicinium* a Monachis creatum fuisse; nam in locis Ovidii et Senecæ pro *vicinio* allatis, Codices asserunt *viciniam.*

291. *Et viridem Ægyptum nigra fecundat arena.* Versus hic in Romano codice locum habet post versum *usque coloratis*, hoc scilicet ordine: « Quaque pharetratæ vici-« nia Persidis urget, Et diversa « ruens septem discurrit in ora: « Usque coloratis amnis devexus « ab Indis Et viridem Ægyptum « nigra fecundat arena. » *Pier.* — Cl. Voss hunc versuum ordinem Pierio adoptatum, et in sua editione collocatum nonnullis rationibus confirmavit. Verum audacior est illa Scriverii trajectio, quam supra pag. notavi; namque sic proposuit locum; *et circum — et diversa — usque — et viridem quaque pharetratæ — omnis in hac:* adjecitque insuper, nihil ineptius esse vulgatis editionibus, quæ faciunt *Ægyptum Persidi conterminam.* Hanc temeritatem probavit acuti ingenii vir Jacobus *Bryant*, cujus contumeliosæ insectationes

295. Post loci descriptionem, jam artem ipsam explicat hoc ordine: exponit locum, ubi occidendus, vitulus: ætatem vituli: modum, quo debeat occidi: circumstantias, quæ sequuntur cædem: tempus, quo ista peragenda. Locus esse debet angustus, tecti et parietum contractione; debent esse fenestræ quatuor a ventis quatuor: ætas vituli non excedat annos duos; in hac enim ætate aptus erit: debet occidi obstructione narium, atque oris, ne possit respirare; deinde tundi plagis, non ferro lædi, donec ictuum tunsione membra omnia et viscera solvantur: post cædem, relinquatur inclusus in loci illius angustiis; subjiciantur ramorum fragmenta, thymus, casia, herbæ aliæ: fiant ista sub occasum hyemis, priusquam Zephyri, ineunte vere, undas impellant, prata rubeant coloribus, hirundo adventet.

308. Juvenci cædem sequitur apum generatio. Tepescit, in-

adversus Heynium, posteris hunc, non minus generoso animo quam ingenti doctrina clarum tradiderunt: de his injuriis vide vol. I, nost. edit. pag. 581; et de variis lectionibus, ibid. pag. 544 et sqq. notas Heynii quæ tibi nihil ultra desiderandum relinquent.—*Nigra fœcundat arena.* Novum enim semper limum trahit, qui efficit fœcunditatem: unde et Nilus dictus est, quasi νέαν ἰλὺν, id est, novum limum, trahens: nam antea Nilus Latine *Melo* dicebatur. *Serv.*

295. *Ipsos contractus.* Ad sustinendum tantum et coarctandum bovis cadaver. *Serv.* — Coartatus, non latus, aut transpirabilis: ut nimirum citius hic sanguis putrescat, ex quo apes generentur. *M.*

296. *Angustique imbrice tecti.* Licet et *hic imbrex* lectum sit, melius tamen secundum Plautum, *hæc imbrex* dicimus: namque ait, *Fregisti imbrices meas, dum te dignam sectaris simiam.* Serv. — *Imbrex* dicta, quod imbrem arceat: vel, *quæ possit subitos effundere nimbos.* Est enim tegula cava et semirotunda. *Taubm.*

298. *Quatuor.* *Quatuor* eos accipiendum, quod Homerus notavit Eurum, Zephyrum, Boream, Notum: omnes autem venti præter enchorios, id est, regionales, sunt duodecim: Subsolanus, Eurus, Fœnix, Notus, Libonotus, Africus, Zephyrus, Argestes, Thracias, Aparctias, Boreas, Cæcias. *Phil.* — *Obliqua luce fenestras.* Quæ ex obliquo lumen infundunt, ut in horreis cernimus. *S.* — *Obliqua luce.* Id consulto fit, ne locus perflетur; nam si, per fenestras, ad quatuor mundi cardines constructas, recta lux ingereretur, plane locus hic refrigeraretur, neque vaporosus et humidus permaneret: unde non tam cito putresceret sanguis.

307. *Garrula quam tignis nidum suspendat hirundo.* An Philomela, an Progne mutata sit in hirundinem, contenditur, ut videre est ecl. VI, 79; et hujusce libri vs. 15. Nec non in indice Erythræi, in *Philomela.*

quit, et liquescit humor juvenci in ossibus teneris (ideo autem hæc tenera, quia bimus vitulus): deinde ex humore illo tepefacto erumpunt animalia, miris quibusdam modis: nam primo, trunca sunt pedibus, unde apes dicuntur, quasi sine pedibus: mox pennæ adduntur, quibus strident, et captant aerem volatu. Quanta vero hæc copia, et multitudo? Vidisti imbrem æstivum, aut sagittas Parthorum, quum frequentissimæ sunt sagittæ, ab non lasso milite, imo integro; hac frequentia erumpunt ex cæso bove apum examina: præclare sagittiferum animal comparat cum Parthis sagittiferis; et adhuc præclarius, si expendas Parthos a tergo jaculari, sicut et apes exserto per alvum spiculo: non enim habent in ore, sed in alvo stimulum, quo feriunt.

315. Post artem luculenter descriptam, sequitur artis inventor Aristæus, de quo texit longam et fabulosam narrationem usque ad libri exitum. Præmittit invocationem, ut qui rem novam aggrediatur, qua a Musis petit, pandant primum Deorum, qui hanc artem invenit. Geminatio illa *quis*, *quis* auget gloriam inventoris. Quis ille esse ergo potuit, qui rem tantam invenit? Verbum *extudit* indicat diligentem quamdam meditationem, operamque in inveniendo. Versus alter hanc habet sententiam. Dicite Musæ, unde nova hominum experientia cepit ingressus? id est, dicite unde nova experientia habuit primos aditus accessusque ad rem tantam?

Pars octava. 317. Voluit scire a Musis, quis Deus hanc artem invenerit? Musæ suggerunt Aristæum, et ideo ab eo narrationem inchoat. Narrat vero hunc, ut amisit apes morbo et fame consumtas, reliquisse Tempe (sunt hæc Thessaliæ loca amœnissima, quæ interfluit Peneus), fugam vero destinasse ad fontem illum, unde erumpit Peneus, ut querelas suas de-

308. *Teneris tepefactus in ossibus humor.* Utpote bimi vituli, in quo plurimum ferventis est sanguinis.

309. *Visenda modis animalia miris.* Et quod ex cadavere nascuntur animalia, et quod apes ex vermibus procreantur. *Serv.*

316. *Ingressus.* Exordia. *Serv.*— *Nova experientia.* Nullo enim docente ars per usum reperta. Manilius lib. I; *artem experientia fecit, Exemplo monstrante viam.* Taubm.

317. *Pastor.* Aristæus; filius fuit Apollinis et Cyrenes filiæ Penei fluminis Thessaliæ: qui quum Eurydicen Nympham uxorem Orphei vitiare voluisset, et illa fugiens a serpente fuisset occisa; Nympharum iracundia cunctis animalibus perditis funditus et cunctis apibus, matris auxilium petiit. *Serv.*—*Peneia Tempe.* Quia per ea transit Peneus fluvius. *Phil.* Tempe sunt loca frigida, opaca, et frondosa.

ferret ad matrem Cyrenem, quæ in eo fonte domicilium habebat; erat quippe una ex aquarum Nymphis.

321. Sequuntur querelæ Aristæi ad matrem. Queritur vero, se, qui habet matrem aquarum præsidem, qui patrem Apollinem, tamen genitum fatis invisum; matri nullam curam esse de filio; frustra illi promissum cælum, atque immortalitatem. Geminatio *mater, mater* vividam habet querelam; quasi dicat; mater es mihi, sed non te matrem exhibes.

326. Subjicit caussam querelarum. Invisus sum fatis; nulla est matri de me cura; frustra speratur æternitas in cælo; quum relinquam amittamque honorem, quem habebam mortalis; videlicet agriculturam, et pecudes: et hoc *te matre*, sub qua augere rem debueram, non minuere, non perdere. Indicant ista, Aristæum jacturam fecisse non solum apum, sed etiam frugum, et pecudum.

329. Erumpit in acerbissimum dolorem: si ita mecum sit, una omnia pereant: si me habes tædio, everte omnia; sylvas; pecudes; messes; sata; vites; quibus ego honorem mihi com-

319. *Extremi amnis.* Id est, summi, unde nascitur: et sic dicimus, *Proh supreme Jupiter*, id est, summe. *Serv.* — Extremum caput sic dixit, ut, *Tu sanguinis ultimus auctor*, id est, primus. *Philarg.* — Cl. Voss notat de utraque extremitate dici caput, de fonte et ostio; sed hic agi de fonte solo. Vid. sup. Georg. II, 355. — *Sacrum caput. Omnis* enim *fons in origine sacer est:* ut notat Horatii Commentator ille hybrida, sive is *Acron*, sive *Porphyrio*, sive et neuter sit; ad Od. I. Etiam Servius Æn. VII: *Nullum fontem non sacrum esse* ait, *propter deos eis attributos.*

321. *Mater Cyrene, mater.* Invidiosum est, nomine parentes vocare: unde paulo post, *Et te, crudelem nomine dicit.* Sic in duodecimo in desperatione ait, *Ruitque implorans nomine Turnum.* Serv. — *Gurgitis hujus.* Id est, Penei fluminis. *Serv.*

323. *Si modo*, etc. Dubitatio admodum invidiosa. Ita Phaethon ad matrem Clymenem, Met. I: « At « tu, si modo sum cælesti stirpe « creatus, Ede notam tanti generis, meque adsere cælo. » *Taub.*

324. *Invisum fatis genuisti.* Si natus ex diis, invisus est fatis: sic in primo Æneidos, *Nos, tua progenies, cœli quibus annuis arcem.* Item, *Quis te, nate dea, per tanta pericula casus Insequitur?* Serv.

326. *Vitæ mortalis honorem.* Bene *honorem* ait, quia arare, animalia pascere, apes etiam habere, erat honor: nam in ingenti honore fuit rusticitas. Alibi, *non ullus aratro Dignus honos.* Serv.

327. *Custodia sollers.* Diligens et perita industria. — *Te matre relinquo.* Ac si diceret: Sub ea perdo usum laboris, sub qua augere debueram. *Serv.*

330. *Interfice messes.* Secundum Pythagoram, qui habere animam

paravi, et nominis immortalitatem. Nam cui ista vis, nisi filio? Est ista acerba concessio *felices sylvæ* sunt fructiferæ arbores.

333. Mater sensit tantum sonitum clamantis, et commota est, neque animo exterrita, ut postea poeta scribit: sensit, inquam, tantum sonitum; namque, an natus is esset, nondum agnovit, ut quæ esset sub imis gurgitibus, et alto flumine; ut quæ lanificio operam daret. Ita Servius poetam explicat, et vere: sic enim occurras calumniæ: non enim ex decoro poeta moraretur in recensendo catalogo Nympharum, si Cyrene natum agnovisset: postea certior fit relatu Arethusæ. Itaque præclare finxit poeta, nondum filium a matre cognitum, tantum confuse sonitum quemdam perceptum, ut locum daret Nympharum catalogo. Sed vide quo apparatu Noster Cyrenem inducat, sub thalamo alti fluminis, atque in formosissimo comitatu Nympharum, quæ fusæ circa illam, dant operam lanificio. Vellera sunt pretiosissima, ut Nymphas decet, non obvia, et vulgaria, utique ex Mileto: vellerum color aquis Nympharum concolor, nimirum color hyali, id est, vitri; nam aquæ vitreæ sunt: et quia is color non simpliciter

dicit cuncta crescentia. Unde et alibi, *Aret ager vitio moriens*. Serv. — De *interficio*, Tullius in OEcon. apud Nonium: « Nullo modo faci« lius arbitror posse neque herbas « arescere, et interfici. » Improprius hujus verbi usus est pervenustus.

332. *Tædia laudis*. Tædium est angor mentis et animi, non corporis invaletudo. *Serv.*

333. *Sonitum thalamo sub fluminis alti*. Cur non etiam vocem audivit? Scilicet quia in ima fluminis parte erat, lanificiis occupata. *S.*

336. *Drymoque, Xanthoque*. Hæ sunt, ut multi volunt, de quibus ait Juno, *Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ*. Sed magis poetice conficta nomina accipiamus. Sane mira varietate usus est: nam ne continuatio nominum posset creare fastidium; in aliis habitum; in aliis commemorat virginitatem; in aliis pulchritudinem. *S.* — *Drymo*. Ἀπὸ τῶν δρυῶν, *ab arboribus*. — *Xantho*. A colore *Xantho*, id est, *flavo*. — *Ligea*. A cantu: quasi *canora*. — *Phyllodoce*. Quasi φύλλα δεχομένη, *folia excipiens*. Taubm.

338. *Nesæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque*. In codicibus aliquot totus versus desideratur; qui tamen non sine carminis injuria demi potest. *Pier.*—Idem notat Cl. Voss. — *Nesæe*, Νησαίη, quæ et Νησώ: *ab insula*. — *Spio*. Ἀπὸ τοῦ σπείου, a *specu* Nympharum. — *Thalia*. A *viriditate* seu florum amœnitate. — *Cymodoce*. Ἀπὸ τῶν κυμάτων, ab *undis* et *fluctibus*. Taubm. — *Cydippe*. Velut κῦδος ἵππων, *gloria equorum*. Taubm. — *Lycorias*. Sive a lupino habitu: sive ab *Apolline*, qui et λυκωρεὺς dictus. — *Clio*. Κλείειν,

vitreus, sed cæruleus, qui proprie est aquarum, ideo saturatus, et summe intinctus. Itaque vellera fucata ex colore saturo hyali, nihil sunt aliud, quam vellera intincta cæruleo colore, qui factus ex vitreo saturato. Jam Nymphæ ita divine scribuntur, ut esse nihil sublimius possit. In Virgilio demtum fastidium, variata omnia Nympharum habitu, pulchritudine, genere, virginitate, nuptiis. Ita copiose cognita mens poetæ, calumnia eversa, data victoria.

345. Dum nymphæ operam dabant lanificio, una earum Clymene, aures reliquarum detinebat inani amore Vulcani, dolis factis contra Martem, dulcibus furtis Veneris. Fabula, quam hic attingit, de retibus Vulcani, quibus ille laborans zelo Martem et Venerem vinctos universis Diis Solis opera conspectandos præbuit, ubique est obvia. Narrabat etiam Clymene; verius numerabat frequentes crebrosque Deorum amores ab usque Chao, id est, a prima mundi formatione.

348. Capta Nymphæ dulci cantilena Clymenes, fusis ope-

laudare. Hoc nomine et una est e Musis. — *Heroe*. A sonitu. *Taubm.* — *Oceanitides*. De filiabus Oceani Hygin. Fab. 182; fuerunt tria millia, τριχίλιαι ὠκεανίτιδες, ut Apollod. Biblioth. I. *Emm.*

343. *Atque Ephyre, atque Opis, et Asia, Deiopea*. Qui versum corrigere voluere, ita scripserunt, *atque Asia Deiopea*, sublato *et*. At non adverterunt ex antiquis codicibus legi debere, *atque Ephyre, atque Opis, et Asia Deiopea*. In Ephyre enim multa Synalœpha, sed spondeus est *re at*. Inde Dactylus *q' Opis et*. inde alii duo Dactyli cum pede bissyllabo finali *Asia Deiopea*. Pier. — *Ephyre*. Hæc Corintho nomen dedit: unde Ge. II. *Ephyreia arva*. — *Opis*. Ab *oculis*: ab adspectu. — *Asia*. Ab Asia forte palude: de qua Æneid. VII; *sonat Asia longe Pulsa palus*. — *Deiopea*. De hac Æneid. I. *Taubm.*

345. *Curam inanem*. Definitio *amoris*, auctore Servio: alii curam Vulcani nil proficientem in custodienda uxore Venere intelligunt: quidam et de ærea plagula fabricanda exposuerunt, qua Mars et Venus irretiebantur. — *Clymene*. Ab insigni gloria. *Taubm.*

346. *Volcani Martisque dolos*. Secundum Donatum hic est distinguendum: ut *Dolos* ad Vulcanum; *Furta dulcia*, id est, adulterium, referamus ad Martem: scimus enim quod, Sole indicante, Mars cum Venere deprehensus est, et per artem Vulcani est religatus catenis. *Serv.* — *Dulcia furta*. Sic rapti amores, furtivi concubitus, et adulteria Latine nominantur; Græce λάθρα ἁρπαζόμενον, quo quum gaudebat Jupiter, inde δολόκλοπος appellatus, quia nihil non moliebatur, ut furtivos concubitus obiret suos: de Jove Ovid. Met. I, 606: *Deprensi toties jam nosset furta mariti*.

347. *Aque Chao*. Et a Chao narrabat crebros amores deorum. *S.* — *Densos*. Crebros confusosque.

ram dabant. Tunc iterum Aristæus lugens matris aures perculit: stupent Nymphæ ad gemitum. Arethusa caput ab undis effert; agnoscit illum; matri nuntiat, quæ statim jubet suum admitti natum, aquas discedere, et locum dare adeunti. Vix ita Cyrene jusserat, aqua stat, curvatque se in speciem montis, accipitque Aristæum.

363—373. Admissus Aristæus sub antrum matris, admiratur ejus domum et regna; videt lacus clausos speluncis; videt

350. *Vitreisque sedilibus.* Ergo vellera similia esse debent, ubi perlucidus et cæruleus est color. *Philarg.* — *Vitreisque.* Quod aqua sit pellucida, ut vitrum. Unde et *Nymphas* in aquis habitantes *Vitreas* appellamus. Statius: *vitreæ juga perfida Circes;* quibus et vellera ejusdem coloris noster tribuit Poetice admodum; supra vs. 335.

352. *Summa flavum caput extulit unda.* Mire per transitum veritatem tetigit: namque Arethusæ fons dulcia fluenta inter medios habet fluctus. *Serv.*

354. *Cyrene soror.* Propter similitudinem potestatis, ait *soror:* nam Cyrene, Thessaliæ; Arethusa vero Dea Elidis. — *Tua maxima cura.* Quem plurimum diligis. *Serv.*

356. *Et te crudelem nomine dicit.* Explicat locum istum Serv. Æn. I; observans, minoris esse majorem compellare meritis, non nomine: ut cum ait Æolus, *Tuus o Regina quid optes Explorare labor.* Qui ordo non corrumpitur; nisi per indignationem, ut hoc loco. Aristæus enim indignans Cyrenem ipsomet nomine compellat, non matris merito. *Cerda.* — *Crudelem.* Quod filii calamitate non movea־ris. *Taubm.*

358. *Fas illi limina divom Tangere.* Utroque enim deo parente nascebatur: ideo *fas tangere* ait.

364. *Speluncisque lacus clausos. Mirans,* per omnia subaudimus: lacus autem dicit fontium et fluviorum receptacula. Hæc autem non sunt per poeticam licentiam dicta, sed haud dubie videtur respicere Maro opinionem physiologorum illorum, ab Aristotele confutatam, Meteor. lib. I; de fluviorum generatione, ita statuentium: aquam scilicet solaribus radiis levatam in sublime, quum lapsa rursum, aggregata, congestaque fuerit in terræ visceribus, tanquam ex alvo prægrandi erumpere, et aut fluvios omnes ex uno, aut alium ex alio scaturire, nec ullam gigni aquam; sed quæ hibernis mensibus in hujusmodi conceptacula collecta fuerit, hanc in amnium evadere multitudinem, et ob id majores semper hieme, quam æstate profluere, quosdam perennes esse, quosdam secus. Vide notas Heynii vol. I; nost. edit. pag. 554, et sqq. atque inprimis Excursum II, p. 584. — Cl. Voss quærit unde sibi Virgilius materiam hujus descriptionis sumpserit: obiter innuit ab Heynio difficultatem elusam, non solutam fuisse, quum hic asserit, pag. 554, tom. I, ante oculos Virgilii adfuisse poetam aliquem, sive Alexandrinum, sive antiquiorem, qui de rerum originibus scribens affirmaverat aquam fuisse omnium

sub aquis lucos; obstupescit ex aquarum motu; cernit flumina, quæ labuntur sub terra, diversa in diversis locis; spectat oculis illorum originem. Hic poeta suaviter dilabitur ad narrandam aliquorum fluminum originem, quam Aristæus spectavit in cavo illo: vidit enim, unde Phasis et Lycus erumperent; unde Enipeus; Tiberis; Anio; Hypanis; Caicus; Eridanus; hujus extremi singularius præ aliis elogium adducit, et mire omnia exornat; sed inprimis considera, uti Aristæum proponat legentium oculis, admirantem stupentemque ad omnia, quæ sibi invisa hactenus. Habes hinc exemplum ad describendum similem hominem, quum is in locum venit nunquam visum, plenus admirationis, novitatis, stuporis.

commune principium. Itaque Voss fabulosas de mundi origine notiones interrogat; et ea refert quæ ante Thalem natum ex Ægyptiorum superstitionibus vulgo recitabantur; et ea quæ Thales ipse de cælesti sphæra, atque de aquis oceani in terræ sinum, velut in navem, penetrantibus excogitaverat; et ea quæ recentior de natura rerum doctrina subterraneos illos humores non adspernata admisit. Sed Ruæus modestior dat Virgilio ducem Platonem qui fluviorum commune receptaculum intra terræ viscera conditum putat: hinc poeta regiam Penei et Cyrenes palatium finxit. Cæterum errat Ruæus dum *lucos sonantes* interpretatur herbas in fluviis nascentes et aquarum interstrepentium motu agitatas.

369. *Pater Tiberinus.* Tiberis et Anio Italiæ sunt fluvii. *Serv.* — *Pater*, ut docet Turneb. advers. XIII, 8, nomen est divinitatis: ita *Tiberinus* dicitur Deus Æn. VIII, 31; *Huic Deus ipse loci fluvio Tiberinus amœno.* Eo tamen nomine potissimum compellatur in precibus, ut Serv. Æn. VIII, 72; *Tuque o Tybri tuo genitor cum flumine sancto.* — *Aniena fluenta.* Pro *Aniene*: sic *Aniena unda* apud Propert. Eleg. I, 20. Antiquus nominativus est *Anien*, de quo Priscian. lib. VI; pro quo in usu nunc est *Anio*. *Gelidi Anienis* meminit noster Æn. VII, 683. Tiburtini agri fluvius est, unde Propert. El. III, 21. *Hic Anio Tiburte fluit.* Hodie *Teverone.*

370. *Saxosumque sonans Hypanis.* Ponti fluvius: et *saxosum* legendum est, non *saxosus*, ne sint duo epitheta: quod apud Latinos vitiosum est. — *Mysusque Caicus.* Qui per Mysiam labitur. *Serv.*

371. *Taurino cornua vultu Eridanus.* Sive Padus, Galliæ Cisalpinæ fluvius: et ideo *taurino vultu*, quia ejus sonus, ut tauri mugitus; et ripæ flexuosæ sunt, ut cornu. Græcis ταυρόμορφος, ταυρόκρανος. Horat. Od. IV, 14. *Sic tauriformis volvitur Aufidus.* — *Auratus;* vel quia ubertate agri colonos divites efficit; vel quia, ut ait Voss, auri ramenta volvit: vid. Plin. XXXIII, c. 4; s. 21.

373. *Purpureum.* Nigrum ex altitudine accipimus: nam Padus non in Rubrum mare, sed juxta Ravennam in Adriaticum cadit. Et *purpureum* Græcum est epitheton:

Aristæi. Hic, inquit mater, ut tibi expediat caussam morbi apum, atque ut eventus felix sit, capiendus est vinclis; aliter nil facies; ut enim domatur Proteus, non flectitur oratione, nec precibus. Aperit tempus, locum, opportunitatem, quibus capiendus Proteus: tempus, nam die medio, et Sole ardentissimo: locum, quia in antro, quo se recipit ad quietem: opportunitatem, quia dormit fessus matutina pecoris agitatione.

405. Deinde docet qua vi et arte possit vincere fallacias Protei: est enim illi mos, ut quum dormiens capitur, statim experrectus ludos faciat, convertatque se in varias formas; nam fiet sus, tigris, draco, leæna, ignis, aqua. His tot fraudibus unicum remedium; nimirum virtus, et vis vincientis: quanto ille magis se vertet in varias species, tanto fortius retinendus, vinciendus, cohibendus. Inde fiet, ut quum elabi nequeat, reddat se primæ illi formæ, in qua primo dormientem vidisti. Observanda sunt quam elegantibus epithetis, quam apto rhythmo vates omnia affecerit: sus horridus;

non edebat. Phrasis ipsa Græcorum est. Sophocl. in Philoct. δόλῳ λαβεῖν. *Cerda.*

397. *Expediat morbi causam, eventusque secundet.* Duo enim ista requiruntur in oraculis, causa mali, et remedium. *Serv.* — *Sine vi non ulla dabit præcepta.* Ne eum speraret posse precibus flecti. *Serv.*

400. *Doli circum hæc demum.* Circa vincula novissime ejus desinent doli, id est, formarum varietates: cujus figmentum physicam volunt esse rationem: nam homo habet in se libidinem, stultitiam, ferocitatem, dolum: quæ dum in eo vigent, pars illa, quæ vicina divinitati, id est, prudentia, non apparet: quæ tunc potest suas vires tenere, quum fuerint illa religata, id est, quum quis caruerit omnibus vitiis: unde sacerdotem hunc dicit posse vaticinari, et suscipere divinitatem, quum religata in eo fuerint iguea cupiditas, silvestris asperitas, lapsusque animi, aquarum mobilitati similis. *Serv.*

401. *Medios quum Sol accenderit æstus.* Fere enim numina tunc videntur. — Nituntur ista auctoritate Homeri asserentis tunc Proteum e mari emergere, quasi se tunc det conspectandum: Ἦμος δ' ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει Τῆμος ἄρ' ἐξ ἁλὸς εἶσι γέρων ἁλιος νημερτὴς: « Quando ergo Sol medium cælum ascenderit, Tunc e mari emerget « senex marinus veridicus. » Servio et Cerdæ sic opinantibus, non adsentitur Cl. Voss qui affirmat nemini fas esse hora meridiana deum adire, neque templa, nec ad illorum januas alta voce loqui. Tunc, ait, ut media nocte, sæviunt Lemures, Spectra, tunc inprimis sese ostentat terribilis Empusa, cui pes unus aheneus, alter asininus; et quæ pro libito sese in Taurum, viperam, muscam, mulierem formosam, et belluam vultu ardentem convertit, ut ille Proteus.

407. *Sus horridus.* Ovid. *nunc*

tigris atra; draco squamosus; leæna fulva; acrem crepitum flamma dat; aqua tenuis dilabitur et defluit.

415. Post omnia luculenter explicata, natum præparat mater ad visionem numinis, perfundens illum ambrosia. Quid vero illud *perduxit odore totum corpus?* nisi circumduxit ambrosiam odoriferam per totum corpus integrumque perlinivit. Sequitur effectus duplex hujus rei; scilicet suavis quidam halitus spirans ex ejus capite madefacto: deinde vigor vegetus atque habilis, quo membra roborata.

418. Describitur antrum Protei a magnitudine, situ, circumstantiis: est illud ingens; en magnitudo: est positum in latere montis exesi excavatique ab undis; en situs: aqua plurima, quæ coacta ab impellente vento, impingitur in cautes ejus antri, et quum mox fracta recurrit, scindit sese in sinus reductos; en circumstantiæ: dicuntur porro sinus isti reducti, quia formantur, quum aqua remigrat in pelagus ab scopulis illius antri. Finge, ut sententiam noscas, antrum Protei, quod erat in mari, distare aliquo intervallo ab litore: intervallum hoc inter antrum et litus efficiebat stationem portumque tutum navibus procella deprehensis, et ibi consistentibus.

422. A descriptione loci tendit ad historiam. In hoc, inquit, antrum Proteus se recipit, et fores obstruit ingenti objecto saxo. Ibi Cyrene natum collocavit, ita tamen ut a luce averteret, poneretque in loco quodam tenebroso, ne videretur ab ingrediente Proteo: ipsa vero inde abiit circumfundens corpori nebulam.

425. Præmittit descriptionem diei medii, quæ hæc est: Sy-

erat hirtus aper. Horat. Sat. II, 3: *Effugiet tamen hæc sceleratus vincula Proteus Cum*, etc. *Fiet aper: modo avis: modo saxum: et quum volet, arbor*, etc. — *Atra tigris.* Id est sæva. *Serv.* — *Atra tigris*, quia hujus ad aspectum, ait Cl. Voss, omnia quæ ob oculos spectantium sunt posita nigrescunt: ea enim timoris injecti vis est, ut secundum Nasonem, lib. II, Met. 180, *genua* timentibus *intremiscant*, et *tenebræ per* solis *lumen* ipsum *oculis oboriantur*: adeo caligantem vertiginem animis offundit metus!

415. *Liquidum ambrosiæ diffundit odorem.* Unxit eum, quo posset esse videndi numinis capax. *Serv.* Hunc sensum improbat Heynius, vol. I, nost. Edit. p. 563. Cl. Voss sic interpretatur: *diffundit* e patera in concham Cyrene, antequam ungat filium. Horat. lib. IV; Od. 5, v. 34; *mero defuso pateris.*

418. *Habilis.* Vegetabilis. — *Specus ingens.* In singulari numero *hoc specus*, in plurali *hi specus* dicimus. *Serv.*

425. *Jam rapidus.* Hic distinguendum propter duo epitheta. —

rius (est hæc stella in ore, verius in lingua canis, cujus exortu calores intenduntur in æstate) incendebat Indos. Indos vocat *sitientes*, quia putati sunt veteribus esse in orbis parte calidissima: Syrium *rapidum*, ac, *torrentem;* ut qui omnia fervore suo rapiat, et torreat. *Pergit descriptio.* Sol evaserat mediam cæli partem, totus tunc igneus et fervidus: herbæ arebant præ calore: radii Solis coquebant flumina usque ad ipsum limum; dat his fauces ab humana similitudine, illisque siccas atque aridas. In hoc puncto temporis Proteus se in antrum recepit e mari: circa illum phocæ exsultabant, pastore suo lætabundæ, salsamque aquam late spargebant. Accessere istæ ad litus; ille ad scopulum: phocæ statim somno correptæ sunt; Proteus consedit in medio scopulo, atque eas recensuit, si qua deesset, ut solet pastor recensere vitulos domum reductos e pastu ad diei vesperum, aut agnos, qui solent, quum reducuntur, acuere suis balatibus lupos. Nam tunc lupi excitantur, seque comparant ad nocturnam prædam, audito clamore agnorum.

437. Consederat Proteus in scopulo dormiturus; Aristæus ad primam somni irrepentis occasionem advolat cum clamore, ligat manicis: conatur Proteus adolescentem eludere, assumtis variis formis; ut videt se nihil proficere, redit in veram formam, et loquitur humana voce.

445. Objicit primo Proteus Aristæo confidentiam audaciam-

Sirius. Stella est in ore Canis, per quam nimios æstus accipimus. *S.* — *Rapidus.* Istæ stellæ hujus notæ. Ideo *rapidus* cum allusione ad etymon. Nam Sirius dictus ἀπὸ τοῦ σύρειν, quod omnia rapiat suo calore. Ita et Lucan. in X: *rapidos qua Sirius ignes Exserit.* P. Merula in Cosmograph. part. I, lib. II, 25. Sirii appellatione *Solem* hic exaudit. Quin et Suidas tradit, Σείριον a multis exponi τὸν ἥλιον, id est, *Sirium Solem;* quod et Philarg. notavit. *Taubm.*

438. *Vix defessa senem passus conponere membra.* Aviditatem exprimit tenere cupientis: unde eum contra matris præceptum, cito in Proteum impetum fecisse dicit; per quod incontinentes animos hominum docet Poeta. *Serv.*

440. *Ille suæ contra non inmemor artis.* Hoc ita prior Homer. οὐδ' ὁ γέρων ἐδολίης ἐπελήθετο τέχνης.

444. *Hominis ore.* Humana scilicet voce. Græci proprie αὐδήεσσ: nam Eusthatius notante Germano ait ἀυδᾶν esse proprie loqui humano more, et modo: quum φθέγγεσθαι tantum sit vocem mittere, quadretque aliis rebus: inde αὐδὴ et φθογγὴ, eodem modo differunt.

445. *Nam quis te, juvenum confidentissime.* Id est, quisnam: hodie enim *Nam* particula postponitur, antea præponebatur. Teren-

que; deinde vult duo scire, quo jubente eum ausus fuerit adire, et quid velit. Respondet utrique rei Aristæus: rogas quid velim? at scis ipse, et vere scis; neque enim cuiquam datum est te fallere; rogas, quo jubente huc accesserim? desine velle ista quærere; Deos sequor; illi me ad te mittunt, ut accipiam a te oraculum, quo possim mederi rebus perditis. Hæc tantum Aristæus; quem Proteus torve intuitus, frendensque immaniter dentibus alloquitur, pandens oraculum: est vero terribilis oculis, et frendet dentibus, horretque totus, quia cogitur invitus et nolens ad edendum oraculum.

453. Exercent, inquit Proteus, te, o Aristæe, iræ cujusdam Numinis potentissimi, et ultio persequitur: solvis pœnam magni sceleris, quod admisisti: infelix Orpheus, miseratione dignus, in te sævit, et pœnas, minores adhuc quam tu mereris, suscitat, nisi fata obstent; Orpheus iratus in te furit atrociter, quod propter te uxorem amiserit Eurydicen: illa quidem, te aliquando fugiens per ripam fluminis, currendi studio hydrum non vidit latentem in herba: ab eo morsa est, ab eo interiit; sed tu caussa mortis, quia caussa fugæ.

tius in Phormione: *Nam quæ est hæc anus a fratre egressa meo?* S. — *Nostras.* Ordo: *quisnam, confidentissime*, pro audacissime, *confidentiam* enim veteres pro impudenti audacia dicebant, ut Terentius: *o ingentem confidentiam!*

447. *Proteu.* Vocativus Græcus est, ut *Orpheu.* — *Fallere cuiquam.* Alii *quidquam* legunt. Hoc autem dicit; quum omnia noveris, desine adventus mei caussam velle cognoscere. *Serv.* — Cl. Voss lectionem *cuiquam* anteposuit, et hunc sensum profert: te Proteu, qua scientia præstas, nemo decipere potest: sed desinas et tu decipere.

450. *Vi multa.* Magno impetu. Hypotyposis est ἐνθουσιασμοῦ. Priusquam enim divinitatem accipiunt, corpore horrescunt, oculi scintillant, caput jactant, etc. Cujusmodi luculenta descriptio est, Æn. VI, 77. *Taubm.*

453. *Non nullius.* Id est, non humilis, sed magni. Ita Æn. XI. « At « non hæc nullis hominum sator « atque Deorum Observans ocu- « lis ». Id est, curiosissimis, Servius *Tisiphonem* hic indicari ait, id est, *mortis ultricem*; ut et J. Philargirius. Asper aliique, et fortasse rectius, *Nymphas* intelligunt, quæ Aristæo iratæ, quod mortem Eurydices causatus esset, apes interemerunt. *Taubm.*

455. *Haud quaquam ob meritum.* Id est, non tales quales mereris: nam ejus uxori causa mortis fuisti. Inferret autem digna supplicia, nisi fata prohiberent; quibus faventibus ira numinum minora infert, licet majora non possit. *Serv.* — Cl. Voss ex Ruæo putat jungenda esse hæc verba, *miserabilis*

460. Amplificat Proteus culpam Aristæi ab ingenti desiderio, quo animata atque inanima prosecuta sunt defunctam Eurydicen; ab luctu, et planctu omnium miserabili. Fleverunt, inquit, illam Dryades, quæ una cum illa fuerunt æquævæ; fleverunt illam montes Thraciæ, Rhodope, et Pangæa; flevit tota Thracia, etiam si horrida, militaris, Martia; fleverunt Getæ finitimi Thracibus; flevit flumen Thraciæ Hebrus; flevit denique Orithyia, Attica quidem, si originem spectes; sed quam Boreas rapuit, in Thraciamque transtulit, unde ipse spirat; duxitque uxorem. Horum omnium fletus in te, ut in caussam, redundant.

464. Levia omnia sunt, si compares cum fletu Orphei, ad quem is dolor pertinebat præcipue. Solabatur canendo amorem suum et desiderium, nullum tempus ab luctu intermittens; nam flebat luce oriente, luce abeunte. Quin etiam, vide

haud quaquam ob meritum. Judicent periti.

460. *At chorus æqualis Dryadum.* Ergo et Eurydice Dryas; et bono compendio ejus prætermisit interitum. *Serv.* — Putat Servius ex comitatu ipso elici, Eurydicem fuisse unam e Dryadibus. Cerda non assentitur illi: hoc enim tantum ad apparatum pertinet, quo illi dat Nymphas comites. — *Supremos Inplerunt montis.* Eleganter ad signanda montium cacumina, sumtumque e Lucr. I. *montesque supremos Sylvifragis vexant flabris.*

462. *Rhesi Mavortia tellus.* Quam postea Rhesus tenuit; et est Prolepsis ex persona poetæ. Quo enim tempore Orpheus vivebat, Rhesus necdum regnabat in Thracia. *Serv.* — Idcirco autem Thracia *Mavortia* tellus dicitur, quia in divisione terræ Marti cessit. *Philarg.*

463. *Atque Getæ, atque Hebrus, et Actias Orithyia.* Hic quoque versus in codicibus omnibus antiquis, quos versare potuimus, eodem modo habet, quo superior ille, *atque Ephyre, atque Opis, et Asia Deiopea;* ita enim legitur *atque Getæ, atque Hebrus, et Actias Orithyia;* nulla in tritimemeri collisione facta; cujus pedes ita discludi debent, *atque Getæ, atqu' Hebrus, et Actias Orithyia.* — *Hebrus.* Fluvius Thraciæ gelidissimus. — *Actias Orithyia.* Atheniensis Nympha, quam Boreas in suum matrimonium rapuit. *Serv.* — *Orithyia.* Erechthei et Praxiotelis filia, ab Aquilone in Thraciam rapta Zethum et Calain filios edidit. — Est autem versus Spondaicus, ut in fine versus Homerici, *αἰμείβεται.*

464. *Cava testudine.* Periphrasis citharæ, cujus usus repertus est hoc modo. Quum regrediens Nilus in suos meatus, varia in terris reliquisset animalia, relicta etiam testudo est: quæ quum putrefacta esset, et nervi ejus remansissent extenti intra corium, percussa a Mercurio sonitum dedit: ex cujus imitatione cithara est composita. — *Ægrum amorem.* Mœstum, deceptum. *Serv.*

quos Aristæo stimulos, quas faces ingerit viduati amoris dolor! infernos adiit, illam ut extraheret: neque terruerunt fortem et desolatum amatorem formidanda omnia, quæ de his locis prædicantur: non fauces Tænari, per quas est aditus angustissimus; non ostia, quæ alta, et profunda; non locus, qui totus caligans nigra formidine; non manes ipsi; et Rex manium, qui tremendus; non demum corda, quæ nunquam mansuescunt humanis precibus.

471. Sed vide, quæ vis Orphei canentis: concurrerunt statim ad illum audiendum umbræ ac simulacra inferorum, raptim omnes et agminatim; instar volucrum, quæ præcipites confugiunt ad sylvam, vel nocte adventante, vel imbre imminente. At quænam erant umbræ illæ? omnium utique, quos infernus complectitur: matres videlicet, viri, heroes, pueri, puellæ, juvenes: excitat obiter affectus in his ætatibus describendis: nullum enim sexum omittit, nullam ætatem.

478. Post excitatos affectus ex ætatibus, majores adhuc excitat ex loco, in quo sunt. Alligantur, inquit, miseri limo Cocyti, qui niger; arundinibus, quæ deformes; palude, quæ

465. *Te dulcis conjux, te, etc.* Geminationi huic plenæ dulcedinis par illa Magni Vatis: « Te nemus « Angitiæ, vitrea te Fucinus unda, « Te liquidi flevere lacus. » — *Solo in litore.* Deserto, in quo sine uxore morabatur. *Serv.*

467. *Tænarias etiam fauces.* Tænarus Laconiæ promontorium est, circa finem Maleæ; ubi inferorum dicitur esse descensus. *Serv.*

469. *Ingressus.* Descensum hunc Orphei ad inferos, ipse in primis Orph. in Arg. ita describit: Ταίναρον ἠνίκ' ἔβην σκοτίην ὁδὸν ἄϊδος εἴσω, Ἡμετέρῃ πίσυνος κιθάρῃ δι' ἐρωῖ' ἀλόχοιο. « Tristia Tænarii petiit pene« tralia regni Confisus cithara, uxo« risque coactus amore. — *Manesque adiit.* Hæc omnia ad laudem pertinent citharæ, qua fretus ista superavit. *Serv.* — *Regemque tremendum.* Periphrastice Plutonem intelligit, sicut per ista, *Stygio Regi, Jovi Stygio, Stygii fratris.* Hæc omnia Virgilii sunt variis locis.

470. *Nesciaque humanis.* Ad exitum futuræ rei respexit, non ad principium: nam primo meruit Eurydicen. *Serv.* — Convicium hoc de Inferis, Plutone, Manibus, jactatum aliis. Hesiod. in Theog. de Plut. νηλεὲς ἦτορ ἔχων: *habens immite cor.*

472. *Umbræ.* Distinguit hic inter umbras, et simulacra ex doctrina veterum, qui distinguebant εἴδωλον, σκιὰν, σῶμα, ψυχὴν, *idolum, umbram, corpus, animam.* Cerda.

479. *Cocyti. Cocytus* fluvius inferorum: et aliter, *Cocytus* amnis apud inferos, ex Styge profluens: ἀπὸ τοῦ κωκύειν, quod est gemere et flere. *Philarg.* — *Inamabilis.* Sunt codices, in quibus *innabilis* legatur. Sed enim probatiores omnes *inamabilis* legunt. Et Aulus Gellius eandem hanc lectionem agnos-

innabilis, constansque aqua marcida, et tarda; demum cohibentur Styge, quæ novies in circulum recurrit: ergo nulla spes hinc evadendi.

481. Neque vero solum animæ, sed ipsi animarum carnifices stupuere ad dulcem cantum. Stupüit videlicet tota illa domus; Tartara, quæ pars inferorum profundissima; Furiæ quibus angues sunt in capite loco crinium; Cerberus ora continuit tria, et inhians, immobilis cessavit latratibus exangues umbras terrere; atque ita constitit in ipso aere rota Ixionis, nullo motu, nullo vento agitata.

485. Narrat uti Orpheus voti jam compos, accepta optatissima uxore, iter ad vivos capesseret, illam semper passu præcedens, juxta legem Proserpinæ, quæ fœminam in via subsequi jusserat; virum præire, neque illam respectare.

488. Sed ecce ille imperii impatiens, victusque amore, subito in via restitit, caput convertit, suam vidit: et hoc, quum jam pæne esset in exitu viæ: nam hoc est, *sub ipsa luce;* et ideo *immemor,* quia post multum itineris: ergo fuit leve hoc crimen, et ignoscendum, si manes scirent ignoscere: sed quia

cit: dum dicit Virgilium: *Stygiam paludem inamabilem dixisse κατὰ στέρησιν amoris;* sicut *Illaudatum, κατὰ τοῦ ἐπαίνου στέρησιν.*

482. *Implexæ.* Involutæ, implicitæ: *ἐμπεπλεγμέναι. S.* — Quidam malunt *impexæ* ex illo Tib. *Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues.* Sed quid, si in Tibul. *implexa* legi debeat ad imitationem Virg.

484. *Ixionii vento rota constitit.* Deest *cum:* et hoc dicit, cum vento suo rota constitit; id est, cum causa volubilitatis quievit. *Serv.* — Quidam sic: *vento,* audiendum, consistentem: ut est illud: — *Quum placidum ventis staret mare. Philarg.* — Cl. Voss hunc sensum confirmat. — *Rota constitit.* Ad locum istum de cessatione pœnarum, quæ in inferno sunt, aspirarunt multi; Ovid. Met. X: Seneca in Herc. OEtæo: Claudianus, de Raptu Pros. lib, I, et II: et ipse Horatius, lib. III, Od. XI, v. 21: sed omnes Maronem longe sequuntur. Vide notas, in vol. I, nost. edit. pag. 571; et Excurs. III, pag 586.

486. *Redditaque Eurydice.* Ita creditum a Poetis Virgilio hic, et Seneca in Furente, quum ait de vera Eurydice: *Evade ad Superos.* — *Superas.* Dicuntur *Superi* mortales ipsi cum relatione an Inferos.

488. *Incautum.* Epitheton amantis est. *Serv.* — P. Syri sententia, *Amare et Sapere vix Deo conceditur.* Taubm.

489. *Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes.* Participium sine verbi origine; non enim facit *ignoscor,* sicut nec *triumphor, regnor.* Serv.

491. *Victusque animi.* Sic alio loco dixit *O præstans animi.* Serv. — Ea forma, qua Æchyl. in Suppl. *ἡμέρου νικώμενος.* Sic et *falsus animi, saucius animi, fallor et crucior ani-*

nesciunt, statim illa rapitur, rupto jam fœdere: susceptus labor inanis redditur: ac dum retracta descendit, ter auditur Inferorum fragor exsultabundus ob repetitam prædam.

494. Adhibet poeta, quæ diceret rapta Eurydice: o me miseram! o te miserum! me perdis Orpheu! te perdis! quis hic intemperans amoris furor? cur me respicis? iterum abripior; iterum morior: o vale Orpheu! nox me circumdat; tendo ad te palmas nihil profuturas, non jam tua uxor; sed præda Tartari. (Illud *conditque natantia lumina somnus*, est, mors condit oculos sopitos madentesque, atque humore suffusos; videntur enim natare oculi, ubi subita vi ingruente turbantur: nam, quemadmodum qui natant, jam latent sub undis, jam emergunt: sic in morte videtur lux oculorum errare, nec firma consistere.)

499. Hæc ut dixit, subito abripitur illa, atque instar fumi disparet diversa, id est, per diversa, ut Servius explicat: vel diversa, id est, avertens divertensque se; ut tu voles. Voluit ille suam alloqui, sed nihil vidit præter umbras. Aggressus

mi, poetis: et Æn. V, 202; *furens animi*. — Sciant ergo adolescentes hanc formam essé mere Græcorum. Arist. enim lib. ν'. Ethic. pro iracundo dixit, ἀκρατὴς θυμοῦ. Tu hic expende, quot fulcra adjungat Poeta excusans rem Orphei: quasi dicat; victus est; sed quid mirum, cepit illum *dementia*, et hæc *subita:* quem vero cepit? *amantem*, et hunc *incautum*. Deinde *immemor* fuit: respexit vero *suam*, et hoc non statim, diu enim toleravit: nam respexit illam *sub ipsa luce*, quum videlicet jam ferme esset in exitu. Ergo tametsi *victus* est, illi res fuit *ignoscenda*.

495. *Iterum crudelia retro Fata vocant*. Ovidius: *Bis rapitur, vixitque semel*. Serv. — *Quis furor?* Cl. Voss ab Heynio citatus, p. 572, vol. I, interpretatur hunc *furorem* de arcana vi quæ cum *fragore* subterraneo Eurydicen in *Avernum* retrahit; nam, inquit, quomodo festinationem amantis Orphei culpare potuisset? hunc sensum nimis abstrusum non improbat Heynius, qui non Servio, neque cæteris parcit: silentium illius æstimabunt peritiores.

496. *Natantia lumina*. In mortem reducta, juxta Servium; sed fluitantia et errantia, juxta Scaligerum; quia modo clauduntur, modo aperiuntur; ut fit, quando somnus invitis obrepit: oculos inprimis invadit vicinæ mortis horror. — *Somnus*. Æn. X, 745: *Olli dura quies oculos et ferreus urget Somnus*. Nam Mors et Somnus fratres sunt. *Taubm.*

498. *Invalidas palmas*. In umbræ tenuitatem reductas. — *Heu non tua*. Quia supra dixit: *Eurydicenque suam jam*. Serv.

503. *Amplius objectam passus transire paludem*. Mysticum est: dicitur enim bis eamdem umbram evocari non licere. *Serv.*

est iterum ad manes irrumpere, precaturus pro uxore, sed Charon vetuit, horrendus Orci portitor.

504. Nihil poterat Orpheo acerbius contingere, quam quæ narrata hactenus. Ergo in tanta rerum calamitate, quid faceret? quo se ferret, bis rapta Eurydice? Quos novos fletus, quas novas querelas excogitaret ad movendos immites Deos?

506. Dum hæret Orpheus, et dubitat, jam uxor frigida, id est, mortua, tranabat paludem Stygiam.

507. Dicit Orpheum, totum se ad pœnitentiam et luctum convertisse, ut qui culpa sua uxorem amiserat. Versatus est septem menses continuos (nam hoc est *ex ordine*) sub rupe aeria, in alto sita, et ad undam Strymonis fluvii Thraciæ. Ergo in antris hujus rupis, ad hanc undam flevit per eos menses, evolvitque animo et cithara hæc, quæ passus fuerat; ad cujus cantum excipiendum accessere tigres delinitæ, quercus commotæ.

511. Sequitur egregia comparatio: contingit, uti rusticus fœtus adhuc implumes detrahat Philomelæ: illa tum ramo insidens amissos pullos queritur; flet noctem integram; renovat sæpe carmen miserabile; loca omnia querelis complet: talem finge Orpheum.

516. In hoc luctu, nullius jam Veneris illecebris capieba-

508. *Aeria.* Quæ sit vicina astris. Strymon autem amnis est, finiens Thraciam, sed hic pro Hebro positus. *Philarg.* — *Deserti.* Asperi, inculti; circa quem ad extinguendum amoris calorem morabatur.

510. *Agentem carmine quercus.* Id est, moventem. *Serv.* — *Quercus.* Arborum indicem exhibet Ovid. Metam. X, vs. 88. sqq. et 143. — *Tale nemus vates attraxerat.* Alludit Horat. Od. I, 12. silvas protractas docens: *unde vocalem temere insecutæ Orphea silvæ*: de montibus, saxis, etc. quæ delenire et movere potuit loco: prolixius ad hunc versum Cerda, quem vide.

511. *Philomela.* Luscinia. Philomelam Servius pro ave qualibet positam ait: sed cur non proprie de Luscinia intelligamus, cui a lugubri cantu nomen inditum et quæ eadem *flet noctem?* — Fortasse alludit ad id, quod Thraces perhibent, teste Pausania, luscinias, quæ circa Orphei sepulchrum nidos haberent, vocaliores esse cæteris. Cl. Voss idem memorat. De cantu autem lusciniæ, Plinius ambitiose philosophatur, X, 29. — Vix credas, uti ingenia poetarum aspiraverint ad gloriam hac comparatione: adeo sæpe illam advocant et Græci et Latini.

514. *Flet noctem.* Jugi nocte, continuo fletu. *Serv.* — *Integrat.* Renovat. *Philarg.* — *Late loca questibus implet.* Ductum a Lucr. lib. II. *Aera per tenerum liquidis loca vocibus opplent.* Ab utroque Pap. Th. II, *Questibus implet agros.*

516. *Nulla Venus.* Quæ forma

tur; nullius nuptias optabat, mortua Eurydice; verus et fidus amans, solus errabat per loca plena glacie, nivibus, pruinis: nam lustrabat montes Hyperboreos, fluvium Tanaim; arva Riphæa, in quibus perpetua glacies, nives, pruinæ. Per hæc loca Eurydicen insonabat, quæ abrepta; Plutonis fœdera, quæ irrita.

520. Illum suavissime canentem amarunt, ut par erat, fœminæ Ciconum: ille omnes sprevit: istæ indignatæ, dum peraguntur cum strepitu Bacchi orgia, in vatem irruunt; discerpunt, spargunt per agros membra lacera; jaciunt rescissum illius caput in Hebrum fluvium: hoc dum per undas portatur, lingua ipsa jam frigida Eurydicen sæpe inclamat: nomen ripæ excipiunt, ac doctæ a vate Eurydicen frequentissime insonant; nihilque aliud, quam Eurydice audiebatur ab ipso capite, ab ripis, ab flumine.

An est quicquam aut dulcius, aut luctuosius hac pagina?

anteibat, *Veneris* nomine appellabatur. Plaut. Bacch. II, 2, 39. *ni nactus Venerem essem, hanc Junonem dicerem.* Curc. 1, 3, 36. *Tun' meam Venerem vituperas?* Emm.

519. *Irrita.* Solemne verbum sacrorum, quibus *irrita* dicebantur, quæ fierent, adversante Numine, neque acceptante. Sic Ovid. Met. VII, *thura irrita* dixit. Idem de re Poetæ loquens Met. X. *irrita dona.* Abnuit enim Pluto, quæ concesserat. *Cerda.*

520. *Ciconum. Cicones* gens Thraciæ, a Cicone, Apollinis filio, dicta. Orpheus autem quoniam post obitum Eurydices omnes feminas fastidit, translato in pueros amore, discerptus est. Asper, *quo munere*, ob quam rem, vult accipi: potest et, *Spretæ quo munere*, id est, matrimonii. *Philary.* — Heynius hujus loci solam interpretationem probabilem subjecit in notis; quas vide pag. 575, vol. I. nost. Edit. Hanc confirmat Cl. Voss his fere verbis: « *Munus* est quædam declaratio fidei, amoris, benevolentiæ; (vide Georg. III, 391.) nullo dignitatis ordine servato, vel superioris, vel inferioris: nec multum hic discrepant inter se vocabula, *munus officium, pietas.* Ita Æn. VI, 886, Anchises *fungitur inani munere* pietatis et benevolentiæ erga juniorem Marcellum. » Neque tamen contemnenda Servii sententia, qui *nuptiale munus* intelligit: nam supra vidimus; nulla Venus, nulli hymenæi potuerunt Orphei animum inflectere; ergo requirentes matronas et conjugii rogantes *munus spreverat* Orpheus: inde iræ.

521. *Inter sacra Deum.* Expendit istum locum Macrob. IV, 3: nam a loco sacro solet Poeta excitare affectum. — *Nocturnique orgia.* Quia sacra ejus nocte celebrantur, ex quo *Nyctelius* est cognominatus. *Philary.*

523. *Marmorea caput a cervice revolsum.* Id est, pulchra: sane alludit ad id quod dicit Ovidius,

Maro vere poetarum princeps. Quæ hæc rerum imago? Hinc Orpheus sub rupe flet ad aquarum fluxus; feras movet; sylvas agit; mulcet saxa: inde Philomela ramo insidet, plena gemituum, fletuum, carminum, querelarum: Orpheus rursus loca peragrat glacie horrida, nive obsita, pruinis plena: qui in his luctibus ex pœnitentia recreandus, subito occiditur, tragicum quiddam spirantibus carminibus: laceratur; discerpitur; membra agris dantur, caput fluvio, ubi exoritur novum πάθος, et nulli hactenus auditum, de lingua, amne, ripis, inclamantibus unam Eurydicen, quam ille dilexerat, ac dulce hoc nomen sæpe insonantibus.

528. Absoluto oraculo, Proteus in mare desiliit, et qua desiliit, aquam torsit, excitavitque spumam sub vertice, id est, sub capite.

530. At non Cyrene timuit, audito oraculo, uti Aristæus: imo ipsa timentem natum aggressa est prior, et consolatur, monetque curas deponat, et sciat apes exstinctas in ultionem mortuæ Eurydices: Nymphæ enim, quæ una cum illa choros miscebant, regionem illam vastarunt, facto apum exitio: istæ ergo, inquit, muneribus tibi colendæ; istæ venerandæ; ab his pax petenda; dabunt veniam, ne dubita, remittent iras.

537. Aperit nato modum, quo orandæ et exorandæ Nymphæ; vides, inquit, tauros, qui tibi sunt in monte Lycæo Arcadiæ; ex his quatuor assume, non quoscunque et obvios; sed, *deligantur;* sint *eximii;* sint *præstanti corpore:* adjunge totidem non vaccas, sed *juvencas*, quæ nunquam aratrum por-

quia quum caput ejus ad ripam delatum serpens mordere voluisset, est conversus in lapidem. *Serv.* — Constat caput Orphei in Hebrum projectum, et fluctus in Lesbum insulam detulisse. *Philary.* — *Marmorea.* Pro candida et pulchra, sic enim scholiastes Homeri Iliad. γ, 126. μαρμαρέην, interpretatur λαμπρὰν, λευκήν. Sic Ennius, vel ut alii volunt Lucilius: *stare papillas Pectore marmoreo.*

529. *Sub vertice torsit.* Ovid. Fast. V: *Ille meas remis advena torsit aquas.* Loquitur videlicet Tiberis de Evandro. Catul. de Nupt. Pel. *Tortaque remigio spumis incanuit unda.*

530. *At non Cyrene.* Deest *territa est:* quod ex sequentibus datur intelligi. *Serv.* — Cl. Voss sic sententiam supplet: at non Cyrene exemplo Protei in mare insilientis filium Aristæum dereliquit; nam sic affata est illum. — *Timentem.* Oraculo Protei perterritum. *Taub.*

535. *Petens pacem.* Beneficium, benevolentiam. *Serv.* — Veniam, *Nonius.* Ita apud Plaut. Amph. act. V, 1. *Jovis pacem expetere*, est, Jovem sibi propitium habere velle. Nam et *Pax* et *Venia*, ver-

taverint; nam hoc est, *intacta cervice*. Hoc facto, erige aras quatuor; macta victimas; occisos boves repone in luco.

544. Post diem nonam dabis inferias vati Orpheo, videlicet papavera, quæ oblivionem inducunt, ideo *Lethæa*, ut Orpheus injuriæ obliviscatur: præterea, ovem nigram; ac tunc revise lucum, ubi occisi tauri repositi: demum venerare cæsa vitula Eurydicen *placatam*, id est, quæ sic placabitur.

548. Paret statim Aristæus matri, venit ad templa; aras ex-

bum Pontificale est. — *Faciles Napæas*. Exorabiles nymphas, ad ignoscendum paratas: sane sciendum, easdem esse Napæas, quæ et Dryades sunt: nam supra ait: *At chorus æqualis Dryadum*. Serv.

540. *Delige*. Etiam Sacerdotale verbum est: ideo præmisit, *præstanti corpore;* quod eximia specie, quasi numinibus offerendæ, eligerentur. *Taubm.* — *Intacta cervice*. Indomita: et dicit animalium sacrificium esse faciendum, ut non tantum occidantur hostiæ. *Serv.* — *Intacta cervice*. Tales appellat Festus: *injuges, quæ sub jugo numquam fuerunt:* vel ut Horat. Od. II, 5. *quæ nondum valent ferre jugum subacta cervice*, easque Epod. IX. *intactas boves* nominat, quales Græce sunt ἄζυγοι, ἄζευκτοι, ἀδμητοι, ἀκέντριστοι. Cl. Voss quærit quid sibi voluerit Maro, dum quatuor hæc victimarum paria, et quatuor hæc altaria constitueret: an quia binæ aræ Orpheo, binæ uxori bis raptæ, fuerunt juxta quemdam sacrificandi ritum statuendæ? an quia juvencus et juvenca simul ante aram quamque peculiari sacrificio immolari voluit? hanc victimarum litem in ambiguo, et sub judice relinquit. quod vero ad aras quatuor spectat, refert ad quatuor Georgicorum partes, scilicet agriculturam, arborum curas, rem pecuariam, et apiariam, quæ omnes nunc vastatæ nympharum auxiliis indigent.

544. *Ubi nona*. Indicatur Ἔννατον, id est, « Novemdiale sacrifi- « cium, quod mortuo fiebat nono « die quam sepultus erat »: ut ait vetus Horatii Interpres. Ita Apuleius Miles. IX; « Jamque nono die « rite completis ad tumulum so- « lemnibus. » V. N. Æn. V, 64; item Ioh. Kirchmannum de Funerib. Rom. IV, 1. *Taubm.*

545. *Inferias Orphei*. Ut irarum obliviscatur. *Philarg.* — *Orphei*. Dativus Græcus est. — *Lethæa papavera*. Agrestia. *Serv.* — Ab oblivione; nam λήθη, oblivio est. Ita Ovid. Trist. V, 2: *soporiferum papaver*. Et Ge. 1: *Lethæo perfusa papavera somno*. Cerda.

546. *Placatam Eurydicen vitula venerabere cæsa*. Hypallage, pro veneratam placabis. *Serv.* — *Venerandi* verbum omnes cultus divini species communione quadam complectitur.

548. *Matris præcepta facessit*. Servius *facessit* frequentativum esse ait. Verum alia mens Nonii Marcelli, uti et Donati in Phorm. IV, 3. Uterque enim *facesso* simpliciter exponit *facio*. Meo tamen judicio *facesso* hic significat studiose facio ac exequor: quod indicant illa verba, *Haud mora;* et *Continuo*. V. G.

citat; ducit tauros, et juvencas: illos *eximios*, et *præstanti corpore*: illas *intacta cervice*: post diem nonum, dat inferias Orpheo; revisit lucum, ubi relicti fuerant cæsi tauri; atque ibi, mirum quidem! apparent apes, quæ ex putrefactis corporibus prosilierant toto utero, totis costis; illæ autem tam numerosæ, ut nubem formarent: convolarunt statim ad arborem proximam, et racematim ex ramis pependerunt.

PARS NONA ET ULTIMA. 559. Brevissime, et modestissime complectitur opus Georgicorum; *canebam*, inquit, *hæc*. Vide modestiam, quasi imperfectum quiddam reliquerit; non enim dixit, *cecini*, quum posset. Ait vero se cecinisse cultum arvorum, de quo liber primus: deinde cultum pecorum, de quo libri tertius et quartus; nam apes una cum pecore includit: tertio cultum arborum, de quo liber secundus. Sed quo tempore ista cecinit? Nullam occasionem prætermittit blandiendi Augusto. Cecini, inquit, hæc, quum Cæsar juxta Euphratem hostes suos non tam bello persequitur, quam fulminibus; nam, instar Jovis, vir hic bellum gerit: sed hic tam magnus vir, et potens bello,

554. *Subitum ac dictu mirabile monstrum*. Res enim hæc ex improviso venit, ut apes ex bobus erumperent. Nam præcepta Cyrenes, tantum ad placandum numina pertinebant. Notandum sane, quia ex hoc eventu illa ars inventa est, quam supra memoravit: et melior facta per industriam. *Serv.*

558. *Uvam demittere ramis*. In morem uvæ, id est, botryonis, defluere: quod Græci βοτρυδὸν dicunt; quum conferto examine alicubi pendent, stipatæ simul et mutuo contactu cohærentes: unde et βότρυς id, quod hic *uva*, et coacervatas in racemum uvas significat; et Varroni quoque *uva* hoc significatu familiaris. *Germ.*

559. *Hæc super arvorum cultu*. Primum librum per hoc significat: per *pecora* autem, tertium et quartum, quia et apes pecora sunt: per *arbores*, secundum. Et hoc dicit: *Hæc ego*, id est, Georgica scripsi, dum Cæsar in Oriente pugnaret. *Serv.* — *Hæc canebam*. His præceptis celebrandis operam dabam sæpe iterando, nec tamen opus absolvi. Plinius in proœmio, similem antiquorum pictorum et sculptorum laudat modestiam: *Apelles faciebat, ἀτελῆ*, quasi incœptum esset opus, nec absolutum: hoc modo contra judiciorum varietates supererat artifici regressus ad veniam, velut emendaturo quidquid desideraretur, si non esset interruptus. *V. G.*

561. *Fulminat*. Sæpe bellum *fulmen*, præcipue quod celeriter conficitur, appellatur. Florus II, 6: « destinatumque Romanis jam diu « fulmen, Saguntino igne conflavit. » — *Fulminat bello*. Cæsar imitatur Jovem in Gigantes tonantem, et congestos Gigantum montes fulmine disjicientem. — *Euphratem*. *Euphrates* flumen, quod dividit Mesopotamiam a Syria et